UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Frid. Adolphi Lampe S. S. Theol. Doct. Ej. Et Hist. Eccl. Professoris Ordinarii, Delineatio Theologiæ Activæ

Lampe, Friedrich Adolph

Herbornæ Nassaviorvm, 1728

urn:nbn:de:hbz:466:1-28501

Visual Library


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

22 1223

Sors legitimi præcii exsolutionem
possidet Petrus Mölnar, ab-
Anno 1754 die 1. Januarii
emptus fl. 272.

Cod. Ms. 36.
Th. V. 537
Rto

FRID. ADOLPHI LAMPE
S. S. THEOL. DOCT. EJ. ET HIST. ECCL.
PROFESSORIS ORDINARII,

DELINEATIO THEOLOGIÆ ACTIVÆ

EX LIMPIDISSIMIS DOCTRINÆ EVANGELICÆ FONTIBUS PETITÆ,

Et ad dirigendam totius Vitæ ſpiritualis actuoſitatem,
CUIVIS VERE CHRISTIANO competentem,

Per omnes ejus partes, gradus, vices & relationes
Perpetua ſerie deducta,

In uſum Scholæ privatæ concinnata.

CUM INDICIBUS CAPITUM, RERUM ET LOCORUM SCRIPTURÆ LOCUPLETISSIMIS.

HERBORNÆ NASSAVIORUM,
TYPIS JOHANNIS NICOLAI ANDREÆ,
ANNO MDCCXXVIII.

06
IRS
1123

Universität-Gesamthochschule
Bibliothek
3
Paderborn

1990.4361G

ORSZÁGOS SZÉCHÉNYI KÖNYVTÁR
Ajándékozási példány

ORSZ. SZÉCHÉNYI KÖNYVTÁR
Növedéknapló
1952. év B. 4698 sz.

)(o)(

SERENISSIMO CELSISSIMOQUE

PRINCIPI

WILHELMO CAROLO HENRICO FRISONI

DEI GRATIA

ARAUSIONENSIUM ET NASSAVIÆ PRINCIPI

COMITI CATIMELIBOCORUM, VIANDÆ, DIETZIÆ

ET SPIEGELBERGÆ, LINGÆ, MEURSÆ, BURÆ, LEERDAMI: MARCHIONI VERÆ ET VLISSINGÆ: DOMINO ET BARONI BREDÆ, BEILSTENII, LIESVELDIÆ, GRAVÆ, DIOECESEOS KUCKIANÆ, DIESTÆ, GRIMBERGÆ, HERISTALLI, CRANENDONKI, VARNETONI, ARLÆI, NOSEVOCI, ST. VITI, DASBORCHI, POLANI, WILHELMOSTADII, NIVARTII, ISSELSTEINII, STEEN-

STEENBERGÆ, ST. MARTINODICI, MONTIS GERTRUDIS, SEVENBERGÆ, UT ET SUPERIORIS AC INFERIORIS SUALVÆ ET NAELTVICI, ANTVERPIÆ ET BISONTII BURGGRAVIO: MARESCALLO HÆREDITARIO HOLLANDIÆ: DOMINO AMELANDIÆ, DUCATUS GELDRIÆ GUBERNATORI ET CAPITANEO GENERALI HÆREDITARIO, UT ET CIVITATIS GRO-

DEDICATIO.

NINGANÆ, AGRORUM-QUE CIRCUMJACENTIUM AC DRENTIÆ GUBERNATORI ET CAPITANEO GENERALI.

SERENISSIME PRINCEPS, CLEMENTISSIME DOMINE.

QUod fulgentissimo Serenitatis tuæ Nomini pagellas hasce inscribere atque sacras esse voluerim, illius consilii non una mihi ratio sedet. Argumentum illarum insita eousque præpollet

pollet majestate atque præstantia, ut attentione Principis ad tantas fortunas nati atque in maximas Reipublicæ Christianæ universæ spes matureſcentis sit digniſſimum. Invitabat præterea reluctantem ipsa studiorum, quibus ætatis Tuæ florem ad stuporem omnium felicissime impendis, series. Ignoſce, quæſo, CELSISSIME PRINCEPS, quod missis, quas alii in Te venerantur, dotibus, modesta rariſſimæ illius virtutis Tuæ, qua a teneris inter Sapientiæ cœlestis cultores Nomen Tuum profiteris, commemoratione verecundiam tuam fatigem. Quemadmodum laudibus Tuis non caperis, qui Tua omnia, etiamsi Summa, non Tuo, sed largientis in solidum Gratiæ divinæ

vinæ liberrimum munus esse, perspectum habes; ita in me jure carperes, si blanditiis favorem tuum demereri velle viderer. Interest tamen optimorum studiorum; interest juventutis, quæ in nostris Academiis ad Ecclesiæ Statusque Christiani emolumentum formatur; interest posteritatis, ne ignoretur, nostram ætatem protulisse Principem, qui quantum alii venationibus, choreis, theatris, ludis, cœterisque homine ad majora condito, nedum Principe & Christiano, indignissimis temporis dispendiis, tantum scientiis, quæ ipsius fastigio conveniunt, populosque regendi artem edocent, pertractandis segregavit. Interest Veritatis atque Religionis, ne oblivione sepeliatur,

Gra-

DEDICATIO.

Gratiam divinam noſtro ſeculo indulgere voluiſſe Principem, qui mature agnovit, illum demum Statum florentem beatumque fore, qui ſecundum præſcriptum Legis divinæ, qui ſecundum tenorem Evangelii Jeſu Chriſti adminiſtratur. Hæc ſane ſalutaris perſuaſio Te induxit, ut cum reliquis ſtudiis Academicis accuratam Theologiæ univerſæ tractationem conjungeres. Quin peritiam Tuam in illa eousque promovere voluiſti, ut Tuo tam præclaro exemplo non ſolum aliis Magnatum Filiis, quibus uti reliquæ diſciplinæ deſpectui, ita ſcientia Theologica maximo eheu! faſtidio paſſim eſſe adſuevit, pudorem excutias, ſed etiam in illis, qui ex profeſſo huic omnium Doctrinarum Reginæ ſe

addixere, ſanctam æmulationem ſuſcitare poſſis. Ita agens cum THEOLOGIÆ DIDASCALICÆ, quæ dicitur, curriculum in alma Tua Friſiaca emenſus eſſes, nihil mihi videbatur pertexendæ huic ſtudiorum Tuorum parti accommodatius fore, quam ſi alteram hanc THEOLOGIÆ partem, quæ ACTIVA ſeu PRACTICA dicitur, in uſum Auditorii mei digeſtam, humillime non ſolum manibus Tuis objicerem, ſed Tuo quoque Nomini dicarem. Sic enim meorum primo diſcipulorum, propoſito illis atque ob oculos jugiter verſante TE TAM ILLUSTRI PRÆCURSORE, me identidem provocaturum diligentiam, atque zelum ferviditſimum incenſurum eſſe

esse confidebam. Sic & Tibi, cur dissimulem? OPTIME PRINCIPUM, in stadio hoc fastigio Tuo nostraque & omnium bonorum de Te exspectatione dignissimo tam pulchre, tam expedite, citatis adeo gressibus, decurrenti calcar me additurum esse mihi pollicebar. Quin sciagraphiam quandam exhibere, secundum quam ad alterum hoc Christianæ Theologiæ caput facilior Tibi sterneretur transitus, contendebam. Neque enim Te omnem Doctrinæ salutaris ambitum mente ac meditatione complectentem, augustissimam ejus partem neglecturum esse persuasus eram; siquidem per hanc solam studii omnis in Scientia hac Divina collocati meta attingitur. Hujus profecto cognitio

ad

ad Principes æque ac universum genus humanum spectat, cum sine sancto ejus amore atque exercitio nemo mortalium, quantacunque præ aliis dignitate polleat, pro Christiano aut vere Felice reputari, nullum Regimen florere, nulla populi prosperitas firmis radicibus hærere potest. Denique hæc spes me demulcet, si conatus illi mei, quibus nexu perpetuo practicas veritates Christianæ Theologiæ inter se devincire quæsivi, PRINCIPI tantæ exspectationis, in cujus fulgorem magis magisque promicantem tot Status gubernaculo ejus subjecti, Fœderatum nostrum Belgium, quin universus orbis Christianus defixos gerit animos, non displicuerint; fore, ut in illis explicandis edisserendisque

que major ab hinc diligentia impendatur. Atque illa quidem spes eo fortius me impellere debuit, quo acerbius sæpenumero mecum indolui, quotiescunque observavi, nobilissimum hoc Theologiæ Activæ studium in plerisque Academiis aut plane præteriri, aut summis tantum articulis, quasi in transitu, attingi. Ponderosissimum sane Fratrum Zelandorum in Synodi Dordracenæ Sessione XVIII. fuit monitum: *Denique cum hactenus in examinibus ante promotionem tantum doctrinæ habita fuit ratio, an nempe orthodoxi essent, quod fatemur esse primarium; deliberari tamen potest, annon etiam expediat examen practicum instituì: in quo examinentur, an etiam tenaces sint ser-*

sermonis illius, qui est secundum pietatem & idonei ad tradendam Ethicam Christianam. . . *Ad quam rem optandum esset, ut in* Collegiis & Academiis *adolescentum animi* Theologia Practica *imbuerentur, & de variis* conscientiarum casibus *instruerentur.* Quam laudibilis hic fuit Virorum præclarorum zelus, tam deplorandus est saluberrimæ admonitionis neglectus, qui eousque invaluit, ut non desint accuratissimi Scripturæ Sacræ usque ad apices & minutias Interpretes, ac controversiarum atque dogmatum apprime gnari *Doctores*; veram in conscientiis dirigendis tractandisque nec non reliquis omnibus *Pastoralis* muneris functionibus eousque hospites, ut non solum tan-

tanquam sorices se ipsos illis, qui in viis Domini exercitati sunt, facillime prodant, sed etiam per jejunum de opere Spiritus sancti judicium imperitiorum animas perturbent, quin ipsam veræ masculæque pietatis causſam proculcent. Utinam ergo huic latius indies serpenti profani nostri seculi contagio mea hac opella, si non remedium, obex saltem aliquis opponi posſet! Quapropter eo ardentius benignissimum Numen imploro, ut porro TUAM SERENITATEM in præsidium Ecclesiæ Scholæque Christianæ sub umbone gratiæ suæ conservet: ut præsentem præcipue exercitiorum Tuorum Academicorum cursum ad pietatis atque Justitiæ firmum propugnaculum dirigat:

rigat: utque illa cœlestis sapientia pectus tuum impleat, quam Regum Sapientissimus quibuscunque aliis dotibus præferendam esse non sine prævia Spiritus sancti illuminatione judicavit.

Vale diu, multumque SERENISSIME PRINCEPS, ac favere perge

SERENITATIS TUÆ.

Ultrajecti Postr. Kal.
Junii MDCCXXVII.

Obsequiosissimo Cultori

FRID. AD. LAMPE.

INDEX

INDEX CAPITVM.

LIBER PRIMUS.

IN quo generalia officiorum fundamenta explicantur. 1

CAPUT I.

De Theologia Activa in genere. 1

CAPVT II.

De subjectis, *seu* personis, *ad quas proprie Theologia Activa spectat*, hominibus *nempe nude secundum* qualitates *eorum* naturales *consideratis.* 8

CAPUT III.

De homine secundum qualitates morales considerato in statu corruptionis. 16

CAPUT IV.
De homine spectato in statu gratiæ. 28

CAPUT V.
De norma suprema actionum hominis regeniti, Lege Dei. 42

CAPUT VI.
De moralitate actionum humanarum cum Lege divina collatarum, sive de Virtute *&* Vitio *atque inde oriundis* Operibus bonis *&* malis. 57

CAPUT VII.
De fine actionum humanarum legitimo & illegitimo. 68

CAPUT VIII.
De intentione tam falsa, *quæ comprehendit* Superbiam, Philautiam, *ac* Dipsychiam, *quam* legitima, *quæ involvit* Humilita-

litatem, Abnegationem sui ipsius & Simplicitatem. 82

CAPUT IX.

De vitiis ac virtutibus circa *modum actionis* observandis, ac speciatim de *Ignavia & Diligentia*, de *Stultitia*, *Sapientia & Prudentia*, de *Coactione & Spontaneitate*, de *Tepore & Zelo*, de *Inconstantia & Constantia*. 100

CAPUT X.

De præcipuo *impedimento & adminiculo* circa legitimum mediorum usum, *hypocrisi & sinceritate*. 125

LIBER SECUNDUS.

Specialiorem singulorum officiorum, secundum ordinem Operis Gratiæ *spectatorum, delineationem exhibens*. 136

CAPUT I.

De officiis, quæ tanquam præparatoria ad Conversionem spectari possunt. 136

CAPUT II.

De initiis *veræ Conversionis*, ut primo officio, per quod peccator ex *statu corruptionis* transit *in statum gratiæ.* 154

CAPUT III.

De *Incredulitate* & *Fide vera*, oppositè ad *Fidem spuriam* considerata. 172

CAPUT IV.

De Conversione a *servili Timore* ad *Spem certam* promissionum Dei. 194

CAPUT V.

De Conversione ab *Amore illegitimo*, qui reipsa impurum *Odium* est,

est, ad *Amorem legitimum Dei, nostri ipsius & Proximi*, in quo vera *Sanctitas* consistit. 206

CAPUT VI.

De fructibus *Amoris Dei*, seu *Impietatis* fuga, & oppositæ *Pietatis* exercitio. 234

CAPUT VII.

De officiis ex Amore sui ipsius *fluentibus, per quæ propriæ* Salutis neglectu *hujus* promotio *succedit.* 281

CAPUT VIII.

De effectibus *Amoris Proximi*, qui per Vitiorum, quæ *Odium* ejus comprehendit, exstirpationem & contrariarum Virtutum exercitium producuntur. 321

CAPVT IX.

De Officiis *seu* Mediis *generalibus*

ad Conservationem & Incrementum *in statu Gratiæ procurandum.* 366

CAPVT X.

De *Tentationibus* fidelium *in hac vita* & officiis ad *Luctam spiritualem* contra eas pertinentibus. 382

CAPVT XI.

De *Afflictionibus* hujus vitæ, & *Impatientia* sub illis fugienda, *Patientia* autem sectanda. 397

CAPVT XII.

De diversitate tam *vitiorum* quam *officiorum*, quæ secundum externam *ætatis humanæ differentiam* observanda est. 410

CAPVT XIII.

De *Arte Bene moriendi*, seu officiis, *quæ Præparatio ad piam mor-*

mortem involvit. 417

CAPUT XIV.

De *Consolatione Christiana* & Officiis in ejus legitima *applicatione* observandis. 433

LIBER TERTIUS.

Officia specialissima, quæ in *Relationibus diversis* observanda sunt, pertractans. 469

CAPUT I.

De *Communione Sanctorum*, & *Officiis*, circa illam quoad *singula membra* Ecclesiæ internæ excolendam, præstandis. 469

CAPUT II.

De *Communione Ecclesiastica*, & *officiis*, quæ illa circa membra Ecclesiæ externæ *in diverso gradu* constituta observare jubet. 484

CA-

CAPUT III.

De *Communione Politica*, & *Officiis*, quæ illa a *Magistratibus* ac *Subditis* Christianis, in diverso gradu constitutis, ad Reipublicæ salutem requirit. 508

CAPUT IV.

De *Communione Oeconomica*, & officiis, quæ illa *Conjugibus*, *Parentibus*, *Liberis*, *Propinqnis*, *Heris* & *servis* præscribit. 531

CAPUT V.

De Relatione *inter* Præceptores & Discipulos. 554

CAPUT VI.

De Relatione inter Amicos & Inimicos. 567

CAPUT VII.

De Relatione inter vivos & mortuos *superstite*. 583

THEO-

THEOLOGIÆ ACTIVÆ

LIBER PRIMUS,

In quo generalia officiorum fundamenta explicantur.

CAPUT PRIMUM.

De Theologia Activa in genere.

SUMMARIUM.

I. *De ejus* indole *quæ continet*
A. Argumentum §. 1——5.
1. *In se spectatum* 1. 2. *indicatum*
a. *Per* ὀνοματολογίαν 1.
b. *Per definitionem* 2.
2. *Comparatum cum Theologia Contemplativa* 3——5. ubi observatur
a. *Quomodo ab illo* differat 3.
b. *Quomodo cum eadem* cohæreat 4. 5.
α. Ei innexa 4.
β. Eam supponens 5.

B. Præstantiam 6---12.

1. *Demonstratam* rationibns 6---11.

a. *Propositis* 6---10. *petitisque*

α. *A doctrinæ hujus* dignitate 7.

β. *Ab ejusdem* utilitate 8---10.

א. *Absolute spectata* 8.

ב. *Relate ad corruptionem tam generalem peccati* 9. *quam specialem ævi nostri* 10.

b. *Contra exceptiones adstructis* 11.

2. Exemplis *illustratam* 12.

II. *De* methodo & ordine, *quo illam tractaturi sumus* 13. 14.

I.

Theologia Activa seu *Practica*, nobis eadem est, quam alii ab argumento *Moralem*, alii a principio, titulo sublimiori, si abusus separetur, *Mysticam*, nonnemo a subjecto *Cordis*, nonnulli ab effectu *Asceticam*, quidam a tractandi methodo aut cum antiquioribus *Casuisticam*, aut cum recentioribus *Paracleticam*, sed & denique aliqui nomine e scholis translato *Ethicam Christianam* appellant.

II. Designamus enim hoc nomine *Theologiæ Christianæ* partem quandam specialiorem, continentem *doctrinam de iis, quæ agenda sunt homini, potissimum regenito, secundum Legem Evangelii, ut summum bonum in communione cum Deo possideat.*

III. Unde liquet, quod eatenus differat a reliquis Theologiæ Didascalicæ partibus, quoniam veri-

veritates ad ejus forum pertinentes non tam circa *credenda* quam circa *agenda* subsistunt, neque tam *opus Dei* in salvando peccatore, quam *opus peccatoris* nova vita donati ac per efficaciam gratiæ divinæ actuosi explanant. Quamvis ergo Theologia *Theoretica* seu *Contemplativa* ipsa quoque ratione finis inter *doctrinas practicas* sit referenda, in majori tamen emphasi de *Theologia Activa* id prædicari potest, quoniam illius proximum objectum & argumentum universim circa praxin versatur. Sed & discrimen in *fine* eatenus occurrit, quia *proxime* in communionem cum Deo Theologia *Activa*, *Contemplativa* nonnisi *mediate* fertur.

IV. Nihilominus intime cum Theologia Contemplativa cohæret, & perpetuis vinculis ei est innexa. Iidem *fontes*, idem *finis* utrique fixus est. Certo respectu posterior *essentialis pars* prioris est, quoniam ad mysteria fidei non solum *opus* Triunius *Dei* in salvando peccatore, sed etiam effectum ejus admirandum, ipsa *hominis* regeniti *actuositas* reapse unionem peccatoris cum Deo præstans & promovens, est referenda.

V. Dogmata saltem fidei in præceptis vitæ *supponuntur*, quoniam convenienter *relationibus* suis agere atque ita *officio* suo defungi nemo potest, nisi qui relationes illas perspectas habet, quibus tanquam fundamentis obligatio ad quæcunque officia innititur. Adde, quod *argumenta* fortissima, quibus identidem impellimur atque incitamur ad agendum secundum beneplacitum Dei, ex Evangelio gratiæ hauriantur. Revera igitur *Theoria* hominis spiritualis *oculos*, *Praxis alas*,

manus atque *pedes* conficit. Sine illa *cœcus*, sine hac *claudus mancusque* esset. Ab illa hæc *lumen* ac *robur* accipit. Hæc illi formam & *complementum* præbet. Hinc doctrina fidei audit *mysterium pietatis* 1. Tim. III. 16. & *typus doctrinæ*, cui *obediendum* Rom. VI. 17. Hinc in tota Scriptura *dogmata fidei* atque *vitæ* alternant, & Christus æque ac Apostoli, ille in *sermonibus*, hi in *epistolis* suis, ab illis passim ad hæc transire solent. Confer *rudimenta* doctrinæ Christianæ Hebr. VI. 1. 2.

VI. Meretur sane hæc *Theologicæ Scientiæ* pars, tum propter *dignitatem*, qua fulget, tum propter summam *utilitatem*, quam præstat, ut separatim certo ordine ejus thesauri digerantur atque attentioni penitiori exhibeantur.

VII. *Dignitatem* doctrina hæc tum per *sublimitatem*, tum per *amplitudinem*, tum per *præstantiam objecti*, circa quod occupatur, adipiscitur. *Sublimitas* ejus tanta est, ut facultates hominis mere naturales exsuperet, quæ cum in scientiis theoreticis, ipsisque mysteriis fidei ex verbo gratiæ hauriendis, non parum sæpe provehi queant, in hac parte Theologiæ, quæ magis directe *pravis cupiditatibus* bellum inducit, *experientiamque* supponit *spiritualem*, maxime cœcutiunt. Adeo *ampla* est, ut ad omnes scientias mere *practicas* se diffundat, omnemque *Jurisprudentiam* tam *divinam*, quam *humanam*. & quicquid sub *Ethicæ*. *Politicæ*, *Oeconomicæ* nominibus in scholis tradi solet, valet, vasto suo sinu circumdet. Neque enim ulla *actionum humanarum*, tam *internarum* quam *externarum*, quarum adeo immensa est varietas, per totam

totam vitam potest concipi, cui ex præscripto hujus scientiæ sua *forma* non induatur, sui *limites* non ponantur, sua *meta* non præfigatur. *Objectum* autem, quod hæc scientia tractat, tale est, ut nullum magis creaturam rationalem deceat. Nam in eo summæ *pulchritudinis* ac *perfectionis* ejus, quæ ipsius *divinæ perfectionis* radios ac similitudinem in mentibus creatis suscitat, cardo est situs. Quin quantum *finis* præstat *mediis*, tantum *scientiis theoreticis* omnibus præcellit, quæ nisi in hanc tanquam complementum suum desinant, nonnisi vanissimæ luxuriantium ingeniorum ambitioni pabulum exhibent. Job. XXVIII. 28. Eccl. XII. 15. Jac. III. 13--15.

VIII. Quanta sit ejusdem doctrinæ *utilitas*, ex eo elucescit, quoniam magis immediate, quam ulla alia, & *instrumentum* est, per quod *Deus* in homine *finem* attingit, ad quem illum præ reliquis creaturis *facultatibus moralibus* atque *immortalitate* donavit; & *medium* præbet, per quod peccator partam atque oblatam beatitudinem arripit, conservat, promovet, initiisque ejus jam in hac vita actu perfruitur. Ps. XXXIV. 12. 13. Prov. III. 1--4. Jes. XLVIII. 17. 18. Quod medium eo magis est æstimandum, tum quoniam per veritatem Dei *fallere nequit*, tum quoniam *unicum* est; unde tanta exsurgit ejus tam discendæ, quam docendæ *necessitas*, ut & Ministri Evangelii absque ejus penitiori notitia ad *pastorale munus* rite obeundum plane inepti forent, & nemo plane absque dispendio salutis eam ignorare queat.

IX. Pondus hujus doctrinæ non parum aggra-

vatur per *corruptionis humanæ* indolem, per quam fit, ut non facile *ultro* aut *diu* in hujus generis veritatibus expendendis hæreamus. Unde quæ in plerisque systematibus Theologiæ Christianæ, præsertim recentioribus, huc faciunt, ad introductionem in hujus scientiæ adeo necessariæ adyta non sufficere videntur.

X. Sed & illa vivimus eheu! tempora, in quibus præjudicia contra veram vitæ Christianæ sanctimoniam, si usquam alias, invalescunt, ac pernicioſi circa *opus fidei* errores *intus* æque ac *foras* foventur, disseminantur, coloribusque variis incrustantur. Quare nihil magis ad ædificationem promovendam requiritur, quam ut defectui, qui circa tradendas inculcandasque Veritates Practicas in Scholas æque ac Ecclesias irrepsisse videtur, utcunque consulatur.

XI. Et hæc sufficient contra frivolas quorundam exceptiones, qui hanc Theologiæ partem magnorum Theologorum cura parum dignam, ac per claritatem simplicitatemque suam ingeniis sublimioribus contemnendam pene, non saltem aliter, quam in transitu tantum tangendam esse, dictis aut saltem praxi constanti insinuant. Utinam has inter aquilas sublimi vertice sidera ferientes non essent, quibus dici potest, *Tu es Magister in Israele & hæc non nosti?* Joh. III. 10.

XII. Singularem sane ab omni ævo curam huic scientiæ tradendæ atque illustrandæ non solum ipse *Deus* & summus noster *Servator* in terris docens, aliique Viri Θεόπνευστοι, *Salomo* præcipue & *Paulus*, utrique *Sapientiæ* cœlestis *Prodigia*, sed etiam alia præclara lumina impenderunt.

runt. In hoc campo vela ingenii sui non solum infeliciori conatu maximi Gentium *Philosophi*, sed & præstantissimi *Ecclesiæ* tam *Judaicæ*, quam *Christianæ* Doctores, vento magis secundo utentes, explicuerunt. Horum vestigia premere, horum humeris insidere, horum monita *concinniori*, si pote, *ordine* digerere, glorioſum nobis erit.

XIII. Cum autem illa *methodus* tam ad *institutionem*, quam ad *convictionem popularem*, qualem hujus scientiæ indoles requirit, ut salutarem effectum nanciscatur, magis sit idonea, quæ ex certis clarisque principiis generalibus singulas veritates deducit, & ab eorum tractatione ad specialiorum momentorum excussionem progreditur, nos quoque hanc lineam sequemur, ut priori libro, quæ generatim Scientiæ Activæ *subjectum*, *normam* & *elementa* quasi ad omnes spectantia concernunt, explicemus. His fundamentis præmissis eo promtior in singulorum *agendorum* aut non *agendorum* pro variis statibus atque circumstantiis excussione progressus dabitur.

XIV. Quæ ad generalem in hanc scientiam introductionem pertinent, secundum datam a nobis definitionem, primo *subjecta agentia* & deinceps ipsam *actionum formam* concernunt. Hæc autem secundum certam *normam* expressa partim *a scopo*, in quem feruntur, partim a *modo*, quo illum petunt, dependet.

CAPVT SECVNDVM.

De *subjectis*, seu *personis* ad quas proprie Theologia Activa spectat, *hominibus* nempe nude secundum *qualitates* eorum *naturales* consideratis.

SUMMARIUM.

I. Subjecta *Theologiæ activæ generatim recensentur* §. 1.

II. *Specialius agitur de* homine §. 2—14. *ejusque aptitudo ad Theologiam Activam monstratur. Illa,*

A. *Explicatur* 2—13

1. *Quoad singulas partes* §. 2—6. *Hæ enim sunt factæ*

a. *Ad* agendum 2—4

α. *Tam* mens §. 2. 3.

א. *Quoad* facultates 2.

ב. *Quoad* affectus 3.

β. *Quam ipsum* corpus 4.

b. *Ad agendum* certo ordine *ac* scopo 5. 6.

α. *Sive in se spectentur* 5.

β. *Sive in nexu* 6.

2. *Quoad præstantes quasdam* qualitates §. 7—13. *quæ mentem in moderamine actionum juvant, quales sunt*

a. Conscientia 8. 9.

b. Libertas spontaneitatis 10. 11.

c. Im-

c. Immortalitas 12. 13.

B. *Limitatur.* 14.

I.

Cum *argumentum*, quod Theologia Activa tractat, versetur circa *agenda*, ante omnia constare debet de *personis*, quarum *actiones* hæc scientia format ac moderatur. Illas per se liquet esse subjecta *agendi* facultate instructa. Cum autem duo *creaturarum agentium* genera sint, *mentes* nempe *angelicæ* & *humanæ*, posteriorum duntaxat, directe saltem, hic rationem habemus; priorum autem nonnisi, in quantum cum illis communionem quandam exercere, eosve in exemplum sibi proponere pii possunt. Spectandi cæterum homines illi neque in statu *integritatis*, in quo fuere, neque in *statu consummationis*, in quo futuri sunt, sed in statu, *quo nunc sunt*, & utilitatem ex hac scientia haurire possunt; ut constet, quousque *potentia* tam *physica*, quam *morali* ad *agendum* instructi sint.

II. *Agendi facultate* in homine sola *mens* נשמה / נפש / רוח / & secundum Græcos φρὴν, νῦς, πνεῦμα, ψυχὴ, διάνοια, seu improprie *cor* ejus, pollet. Cum enim essentia mentis *cogitando* absolvatur, *cogitare* revera est *agere*. In mente potissimam agendi vim exercet *voluntas*. Inter duas enim facultates principales seu mavis, duos generales *cogitandi modos*, quos *intellectum* משכיל / νόημα seu metaphorice *oculos* atque *aures*, & *voluntatem*, חפץ βελὴν, θέλημα ac strictiori usu *cor* appellamus, prior magis *passive* posterior magis

active se habet. Hinc & *memoriam* & *phantasiam*, quibus imagines rerum recipimus, intellectui; *ratiocinationem*, λογισμὸν, συνεσιν autem, & *judicium* δοκιμασίαν, φρόνησιν, per quas gradatim nos determinare incipimus, magis voluntati tribuimus. Nihilominus recte *toti* homini *actiones* adscribuntur. Nam licet voluntas *solum* in emphasi agat, *sola* tamen nullam actionem proprie dictam ciere potest. Ad omnes actiones *intellectus* ut *principium*, ad plerasque *corpus* per *sensationes* ut *instrumentum* concurrere debet.

III. Maximam varietatem formæ actionum humanarum induunt *affectus*, נפש/ θυμὸς, per quos voluntas in singula momenta quasi in novas formas funditur, idque pro diversitate tum *objectorum*, tum *modi*, quo illa se repræsentant, tum *effectuum*, quos illa repræsentatio habet.

(1) Objecta alia ad *judicium* φρόνημα, alia ad strictam *voluntatis determinationem* θέλημα, pertinent. Priora in obtutu primo *admirationem*, in pressiori defixione *approbationem & improbationem*; posteriora voluntatem inclinando *amorem*, avertendo *odium* gignunt. Ex hisce fontibus totus reliquorum affectuum particularium exercitus prosilit. Cum autem

(2) *Repræsentatio* objectorum aut per *puram* intellectus *perceptionem* aut per *sensus* oriatur, hinc alii *affectus* sunt *intellectuales*, quos homo cum meris mentibus communes habet, alii *sensuales* ex vinculo mentis cum corpore oriundi, quos *passiones* πάθη strictius nominare licet. Prout vero

(3) *Repræsentatio* illa magis minusque viva est,

ipsi

ipsi affectus *vehementiores*, aut *remissiores* sunt. Cæterum duplex affectuum circa *actiones* munus est; *antecedens*, dum ab objectis producti voluntatem ad agendum impellunt, & *consequens*, dum per ipsam voluntatis seriam determinationem excitati facilitatem agendi promovent.

IV. Nihil magis ab *agendo* per naturam suam remotum est, quam *corpus*. *Agere* enim & *moveri* toto cœlo differunt. Nihilominus in actionibus humanis propter arctam & admirabilem cum anima conjunctionem hoc quoque partes quasdam habet. Nam & *antecedenter* de variorum objectorum præsentia intellectum admonet, circa quæ voluntatis determinatio requiritur; & *consequenter* a voluntate ita intime movetur, ut plurimi motus, tam in ipso corpore, quam per illud in aliis corporibus excitati, inter *actiones humanas* recte referantur.

V. Activitas hæc totius hominis ita se habet, ut facile appareat, illum Scientiæ *moralis*, quæ has actiones moderatur & rite ad certum finem dirigit, & percipiendæ & exercendæ capacem esse. Hoc liquet ex singulis mentis *facultatibus*. *Intellectum* habere semina veritatum moralium deinceps videbitur. Officium ergo suum potest cognoscere. *Phantasia* eum juvat ad totam illius latitudinem & motivas quascunque sibi repræsentandas. Per *memoriam* hæ imagines constanter in penetralibus mentis conservari queunt. *Ratiocinationis* medio & argumentorum cum officiis nexum agnoscit, & specialiora ex generalioribus deducit. *Judicii* lance æquum & iniquum dirimit, & id, quod rationibus suis magis, minusve con-

convenit, approbat, eligit, reprobat. *Voluntatis* determinatio est ipsa actionis consummatio sive imperfectior per *velleitates*, quæ nisi obstacula interveniissent, eventum sortita fuissent, sive perfectior per *volitiones*, effectum ipsum sistentes. *Affectus* autem & quodammodo *corpus* ipsum agendi facilitatem præstant. Quis non perspicit, hominem esse creaturam ad id factam, ut certo ordine *actuosa* sit?

VI. Æque clare id elicitur ex *nexu*, qui est inter *voluntatem* & cæteras *facultates*. Ille enim ita se habet, ut illa *hinc* per eas excitata a determinatione circumstantiis, quæ se repræsentant, congrua nequeat se dispensare; *illinc* tale regimen in reliquas partes exerceat, a quo *moralis* actionum *bonitas* aut *pravitas* necessario dependet. Nam

(1) Constanter se determinat secundum *judicium*, quod prout secundum objectorum *intellectu* perceptorum indolem exercetur, recte aut secus se habet.

(2) Potentiam habet *ideas* in penu intellectus reconditas, etiamsi latentes, *suscitandi* atque in subsidium judicii vocandi.

(3) Ipsum corporis regimen ita mirifice est limitatum, ut membrorum ministerium multo magis usibus *moralibus*, quam *naturalibus* pateat.

VII. Specialius hanc naturæ totius hominis ad *morales actiones* dispositionem colligimus ex tribus singularibus perfectionibus, quæ non quidem ipsas facultates mentis humanæ, sed tamen veram earum *præstantiam* conficiunt, & certa ratione utrique facultati mentis communes sunt. Eas appellare solemus *conscientiam*, *libertatem* & *immortalita-*

litatem. Nihil magis hominem & idoneum reddit & impellit ad formam certam actionibus suis induendam, quam hæ facultates.

VIII. *Conscientiæ* vox, (quæ Græcæ *συνείδησις* & phrasi Hebraicæ רעות עם יהוה *scientia cum Jehova* Job XXXVI. 4. apte respondet,) cum sit πολύσημος, multis inanibus logomachiis ansam dedit. Has ut evitemus, observandum est, illam aut *objective* usurpari pro ipso *Rationis lumine*, de quo infra tanquam de prima omnium actionum moralium *norma* agemus; aut *subjective proprietatem* quandam, quæ ad mentis naturam pertinet, designare. Posterior notio iterum est bimembris: aut enim ipsas *facultates mentis*, ac sigillatim facultatem *judicandi* de qnocunque objecto morali exprimit, & eatenus ad *judicium* est referenda; aut actum *reflexum* mentis humanæ ad quascunque proprias operationes comprehendit, per quem cujuscunque suæ sive perceptionis sive determinationis, & qualitatis moralis, quæ ei inest, *intimum sensum* habet. Hæc proprietas omnium facultatum atque operationum mentis nostræ perpetuus comes est, cum ipsum *cogitare* nihil aliud sit, quam *agere cum Conscientia.* Sic usurpatur vox hæc Rom. II. 15. Hinc *Conscientia bona* dicitur, quæ sibi bene actorum est conscia 1. Petr. III. 16. *mala*, quæ malorum Hebr. X. 22.

IX. Postremam notionem hic respicimus. Per illam enim intimam actionum propriarum notitiam, per quam homo novit non solum quid agat, sed etiam quo modo, ex quo principio, ad quem finem operetur, integrum ei est de earum indole judicare & de moderamine earum prudenter

denter dispicere. Ad quod eo magis impellitur, dum observat, excusso illo actionum regimine confusionem horrendam fundum mentis obsidere, atque ab eo rite administrato veram animi tranquillitatem dependere experitur.

X. Ambiguitas major & periculosior in notione *Libertatis* hæret. Illum ut evitemus, notandum est, quod talis hic *libertas* mentis sit intelligenda, quam

(1) *Salva* sua *decentia* Deus creaturæ dat:

(2) Quæ naturæ *mentis finitæ* convenit:

(3) Quæ veram quandam ejus excellentiam constituit:

(4) Quæ fundamentum est regiminis, quod mens in proprias actiones exercet.

XI. Hæc *criteria* quam procul exulant a falsa Libertatis, uti dissentientes eam sibi fingunt, definitione, tam clare in illa *libertatis* specie se sistunt, quam *spontaneitatis* appellamus, quoniam in eo consistit, ut & intellectui non renitenti objecta se ingerant, & lumen ejus voluntas ultro sequatur.

XII. Hinc resultat, quod, quo clarior est intellectus perceptio & quo plenius secundum illam voluntas procedit, eo majori quoque mens polleat Libertatis gradu. Cum porro jucundissime agat, qui cum summa *lubentia* animi se determinat, per se iterum liquet, exercitium insitæ Libertatis hominem fortissime impellere, ut actiones suas rite moderetur. Unde tam sacræ quam profanæ paginæ veræ *Libertatis* possessionem viris *sapientibus* & *bonis* vindicare solent.

XIII. *Immortalitatis* candidatum hominis esse ani-

animum hic ſupponimus. Inter alia argumenta ipſa actionum *moralitas* eam ſupponit, quæ illa ſublata locum non haberet. Actio enim mentis, quæ momento ſequenti ceſſabit eſſe; & *imperium exercere* in ſuccedentem actionem, & *finem attingere*, adeoque & *habere*, nequit. Admiſſa autem *Immortalitate*, mens & *apta erit* & *impellitur* ad actionum ſuarum moderationem. *Aptitudo* ejus inde eluceſcit, quoniam ſemper actionum ſuarum in momenta ſuccedentia imperandarum Domina erit, curamque geret, ut illæ *finem* certum habeant atque attingant. Sed & nihil eam magis ad moderamen illud *inſtigat*, quam æternitatis recordatio. Quid enim eſt, a quo magis abhorreret per naturam ſuam, quam temone actionum abjecto in ſempiternæ confuſionis abyſſum ſe præcipitare?

XIV. Fatendum tamen, quod potentia ad agendum in omnibus hominibus non ſit æque magna. Nam & *facultatum* moralium *uſus* ab *infantia* paulatim creſcit, & multis imbecillitatibus ac morbis homines expoſiti ſunt, qui illum aut ad tempus ſuſpendunt, uti fit in *dormientibus* ac *febricitantibus*, aut plane tollunt, veluti in *mente captis* accidit. Atque inde major minorve exſurgit hominis ad Scientiam practicam capacitas.

CAPUT

CAPVT TERTIVM.

De homine secundum qualitates morales considerato in statu corruptionis.

SUMMARIUM.

I. *De* duplici statu hominis in genere *agitur* §. 1. 3. *ita ut*
A. Illum dari excluso statu tertio *probetur* 1. 2.
B. Quo ordine de eo agendum sit, *indicetur* 3.
II. *De* statu corrupto in specie 4 --- 32. *tractatur*
A. Descriptio *ejus datur* 4 --- 29.
1. *Per* definitionem tam nominis, quam rei 4
2. *Per* deductionem ejus 5 --- 29.
a. *Quoad essentiam corruptionis* 5 --- 14.
α. Quatenus est habitus perversus 5 --- 13.
N. Nomina *illum experimenta* 6.
D. Attributa *illum exaggerantia* 7 --- 13.
a. Fœditas 7.
b. Universalitas 8 --- 12. *quæ*
a. *Per partes deducitur* 8 --- 11.
b. *Contra objectiones defenditur* 12.
c. Insuperabilis vis 13.
β. *Quatenus per* pravas actiones *se exserit* 14.

b. *Quo-*

b. *Quoad circumstantias* 15 --- 29. *in quibus occurrunt*
α. Diversitas pravarum affectionum 15. 16. *quæ*
א. Enarratur 15.
ב. Causæ ejus indicantur 16.
β. Graduum *distinctio* 17 --- 29.
א. *In ipso* habitu pravo 17 --- 25. *secundum duas classes*
a. *Sub* statu securitatis carnalis 18 --- 22.
b. *Sub* statu excitatæ conscientiæ 23 --- 25.
ב. *In* actibus vitiosis 26 --- 29. *qui sunt*
a. *Aut* statui corrupto *quodammodo* cum statu gratiæ communes 27. 28.
b. *Aut* statui corrupto peculiares 29.
B. Relatio hominis *in hoc statu ad* doctrinam moralem *explicatur* 30 --- 32. *ita ut doceatur*
1. Quousque ejus objectum non sit 30.
2. Quousque illud sit 31. 32.
a. Indirecte 31.
b. Directe 32.

I.

In duas partes contrarias genus hominum universum, quale nunc est, scinditur, *bonos & malos, justos & injustos* Rom. II. 6. seq. Act. XXIV. 15.

Scriptura Sacra jam a Paradiso hanc distinctionem orditur, in quo inter *semen serpentis* & *mulieris* perpetua inimicitia est posita Gen. III. 15. idque secundum æternum propositum Dei, Rom. IX. 22. 23. quod hactenus validum fuisse Scriptura æque ac experientia testatur, & ad finem mundi valiturum esse verbum Propheticum docet. Hæc diversitas gignit duos diversos *Status*, nempe *Statum corruptionis* quem vulgo *Statum naturæ* appellant, & *Statum gratiæ*, quos Scriptura considerat, ut duo *Regna* contra se invicem perpetuo belligerantia Matth. XI. 12. Col. I. 13.

II. Sub alterutro horum Regnorum unusquisque mortalis in hac vita degit. Tertium & medium quasi statum, qualem fingunt, qui statum *bestialitatis*, *humanitatis* ac *Christianismi* distinguunt, Scriptura rejicit. Matth. VI. 24. VII. 13. 14. XII. 30. Et ipsa ratio illum evertit, quæ quicquid a *bono* divergit, *malum* esse docet.

III. Ut ergo penitius *subjecta*, quorum actionibus Theologia activa formam inducit, dignoscantur, singulorum horum statuum tum *indoles* tum *dispositio* ad hanc doctrinam expendi debet.

IV. Status, in quo omnes homines nascuntur, & plerique perseverant, est STATUS CORRUPTIONIS, qui Statui *integritatis*, in quo homo ad *imaginem Dei* erat conditus, e diametro contrariatur, ac propterea dicitur שחת *corruptio*, עון *pravitas*, משובה *aversio*, & ita porro. Corruptio hæc non est *physica*, sed *moralis*, & consistit in eo, ut omnis præcellentia, quæ *actuositati*, *actionibusque* humanis per imaginem Dei inerat, sublata sit, atque in contrariam confusionem & defor-

deformitatem fuerit mutata. Hujus cataſtrophes origo & hiſtoria alibi pertractatur. Nos ſimpliciter effectum triſtem, quem etiamnum in tota Adami poſteritate hæc labes exhibet, reſpicimus. Poteſt autem ſpectari vel quoad *eſſentiam*, quæ omnibus peccatoribus communis eſt, vel quoad *circumſtantias*, quæ diverſimode in diverſis peccatoribus ſe habent.

V. In genere ſpectata *corruptio* ſub ſe comprehendit tum *habitum* quendam vitioſum peccatori inhærentem, tum *actiones* perverſas, quæ inde indeſinenter profluunt.

VI. *Corruptio habitualis* nomine *carnis* inſignitur Joh. III. 6. Rom. VIII. 5. 8. Gal. v. 17. &c. Ad vivum miſeriæ ejus ſpeculum exhibendum faciunt emblemata *tenebrarum*, *deformitatis*, *impuritatis*, *fœtoris*, *ſervitutis*, *carceris*, *vinculorum*, *foveæ*, *morbi* turpiſſimi, qualis v. gr. *lepra*, quin *mortis* Eph. II. 1. 5. Col. II. 13. Joh. v. 25. &c. Quanto cum jure hæ expreſſiones adhibeantur, liquet ex corruptionis hujus *fœditate*, *univerſalitate* & *inſuperabili* tenacitate.

VII. Status eſt *fœdiſſimus*, quia involvit non ſolum priſtinæ excellentiæ everſionem, ſed etiam contrariæ turpitudinis tantam inductionem, ut & abominationi Deo omnibusque ſanctis ſit, & venenum ſuum in alias quoque creaturas diffundat. Hoc tot impuritates ac maledictiones Legales olim adumbrarunt. Hinc non *brutis* ſolum, ſed noxiis etiam *feris* ac *belluis* peccator ſæpe aſſimilatur, aut præfertur.

VIII. Corruptio hæc eſt *univerſalis* tam *objecti-*

ve, quoniam *omnium vitiorum radicem* in se comprehendit; quam *subjective*, quoniam

(1) In *omnibus* est *hominibus* Rom. III. 10. 11. 19.

(2) A primo eorum ortu Gen. VI. 5. ad ultimum vitæ, nisi gratia divina intercedat, momentum, adeoque *omni tempore*.

(3) In *omnes facultates* partesque hominis se diffundit, instar *fermenti* totam massam corrumpentis. Unde & emphatice *vetus homo* Rom. VI. 6. Eph. IV. 22. Col. III. 9. dicitur.

IX. *Intellectus* sane quantum ignorantia veritatum salutarium laborat, 1. Cor. II. 14. tam perspicax est in illis, quæ ad concupiscentias pravas titillandas explendasque faciunt Jerem. IV. 22. *Phantasia* corporeis falsisque imaginibus ita est repleta, ut spiritualia ac vera sibi debite repræsentare nequeat. *Memoriam* solorum futilium tenacem *oblivio* officii occupat. *Conscientia* aut non consulitur, aut opprimitur ac frænatur.

X. In *voluntatis ratiocinio judicioque Sapientiæ, Prudentiæque* locum occupavit *Error* ac *Stultitia*. *Inclinatio* autem ejus ita est corrupta, ut omni veri summique boni desiderio exuta, ad malum sub falsa boni specie occurrens semper propendeat. Hinc non solum intellectus judiciique cœcitas augetur 2. Petr. III. 5. Rom. I. 28. Eph. IV. 17. 18. sed etiam summa in *affectibus* exoritur confusio Jes. LVII. 20. Nam in voluntatem dominantur 2. Petr. II. 19. a bono eum præpedientes, & in omne malum cum impetu rapientes.

XI. *Corpus* ipsum hæc tabes inquinavit, quod inde

inde *corpus peccati* ac *mortis* dicitur Rom. VI. 6. VII. 24. cujus *membra* sunt *arma injustitiæ* Rom. VI. 12. 13. non quasi corpus aut peccet, aut peccati prima origo sit, sed quia voluntas eo abutitur & cupiditatibus suis idoneum instrumentum in eo possidet. Præterea communicatio, quam corpus per *sensus* cum *rebus mundanis* habet, nova semper cupiditatibus perversis alimenta subministrat, ita ut *oculi*, *manus*, *pedes* identidem *scandalum* objiciant Matth. V. 29. 30. XVIII. 8. 9.

XII. Neque hæc corruptionis universalitas ex eo destruitur, quod supersint *rudera* quædam pristinæ imaginis divinæ in omnibus hominibus, quodque *viribus naturæ* quidam subnixi multa malitiæ habitualis effecta expugnaverint. *Rudera* enim illa nihil sunt nisi ruinæ destructi ædificii, ex quibus duntaxat colligitur, quantum illud fuerit. Et quamvis *motus* quidam mali in quibusdam minus fuerint conspicui, nihilominus radix intacta mansit.

XIII. Miseriam tantæ turpitudinis id auget, quod sit *insuperabilis* omnibus viribus carnis per totalem impotentiam hominis; quam aliis contra *liberi arbitrii* patronos ex Scriptura ac ratione defendimus.

XIV. Habitus eousque corruptus actionum pravarum innumerabilium est scaturigo Ps. XIX. 13. Job. IX. 3. uti vel ex eo patet, quia, quamdiu homo sibi relictus, quicquid aut moliatur animo, aut ore atque opere proferat, *non aliter*, quam *male* agit, siquidem & vero *principio* & legitimo *modo* atque *fine* omnes ejus actiones carent. Hinc

omnia *cogitata*, *dicta*, *facta* uniuscujusque irregeniti nil nisi peccata sunt, sive eorum recordetur, sive oblivioni ea mandaverit. Accedunt duæ circumstantiæ aggravantes.

(1) Inter innumera illa peccata nullum est, quod non per suam contra sanctitatem Dei pugnam omnia vincula unionis cum eo ruperit, & per violationem juris ac majestatis divinæ æterna morte dignum sit.

(2) Præterea singulis pravis actionibus & *omissio boni* & *commissio mali*, adeoque duplex fœditas & duplex culpa æterna maledictione digna ineſt Jerem. 11. 12. 13 Jac. IV. 17. Rom. VII. 9. Unde quam horrendum sit, adeo immenso tantarum noxarum cumulo premi, abunde liquet.

XV. Cæterum non una in hoc statu *morbi lethalis*, quo omnes laborant, occurrit *varietas*. Nam, quod ipsum perversum concernit *habitum*, *passiones* diversæ in his, diversæ in illis *dominantur*: unde per se fluit, ut alii in hos, alii in alios actus peccaminosos prorumpant: quin ut iidem hodie his, cras aliis concupiscentiarum stimulis agitentur. Hinc Regnum tenebrarum est Regnum meræ *confusionis*.

XVI. Diversitatis hujus complures exstant ac sæpenumero concurrunt causæ, *interne* temperamenti *sanguinis* varia multisque mutationibus obnoxia *mixtura*; *externe educationis* ratio; *exempla* ad imitationem invitantia, *consuetudine*: *prava*, præsertim generaliores & quæ diuturnitate invaluerunt, *objectorum* boni malive specie illudentium in mundo *differentia*, *ætatis*, *sexusque* discrimina, quin & specialis, quam unusquisque sequitur,

vitæ

vitæ conditio. Hæc tamen omnia providentiæ divinæ subjecta sunt, quæ malitiam cordis ab omni parte spectandam exhibere vult. Quin diversas Ecclesiæ Oeconomias Deus ita moderatus est, ut diversæ malitiæ atque impotentiæ carnis facies in apricum producerentur.

XVII. Potissimam attentionem meretur *gradum* in hoc statu diversitas. Nam *malitia inhærens* magis in illis apparet, qui absque omni salutis cura peccatis ingurgitati sunt, minus in illis, qui aliquatenus convicti sunt. In illis *conscientia dormiens* omnem salutis spem præscindit, in his *evigilans* aliquam præstat.

XVIII. Priorem classem consideramus ut constitutam sub *Statu securitatis carnalis*, qualis describitur 1. Thess. v. 6. Prov. xxiii. 34. 35. Hæc pro variis caussis varios iterum gradus nanciscitur. Nam

(1) Nascitur ex *ignorantia* Eccl. viii. 6. Deut. xxxii. 29. quæ nunquam in totum excusat Rom. ii. 11. 12. Nihilominus magis minusve est *excusabilis* pro mediorum cognitionis sufficientia ac defectu. Luc. xii. 47. 48.

(2) Ex supina salutis *negligentia* quæ *mulis, asinis*, aliisque brutis similes reddit Ps. xxxii. 9. Jes. i. 3.

(3) Ex *obstinatione* contra lucem veritatis.

XIX. Posterior hæc emphatice in sacris describitur. Est enim σκληροκαρδία Matth. xix. 8. σκληροτραχηλία Act. vii. 51. *cor lapideum* Ezech. xxxvi. 26. *incircumcisum* Jerem. ix. 26. &c. Exemplum singulare exhibet Pharao, nec non Zedekia 2. Chron. xxxvi. 13. Dupliciter autem se

exserit, tum per salutis *contemtum*, tum per directam *contra veritatem pugnam*.

XX. *Contemtus salutis* exercetur.

(a) Per longanimitatis divinæ abusum Rom. II. 4. 5.

(b) Per rejectionem consilii, quod in verbo Dei exhibetur Prov. I. 25. Jerem. VI. 16. 17. Hinc sequitur, quod, quo clarius & efficacius consilium hoc exhibetur, eo turpior evadat *contemtus*. Atque eapropter singulare momentum ad contemtus hujus crimen exaggerandum affert gratiosa Evangelii sub Oeconomia Novi Testamenti dispensatio Hebr. II. 2. 3. X. 28. 29.

(c) Per ipsorum judiciorum, quæ aut alios jam consumserunt, aut ipsis male agentibus prope impendent, vilipendium. De priori Jerem. III. 8. 9. de posteriori Jerem. V. 2. 3. Atrocius est, quando illi, qui judicia divina reapse experti sunt, illis remittentibus ad vomitum redeunt Exod. IX. 34. 35. Amos. IV. 6. sq.

XXI. *Contra* veritatem aut *defensive* aut *offensive pugnatur*. Prius fit tum per mediorum gratiæ evitationem, tum per varia *effugia* ac *prætextus*, quibus peccator sibi illudit & contra rectiora monentes se defendit. *Offensive* aciem instruunt, qui sive verbis quoad veritatem *prophanis*, quoad personas *contumeliosis*, sive denique *persecutionibus* atrocioribus insurgunt contra illos, a quibus corripiuntur Jud. vs. 15. Jes. LIX. 14. 15. Joh. XV. 21. Subtilius, sed & passim infelicius, idem faciunt, qui conscientiæ morsus violentis remediis, vino, alea, pravis consortiis opprimere contendunt, verum ita agentes id duntaxat lucrantur, ut

ut *conscientiam* adipiscantur *cauteriatam*. 1. Tim. IV. 2.

XXII. Ut autem ad hoc fastigium *malitia* aliquando pertingat, *a parte Dei* intercedit *judicium* justissimum in illos, qui mediis salutis diu sunt abusi, quod sapientissimum circa quosdam dispensatur, ut summum robur tyrannidis renebrarum appareat. Verum *a parte hominis* accedit ipsius corruptionis indoles, per quam fit, ut in vitiositate æque ac in sanctimonia progressus detur Apoc. XXII. 11. 2. Petr. II. 20.

XXIII. Altera classis peccatorum degit in *Statu convictionis* sive *excitatæ conscientiæ*, per quem quasi in confinio proximo Regni gratiæ versantur Act. XXVI. 28. In hunc statum perducti sunt per ἔλεγχον, תּוֹכַחַת *convictionem*, quam Spiritus sanctus non solum *castigans gentes* per opera Dei externa traditionisque Patriarchalis reliquias Ps. XCIV. 10. sed multo magis per præconium verbi sub externa vocatione adhibet, ut veritatis salutaris pondus viæque ad vitam necessariam inflexionem peccator agnoscat Joh. XVI. 8. Hebr. IV. 12. Hæ convictiones sæpe *salutares* sunt; sed & sæpiuscule *abortiuntur*. Illas *genuinas*, has *spurias* appellamus; & in hoc casu *varios effectus* iterum gignunt.

XXIV. *Tristiores* effectus in illis sunt conspicui, qui aut *melancholicis terroribus* acti desperationis laqueo irretiuntur; aut suppressis conscientiæ motibus in majorem *obdurationem* incidunt; aut, cum veritatem oppugnare nequeant, *hypocritice* ei se subjiciunt; aut præparatorios hos motus pro

initiis gratiæ reputantes, se ipsos misere *decipiunt*.

XXV. *Tolerabilior* eorum sors est, qui vi conscientiæ adacti multa carnis inquinamenta exuunt, externe quoque media gratiæ usurpant, verum ulterius non progrediuntur, quoniam aut *impotentiam* suam prætendunt, aut conversionem suam sub variis prætextibus *procrastinant*.

XXVI. Circa *actus* quoque *vitiosos* distinctio est observanda. Quidam enim sunt huic *statui* cum *statu gratiæ* communes, alii *statui corruptionis* privative congruunt.

XXVII. Quoad priorem classem notamus, *materiam* quidem *actionis pravæ* eandem esse, a quocunque edatur, nihilominus accedere posse circumstantias *personarum*, *locorum*, *temporum*, per quas idem numero peccatum plus minusve a statu gratiæ abludit. Tolerari adeoque possunt in *idiota*, in asperiori *persecutione* ac præsenti mortis periculo, nec non sub Oeconomia *Legis*, quæ non possunt excusari in *Doctore*, in *serenis* temporibus, & sub Oeconomia *Evangelii*.

XXVIII. Potissimum autem inter utriusque status peccata discrimen interior eorum forma constituit. Qui enim gratia salutari destitutus est, cum nullum aliud principium agens & impellens, quam carnem, in se habeat, *luctæ* contra peccatum, nisi quatenus uno vitioso affectu alium expugnat, est ignarus, & fixum habet male agendi *propositum*, & *pœnitentiæ* circa peccatum, qua tale, expers est. Hinc *malum facere* cum emphasi ipsi tribui solet Joh. III. 20. 8.

XXIX. Actionum autem, quæ corrupto statui

tui *ſolum* competunt, aliæ aliis ſunt *atrociores*. Quædam intra *conatum* ſubſiſtunt, aliæ plene *perpetrantur*. Et inter has eminent, quas Scriptura *peccata clamantia* nominat Gen. IV. 10. XVIII. 20. Jac. V. 4. aut quæ *elata manu* fiunt Num. XV. 30. Job. XV. 25. Continuatio frequentior talium actionum, per quam *adjicitur peccatum peccato* Jeſ. XXX. 1. Ezech. XXIII. 14. ſingulare momentum habet ad corruptionem habitualem obfirmandam atque augendam, unde eorum eſt, qui *ſe vendiderunt ad faciendum malum*, 1. Reg. XXI. 20. 25. 2. Reg. XVII. 17. Atrociſſima ſunt, quæ pro *irremiſſibilibus* declarantur, quorum exempla prudenter ad ſimiles caſus transferenda occurrunt Matth. XII. 31. 32. Hebr. VI. 4—6. X. 26. 1. Joh. V. 16. 17.

XXX. Quando *ſtatus* hic confertur cum indole vera *Theologiæ activæ*, certum eſt, quod doctrina ejus, quum præciſe & ſecundum ſcopum Dei illam revelantis rem perpendimus, ad hanc hominum claſſem directe non pertineat. Nam ad operandum ſecundum *Legem operum* peccator nullas vires habet. Formula autem *Fœderis gratiæ*, qualem Evangelium proponit, ad illum non pertinet, qui in illud tranſire hactenus noluit.

XXXI. Nihilominus plane otioſa circa *ſtatum corruptionis* hæc ſcientia non eſt, ſed diverſimode circa eum verſatur. Primo *per indirectum* illum excutere & cum ſtatu gratiæ conferre *regenitis* maximi momenti eſt, ut illi, qui ex eo ſunt liberati, accuratius cognoſcantur, & ad varia *gratitudinis* erga Deum *humilitatis* quoad ſeipſos, ac *miſericordiæ* erga proximum officia incitentur.

XXXII.

XXXII. Quin & *directe*. prout occasio se sistit, hominem *irregentium* hac doctrina imbuere juvat.

(1) Deus exigendi obedientiam etiam ab illis, qui in peccatis mortui sunt, jus habet, quia vigor Fœderis operum per amissionem imaginis divinæ non destruitur, & quia homo corruptus in hac vita per longanimitatem Dei novis *beneficiorum* vinculis constringitur.

(2) Conversio *hypocritica* a *sincera* non semper quoad alios distingui potest.

(3) Multo magis obscurum est, an qui adhuc dum in statu peccati degunt, non in futurum convertendi sint.

(4) Quoad illos etiam, qui in peccatis ad finem perseverant, doctrina hæc utilis est, quia ipsos sæpenumero ab atrocioribus peccatis absterret, & ad jus Dei cum horrore agnoscendum adigit.

(5) Quoad illos, qui adhuc sunt convertendi, scientiæ hujus diligens tractatio medium salutare erit ad emendationem eorum promovendam, & ad illos sub initiis gratiæ dirigendos.

CAPUT QUARTUM.

De homine spectato in statu gratiæ.

SUMMARIUM.

I. Status gratiæ indoles *vera edocetur* §. 1---19.

A. *Ex consideratione* nominis 1---1.
B. *Ex* rei *ipsius descriptione* 4---29.
1. *Præmittitur* definitio 4.
2. *Per partes eadem* deducitur 5---29.
a. *Quoad* essentialia *hujus status* 5---14.
α. *Quatenus est* habitualis *in homine* 5---12. *Ubi*
א. *Habitualis illa* qualitas *in genere describitur* 5.
ב. *Præcipuæ ejus* perfectiones *enumerantur* 6---12. *quæ sunt.*
a. Decentia 6.
b. Universalitas 7--11.
c. Insuperabile robur 12.
β. *Quatenus* in actionibus *elicitis demonstratur* 13.
b. *Quoad* accidentalia *secundum varios* gradus *& mutationes* 14---29.
α. *Hæ ad duplicem statum referuntur* 14.
β. *Uterque separatim excutitur* 15---29.
א. *In se* 15---27.
a. Status imperfectionis 15---22.
α. *Ejus qualitas* 15---19.
*. *Dividitur in statum* infantum & ægrotorum 15.
**. *Primaria ejus* symptomata *exhibentur* 16---19.
b. Ejus causæ 20---22.
†. *Physicæ* 20.
††. *Morales* 21. 22.
b. Status perfectionis 23---27.
α. *Ejus qualitas docetur* 23---26.

*. *Per*

*. *Per* nominis *elucidationem* 23.
**. *Per* rei *ipsius explicationem* 24--26. *ita ut* perfectio Christiana
,. *In sua* amplitudine *exponatur* 24. 25.
,,. *Debite limitetur* 26.
b. *Ejus* causſa *ostendatur* 27.
ב. *Relate ad* Ecclesiam 28. 29. *ejusque*
a. Tum œconomias 28.
b. Tum periodos *& vicissitudines* 29.
II. Relatio *status gratiæ ad Theologiam activam* ostenditur 30---32.
A. *Vera sententia proponitur* 30. 31.
1. *Negative* 30.
2. *Positive* 31.
B. *Scopuli vitandi indicantur* 32.

I.

Oppositus statui corrupto est STATUS GRATIÆ, qui nomen a *gratia* sortitur, quoniam *gratiam Dei* pro unico fundamento habet, sive *in se*, sive *comparate* cum aliis statibus consideretur.

II. *In se* est merus status *gratiæ*, quoniam originem & *existentiæ* & *continuationis* in solidum gratiæ divinæ debet. *Existentiæ*, siquidem effectus est gratiosi beneplaciti *Patris*, gratiosi meriti *Filii*, & gratiosæ operationis *Spiritus sancti*. *Continuationis*, quoniam illa a continuato influxu gra-

gratiæ *illuminantis*, *justificantis*, *sanctificantis*, *conservantis* secundum Oeconomiam gratiæ penitus dependet.

III. Per fundamentum *oppositus* est hic status *statui corruptionis*, quoniam homo in illo non amplius *justitiæ*, sed solius *misericordiæ* divinæ objectum est. Nec minus *distinctus* est *a statu integritatis & gloriæ*: ab *illo*, quia id, quo homo *placere* Deo potest, in ipso non reperitur, sed paulatim producitur; ab *hoc*, quia tanta huic statui adhæret *imperfectio*, ut regenitus misericordia divina ad singula momenta indigeat, ne ex eo iterum excidat.

IV. Intelligimus ergo hic præcise illum statum, *per quem pristina rectitudo imaginis divinæ, quæ intercedente lapsu amissa erat, paulatim restituitur, & in quo electus ac redemtus statim ab initio conversionis, usque ad exitum ex hoc mundo degit.* Eodem vero, quo supra, ordine hic iterum inter *essentiam* & *circumstantias* ejus distinguendum est.

V. Quoad *essentiam* in homine heic deprehendimus *habitum novum* corruptioni nativæ contrarium per regenerationem productum, quem Scriptura *Spiritum* nominat Joh. III. 6. Gal. v. 17. &c. & sub emblematibus *lucis* Ephes. v. 8. nec non *munditiei*, *pulchritudinis*, *libertatis*, *sanitatis* pingit. Frequentissimum autem est schema *vitæ*, Gal. II, 19. 20. Rom. VI. 4. Joh. v. 24. *Vita* hæc non solum *figurate*, sed etiam *per excellentiam* est intelligenda, quoniam talem statum exprimit, in quo perfectissima vitæ species initialiter possidetur. Unde etiam gaudet qualitatibus excel-

excellentibus, per quas statui corrupto e diametro est oppositus.

VI. Status igitur, quem hic definimus, primo est *dignissimus* & *decentissimus*, utpote qui veram hominis כבוד *gloriam*, constituit, per quem redit *imago Dei*, quæ idoneum reddit ad communionem cum Deo exercendam Col. I. 12. 1. Joh. I. 7. & objectum est complacentiæ Domini, gaudii Angelorum, approbationis omnium sanctorum. Unde *justus præstantior proximo* suo declaratur Prov. XII. 26.

VII. Rectitudo hæc porro est *universalis*.

(1) Quoad *omnes electos*, qui *in Christo sunt* Jerem. XXXI. 34. Joh. VI. 37. 45.

(2) *Omni tempori*, quoniam principium vitale Spiritus sancti indesinenter in regenitis est actuosum Joh. XIV. 16. 17. Jes. LIV. 10.

(3) Quoad omnes singulorum facultates & partes 1. Thess. V. 25. Unde habitus hic *novus homo* appellatur Eph. IV. 24. Col. III. 10.

VIII. Radix sedesque glorioſæ hujus formæ est in mente. Unde dicitur *homo interior* Eph. III. 16. & *occultus cordis* 1. Petr. III. 4. Intellectus enim nova *cognitionis luce* radiat Eph. I. 18. 2. Cor. IV. 6. Per illam rectum de Dei perfectionibus & operibus nec non de sua natura & relationibus conceptum format; in quo juvatur a *phantasia* objecta secundum veram indolem sibi repræsentare & circa *invisibilia* magis quam *visibilia* occupari adsuescente, *memoria* veritates majoris momenti altius sibi infigente, & *conscientia*, cujus dictamini resistere desiit.

IX. Secundum facem, quam *intellectus* præfert, *volun-*

voluntas dirigitur per *ratiocinationem* nexum veritatum cum attentione moraque majori examinantem Prov. II. 4. 5. & *judicium*, quod præjudiciorum catenis exsolutum *spiritualia spiritualiter dijudicat* 1. Cor. II. 14. 15. Phil. III. 7. Unde nascitur totalis inversio *propensionis*, sic ut non amplius *malum* sed *bonum* velit Rom. VI. 1. 9. 20.

X. Sic ipsa radice omnium actionum, quæ est *voluntas*, funditus immutata, affectibus etiam nova facies induitur. Regina enim eorum voluntas temonem de novo arripit, ad primos eorum impulsus attendit perque illos de novis objectis monita, examini eorum vacat, atque pro eorum natura affectus aut *frænare* aut *incitare* contendit, secundum exemplum Davidis Ps. CXXXI. 2.

XI. Ipsum corpus notabilem mutationem subit, tanquam *domus* a Domino atque incola meliori *cohonestata*, propter quem *Templum Spiritus sancti* 1. Cor. VI. 19. nominari meretur. Ex quo enim *membra* ejus *in arma justitiæ* sunt constituta Rom. VI. 13. *sigillum Dei* non solum in *fronte*, sed etiam in omnibus membris, præcipue in *lingua*, gerit. *Sensuum* quoque ministerio non ad fomitem concupiscentiæ suæ per creaturarum abusum, sed in illum finem uti contendit, ut in characteribus Creatoris, qui rebus invisibilibus sunt impressi, delicietur, & dominium in creaturas legitime exerceat. Sic regeniti *arbores* sunt, quorum ipsa *folia non marcescunt* Psalm I. 3.

XII. Singulare præterea præclari hujus habitus reducti *robur* est, ita ut non solum reliquiis per-

versæ naturæ, quin Satanæ & toti mundo, sit *inexpugnabilis*, sed etiam in corruptionis residuæ oppugnatione tamdiu persistat, donec plene eam expulit 1. Joh. v. 4. Rom. VIII. 37. Phil. IV. 13.

XIII. Cum autem *arbor bona* non possit *malos fructus* ferre Matth. VII. 18. XII. 35. hinc ex mutato in melius mentis habitu oriuntur *actiones bonæ*, eæque non secundum hoc illudve, sed secundum omnia præcepta Dei Luc. I. 6. Similes enim sibi ipsis ab omni parte esse enituntur, qui tanquam *lapides quadrati* ad spirituale Sanctuarium Domini adaptantur.

XIV. Hoc non obstante *imperfectione* notabili hic status laborat, propter reliquias *carnis*, quibuscum *Spiritus* perpetuo conflictandum habet. Prout autem illæ aut paulatim subjugantur, aut nova subinde incrementa accipiunt, ipse *status gratiæ* seu vitæ spiritualis tum *gradus* tum *vicissitudines* certas habet Prov. IV. 18. Hinc nascitur discrimen inter *statum imperfectionis* & *perfectionis*, Scriptura distinguente inter *imperfectos* & *perfectos* Eph. IV. 13. Uterque aut *in se*, aut *relate* ad varias Ecclesiæ *œconomias*, considerari potest.

XV. STATUS IMPERFECTIONIS is est, *in quo effectus gratiæ salutaris relate ad alios fideles aliorumve temporum experientiam admodum tenues apparent.* Obtinet autem hæc imperfectio vel in vitæ spiritualis *initio*, vel in *progressu*. In illo facultates spirituales nondum satis se exercuerunt, in hoc non recte impenduntur. Prior est *status infantiæ* qualis est puerorum relate ad *adultos* Hebr. V. 12. 13. 1. Joh. II. 12—14. posterior est

status

ſtatus ægritudinis, *ἀσθενείας*, *infirmitatis*, qualis eſt *ægrotorum*, ſive ex interna mala *diſpoſitione*, ſive ex *vulneribus* externe inflictis 1. Theſſ. v. 14. Ezech. xxx v. 4.

XVI. *Symptomata* utriusque ſtatus admodum propinqua ſunt, atque inter ſe alternant. Illi enim, qui jam aliquouſque in viis Domini videntur progreſſi eſſe, ad initia ſæpe relabuntur, & denuo *infantibus* ſimiles evadunt. Aliquando uterque ſtatus concurrit, quando in ipſo limine vitæ ſpiritualis impingitur. Sed & in varietate ſæpe Domini directio ludit, quando *pueri* multum præcurrunt eos, qui jam diu in gratia vixerunt, ita ut *centum annorum* eſſe videantur Jeſ. LXV. & *ultimi primi* evadant. Notari ergo tantum in genere debent, quæ ſtatum regeniti imperfectiorem reddunt.

XVII. Quum agimus de imperfectione ſpirituali, ſedem ejus in *anima* potiſſimum quærere debemus. Intellectus adeo modica eſt cognitio, ut *lacte* opus habeant, *non ſolido cibo* Hebr. v. 12. 1. Cor. II. 1. 2. *Judicium* præjudiciorum nebulis obſcuratum multa non ſolum *erroris*, ſed & *amentiæ* ac *ſtultitiæ* veſtigia reſidua oſtendit Gal. III. 1. Pſalm LXXXV. 9. Hinc in *voluntate* fidei & amoris multiplex naſcitur eclipſis, quapropter regeniti *calamo quaſſato* & *lino fumigante* conferri poſſunt Jeſ. XLII. 3. Mat 12.

XVIII. Cum interna diſpoſitione eousque infirmata connexa eſt labes, quæ ipſis *officiis* affricatur.

(1) Quædam *officia*, quamvis impleantur, debita tamen illis deeſt forma Apoc. III. 2. Certa

quidem ratione id de quibuscunque officiis prædicari potest. Nihilominus alia aliis magis sunt imperfecta, unde *manus remissæ & genua labantia* ipsis fidelibus tribuuntur Hebr. XII. 12.

(2) Quædam officia plane intermittuntur. Gal. V. 7.

(3) Quin variis *lapsibus, aberrationibus, vacillationibus* expositi sunt Jes. XL. 30. Ps. XIX. 13. Job. XXXIII. 10. veluti ex specialiori virtutum ac vitiorum recensione patebit. Lapsus hi alii aliis sunt graviores, & eousque aliquando progrediuntur, ut non tantum dubitari possit, an unquam verum gratiæ adfuerit initium, sed etiam nova & extraordinaria gratia ad scintillam residuam resuscitandam requiratur, quæ tanquam nova vivificatio ex sopore morti vicino consideratur Ps. CXIX. 25. Jes. LVI. 15. Unde etiam tales casus facile in exemplum non sunt trahendi.

XIX. Nihilominus in hac ipsa mortis spiritualis palpabile inter *lapsus* Sanctorum & *peccata dominantia*, irregenitorum discrimen supereſt. Turpissima regeniti commaculatio optimo aspectui hypocritæ conversi est præferenda. Spiritus a carne premitur, sed nunquam penitus opprimitur. Residua est *radix rei* Job. XIX. 28. & scintilla, quæ *refocillari* potest Apoc. III. 2. Ipsæ actiones pravæ non ex firmo animi proposito, sed ex *affectuum* abripiente *impetu* oriuntur Rom. VII. 15—17. Eædem conjunctæ sunt cum *conscientiæ mollitie* & ad convictiones novas suscipiendas facilitate, disponente ad seriam resipiscentiam, quæ semper sequitur, Cant. V. 1. 3. 4.

XX.

XX. Omnes hæ variationes dependent a liberrimo Dei beneplacito, cui placet in opere gratiæ *gradatim* procedere, multaque libertatis suæ exhibere specimina. Nihilominus consilio ejus & internæ ipsorum regenitorum dispositiones inserviunt. Quare *causas* infirmitatis in *illis ipsis* notare fas est. In quibusdam sunt *physicæ*, in illis nempe, in quibus facultatum naturalium usus secundum dicta Cap. 1. §. 14. laborat, sive illum parciorem a nativitate habeant, sive per immissos *morbos*, *senectutis incommoda* Eccl. XII. 3. aliave ratione perdiderint.

XXI. Plerumque tamen etiam accedunt *caussæ morales*, proxime in ipsis regenitis occurrentes, per insscitiam, incogitantiam, mediorum ad profectus urgendos idoneorum neglectum, gratiæ acceptæ vilipendium, vigilantiæ defectum, superbiam spiritualem, quæ talia sunt, ut non solum naturali sua indole animam robore spirituali privent, sed etiam justum Dei judicium provocent.

XXII. Accedunt graviores *tentationes* tam externæ quam internæ, suo loco latius enarrandæ, quarum licet Deus author non sit Jac. I. 13. nihilominus *sapienter* illas dispensat, ut ad tempus iis succumbant fideles, quoniam hoc pacto suam independentiam, misericordiam erga alios provocat.

XXIII. Oppositus huic infirmitati est *status* תמימה τελειότης, seu PERFECTIONIS CHRISTIANÆ, Col. III. 14. Hebr. V. 14. VI. 1. Cum autem illa duplex sit vel *imputata*, qua *in Christo perfecti sunt* credentes Col. II. 10.

vel *inhærens* per sanctificationem producta, postremam hic potissimum innuimus. Quoniam autem sic quoque nomen τελειωσις, *perfectio*, latius patet, hic præcise intelligimus *summum vitæ spiritualis, quem fidelibus in hac vita attingere datur, gradum*. Eph. IV. 13.

XXIV. Quamvis certissimum sit, perfectionem sanctis in hac vita non *absolute*, sed *comparate* secundum modulum suum tribui, eximium tamen statum & perfectioni Ecclesiæ triumphantis proximum per eam designari patet; unde tanquam peculiaris *glorificatio* fidelium consideratur 2. Cor. III. 8. Rom. VIII. 30.

XXV. In illis sane, qui hoc sensu *perfecti* dicuntur.

(1) Emicat profundior virtutum viarumque Dei per variam experientiam acquisita cognitio 1. Cor. II. 6. judicii spiritualis acumen & maturitas, ferventissimus voluntatis erga Deum amor, ex testimonio bonæ conscientiæ prognata fidei πληροφορια & fiducia, alacritas & robur ad omnia impedimenta mascule expugnanda, affectuum sedata tranquillitas, exemplaris totius externæ conversationis sanctimonia.

(2) Nec desunt sæpe *fructus* perfectiores in oculos occurrentes, quo referenda præcipue singularis in aliis Christo lucrandis atque charisma suum ad communem Ecclesiæ ædificationem impendendam zelus, nec non *facta heroica* in magnis afflictionibus & tentationibus, quorum catalogus occurrit Hebr. X. Confer præcipue vs. 33–38. Specialiora ab aliis adduntur, sed quæ minus

minus digna sunt, quam ut in hunc censum referantur.

XXVI. *Limites* certos ei ponere non licet. Generatim duos figit verbum Dei, unum per *promissiones*, alterum per *testimonia* aliis sanctis, quos inter *Paulus* eminet, data. Verum non expressiones tantum latius strictiusque sumi possunt, sed etiam neque promissiones passim sunt universales, neque modulus major, quo Deus quosdam donavit, temere omnibus est applicandus. Id liquet, neque omnes credentes ad hunc statum eniti, neque, qui illum obtinuerunt, omnibus vicissitudinibus ereptos esse.

XXVII. Vera atque unica tantorum profectuum caussa est eadem *gratia Dei*, a qua origo operis boni fuit Phil. 1. 6. Hebr. XII. 2. Licet enim ordinario per mediorum usum eousque fideles annitantur, media tamen illa neque per se quicquam valent, neque semper adhibentur. Sed illi, quos Deus ad perfectionis excellentiorem gradum vocat, *extraordinariis* Spiritus sancti *charismatibus* eum in finem imbuuntur. In *Deo* autem potissima ratio est merum ejus *beneplacitum*. Nihilominus suas quoque hic partes habet & *sapientia*, qua Deus exempla omnisufficientiæ suæ ad aliorum incitamentum extare, & *veracitas*, qua fidelitatem suorum initialiter jam in hac terra gratiose remunerare vult.

XXVIII. Diversitas & variatio horum statuum a *vicissitudinibus Ecclesiæ* non parum dependet. Ecclesia in genere Gal. IV. 1. sq. adsimilatur homini paulatim *crescenti*. Sub promissione similis fuit *infanti*, sub lege *puero* per pædagogos coër-

cendo, sub Evangelio *juveni*, qui ipse paulatim ad plenam *maturitatem* ultimis temporibus sistendam promovetur. Unde liquet majorem interioris hominis splendorem temporibus novi Testamenti, quam præcedentibus competere 1. Cor. I. 4–7. 2. Cor. III. 18. 1. Thess. I. 3.

XXIX. Habet tamen & Ecclesia N. T. *Lunæ* instar sua incrementa & decrementa. Apostolicæ Ecclesiæ *perfectio* singularis laudatur Ps. L. 2. Cant. I. 15. Act. II. 42–47. IV. 31. 32. 1. Cor. I. 5. 6. 7. &c. Verum illa lapsu temporis non parum obscurata est, ita tamen, ut in maximis tentationibus saltem per quorundam confessorum excellentem gratiæ modulum ex ipsis quasi tenebris emicuerit Cant. IV. 1. 7. VI. 3. 9. Apoc. XIV. 5. Constantissima autem & latissime patens Ecclesiæ pulchritudo futuris seculis est reservata Apoc. XXI. 2. II. 18–23. Discrimina hæc ad promissiones & propheticas descriptiones *status perfectioris* Ecclesiæ rite intelligendas insignem usum habent.

XXX. Ad hunc gratiæ statum formandum promovendumque Theologia *activa* proxime est accommodata. Certum quidem est, quod omnis actuositas hominis regeniti pendeat a gratia Dei, qui *& velle & perficere* operatur Phil. II. 13. Unde quicquid agit homo regenitus, est *opus Dei in ipso* ac per ipsum agentis Joh. III. 2. & sigillatim Christi Gal. II. 20. Joh. XV. 4. 5. ac Spiritus sancti 2. Cor. III. 5. Gal. V. 25. Quare omnis quoque gloria rectæ operationis ad Deum in solidum redit Apoc. IV. 10. 11.

XXXI. Quamvis autem hoc pacto creatura nova

va *cauſſa ſecunda* ac *dependens* ſit, nihilominus *vera* actionum ſuarum cauſſa eſt. Hinc Scriptura τὸ עשׂה ποιῶν, πράτειν, ἐργάζεσθαι, *facere, operari. facere voluntatem Dei, facere veritatem* &c. ei ſæpenumero tribuit Epheſ. VI. 6. Joh. III. 21. XIII. 17. Phil. II. 13. Hinc opera, quæ interdum Deo tribuit, aliis in locis ipſis regenitis adſcribit v. gr. *purificationem animarum* 1. Joh. III. 3. 1. Petr. I. 22. Adde rationes:

(1) Quod ſimili modo Deus concurrat in operibus phyſicis:

(2) Quod gratia facultates naturales hominis non deſtruat, ſed perficiat:

(3) Quod hoc proprium opus ſit Spiritus ſancti, ut fideles ad bonum *actuoſos* reddat Ezech. XXXVI. 27. Zach. X. 12.

(4) Quod absque hoc nulla competeret novo homini *libertas:*

(5) Multo minus *vita*, cujus eſſentiam abſolvit actuoſitas interna principio ſuo conveniens Gal. V. 25.

(6) Quod niſi hoc admittatur, omnia *propoſita* ac *vota* eſſent irrita, quæ fideles pie fundunt Cant. I. 4. Joſ. XXIV. 15.

(7) Quin omnia deniqne *præcepta*, quæ utramque Scripturæ paginam conficiunt, ſi res aliter ſe haberet, in vanum eſſent.

XXXII. Ex his duabus veritatibus inter ſe collatis liquet, quomodo prima Doctrinæ Activæ fundamenta evertantur tam ab illis, qui aut *Liberum Arbitrium* in locum *Gratiæ* ſubſtituunt, aut Gratiam cum *Pajoniſtis* in meram operationem *moralem* convertunt; quam ab illis, qui cum

Quietistis, aliisque Pseudomysticis summum perfectionis gradum in meram *contemplationem* convertunt, ad quam evectus nihil amplius *agat*, sed agentem potius Deum *patiatur*.

CAPUT QUINTUM.

De norma suprema actionum hominis regeniti, Lege Dei.

SUMMARIUM.

Post nexum ostensum §. 1. agitur
I. *De* Lege Dei *in genere* 2. 3.
A. Nomina *ejus recensentur* 2.
B. Definitio *datur* 3.
II. *In specie tractatur* 4 --- 35.
A. *De* Authore *Legis* 4 --- 8. *qui est*
1. *Solus* Deus 4 --- 7. *Id probatur*
a. *Ex* Scriptura 4.
b. *Ex* rationibus 5 --- 7. *quæ gloriam hanc*
α. *Creaturis eripiunt* 5.
β. *Deo dant* 6. 7.
א. *In Regno* naturæ 6.
ב. *In Regno* gratiæ 7.
2. *Oeconomice Filius Dei* 8.
B. *De* Lege ipsa 9 --- 35. *quæ duplex est*
1. Lex naturalis 9 --- 12. *Illa*
a. *Definitur* 10.
b. *Authoritas ejus asserit* 11. 12.

α. *Præ-*

α. Præstantiam ejus indicando 11.
β. Exceptiones refellendo 12.
2. Lex revelata 13 --- 35.
a. *Definitio ejus exhibetur* 13.
b. *In deductione specialiori* 14 --- 35. *agitur*
α. De indole *hujus* Legis 14 --- 24. *quæ spectatur*
א. In se, *& comprehendit*
a. Materiam 14 --- 18. *constantem*
α. Præceptis 15 --- 17. *distinctis in* leges naturales 16. & positivas 17.
b. Sanctione 18.
b. Formam 19 --- 23. *seu perfectionem, ad quam refertur*
α. Perspicuitas 20.
b. Universalitas 21. 22. *non exclusis.*
†. Velleitatibus 21.
††. Adiaphoris 22.
c. Infallibilitas 23.
ב. Comparate *cum Lege operum* 24.
β. De promulgatione 25 --- 35. *quæ est*
א. Externa 25 --- 32.
a. Sive fiat directe per verbum 25 --- 29. *idque*
α. *Imperfectius ante Christum* 26
b. *Perfectius sub Evangelio* 27 --- 29.

b. Sive

b. *Sive fiat* indirecte per exempla 30 --- 32. *quæ*
a. *Recenſentur* 30. 31.
b. *Perfectis ſub N. T. revelata eſſe docetur* 32.

ב. Interna *per opus Spiritus* in conſcientia *illuminata* 33 --- 35. quod
a. Deſcribitur 33. 34.
b. Neceſſitas ejus indicatur 35.

I.

Indicavimus *homines*, quos Theologia Activa, format. Nunc propius deſcendimus ad contemplandas *actiones*, circa quas formandas proxime occupatur. Quam in rem primo *norma* generatim eſt conſideranda, ac deinde preſſius *forma* ipſa excutienda, quæ ex normæ collatione actionibus inducitur.

II. Norma eſt Lex Dei, de qua ſuavem conceptum ipſa nomina תורה & Νόμος, moderamen *rationale* & *jucundum*, tanquam *Paſtoris*, notantia, gignunt. Sed & eleganter דרך / ὁδὸς, *via*, קו / *linea*, κανὼν, *regula*, *amuſſis*, *ſpeculum* dicitur. Specialiorem emphaſin vocabula חוק / מצוה / פקודה / משפט / דבר / Ἐντολὴ, πρόσταγμα, δικαίωμα, &c. habent.

III. Lex Dei eſt *regula agendi a Deo, tanquam ſummo Domino, & Judice, per dictamen conſcientiæ & ſacram Scripturam promulgata, ſecundum quam homo omnes ſuas actiones componere debet, ut finem a Deo*

a Deo propositum per media Deo placentia assequatur.

IV. Deum tanquam *unicum Legislatorem* agnoscit Scriptura Jac. IV. 12. exclusa omni secundum proprium arbitrium vivendi potestate Num. XV. 39. omnique authoritate hominum, tam politica quam Ecclesiastica Act. IV. 19. nisi in quantum potestas humana est a Deo instituta Matth. XXIII. 3. Mal. II. 7. Matth. XVIII. 8. & *ministræ Dei* Rom. XIII. 4. Unde omnis *authoritas humana* in *authoritatem* ipsius *Dei* resolvitur. Æternis fundamentis hæc veritas innixa est. Legislator enim summus esse nequit, nisi qui absoluta & *dominandi* potestate & *judicandi* facultate pollet.

V. Utrumque nulli creaturæ neque *humanæ*, neque *angelicæ* competit. Homo neque *sui ipsius*, neque *aliorum* Dominus, Judexve esse potest. Nullum habet in se *jus dominii*, quoniam a se non dependet, nullam *judicii* facultatem, quoniam sibi ipsi non sufficit. Nec prætendere potest aut *dominium in alios*, cum natura omnes homines pares creaverit, aut *judicium*, cum multo minus aliis, quam sibi sufficiat. *Angelorum* eo minor hic habebitur ratio, quoniam quoad illos non solum eædem rationes redeunt, sed etiam tale commercium deest, quale ad Legem ferendam *homini* requiritur, cum ne quidem, nisi per Revelationem, Angelorum existentia nobis innotescat.

VI. Tota ergo hæc gloria ad Deum redit, qui & in hominem generatim & in *regenitum* speciatim hanc authoritatem exercendi ἐξουσίαν, id est, *potentiam* æque ac *potestatem* habet.

(1) Quod

(1) Quod sit summus omnium hominum *Dominus* Jud. vs. 4. asseritur, & liquet, tum ex eò, *quod vitam & halitum & omnia dederit* Act. XVII. 25. quod in singula momenta *sustentet* vs. 28. *quod* omnium *beneficiorum* externorum in singula momenta *Author* sit Act. XIV. 17. *tum* ex eo, quod tales *facultates* homini indiderit, per quas ad servandum Legem Dei idoneus est.

( ) Quod idem sit omnium hominum *Judex*, ex eo recte derivat Apostolus, quod *potens sit servare & perdere* Jac. IV. 12.

VII. Fortiora sunt, quibus illi in *Statu Gratiæ* constringuntur, qui *peculium* ac *proprietas* Dei evaserunt. Nam eorum est *Dominus* in illo Regno lucis, in quo *nova* ejus *creatura* facti sunt, ac Deum Patrem in Christo per Spiritum pro unico *Authore* ac *Conservatore* vitæ spiritualis, illarumque facultatum *Restauratore* habent, per quas *idonei* redduntur *ad faciendum voluntatem ejus* Hebr. XIII. 21.

VIII. Et cum *Regnum Gratiæ* œconomice *Filio Dei* sit datum, cui jus *Dominii* in electos variis de causis contradistincte ad Patrem ac Spiritum Sanctum competit, præsertim sub Novo Testamento 2. Cor. VIII. 6. quique *Judex* simul universalis est constitutus Joh. v. 22. 27. hinc gloria *Legislatoris* summi ei præcise tribuitur, quam in typo sub Veteri Testamento, in antitypo autem sub Novo Testamento ostendit Exod. XXIII. 22. Jes. XXXIII. 22.

IX. Quod Deus jure hoc suo uti *voluerit*, de eo non est dubitandum, quoniam sine Legis suæ præscriptione finem, in quem hominem condidit,

non

non attigisset. Actu ergo Legem talem pepigit & promulgavit, quam homo in amussim actionum suarum ponere poterat. Diversimode autem hæc *promulgatio* instituta est, quæ ansam dat distinctioni inter *Legem naturalem & revelatam.*

X. LEX DEI NATURALIS seu OPERUM est promulgata per ipsum *lumen rationis*, quod strictius alias *conscientia* solet dici, & comprehendit *principia veritatum moralium per creationem indita ac post lapsum etiamnum residua* Rom. 11. 14. 15. sive per ea intelligas ipsa primigenea *axiomata moralia*, sive *consequentias* ex illis legitime deductas.

XI. *Principia* hæc Legis *vim* habent, quia illis qualitatibus pollent, quæ ad authoritatem *Legis divinæ* requiruntur. Nam

(1) *Perspicuitate* sua omnibus attendentibus innotescunt,

(2) *Amplitudine* sua ad quascunque actiones extendi possunt,

(3) Quod caput rei est, certam atque *infallibilem* vivendi regulam exhibent. *Infallibilitas* hæc sequitur.

(a) Ex *divina origine*, quoniam principia hæc pertinent ad *ideas innatas*, una cum ipsa creatione immediate intellectui humano inditas.

(b) Ex *qualitatibus* Legis hujus internis, tanto Authore dignis, quales potissimum sunt Legis *sanctitas*, & *æquitas.*

(c) Ex *immutabilitate*, qua etiam post lapsum in ipso Statu Gratiæ subsistere pergit.

(d) Quia in Lege revelata semper supponitur.

(e) Quia

(e) Quia hoc nisi esset, peccator *convinci* & ἀναπολογητος reddi non posset.

XII. Ad præcipuas *objectiones* pertinet.

I. Quod inter Gentes rarus admodum sit etiam de communibus veritatibus consensus. Resp. Propter concupiscentias pravas, accedente judicio Dei Rom. 1. 21. 28.

II. Quod etiam illi sæpe falluntur, qui plus attentionis afferunt. Resp. Non ob dissensum in axiomatibus fundamentalibus, sed quoniam ad consequentiarum nexum non debite attendunt.

III. Quod ipse Deus a *Lege naturæ* aliquando dispensaverit. Resp. Exempla, quæ in hanc rem producuntur, non stringunt. Fortissimum est, quod desumitur a mandato Abrahamo facto, ut *Isaacum sacrificaret*. Verum neque Deus factum hoc consummari permisit, & juste id præcipere potuit, *tum* quia omnis peccator, qualis etiam Isaacus erat, mortem promeruit, *tum* quia aliud est *sacrificare*, aliud simpliciter *occidere*, *tum* quia ipse Abrahamus per fidem persuasus erat, mortem hanc non fore peremtoriam. Quæ a *furto Ægyptiorum* aliisque *Legibus positivis* effugia formantur, minoris etiam momenti sunt.

XIII. Legi huic *naturali* per peccatum violatæ Deus substituit Legem ad statum peccatoris electi magis accommodatam, quæ Lex revelata, *Lex Fœderis gratiæ*, & oppositæ ad *Legem operum* Lex fidei appellari solet. Rom. III. 1. Hæc comprehendit *normam, a Deo per Christum reconciliato exhibitam, secundum quam peccator electus & vocatus per gratiam Dei se convertere & in studio fidei*

dei ac sanctificationis ad perfectionem pergere debet. Hujus rationem nos habere potissimum oportet. Quare ejus tum *indolem*, partim *in se*, partim comparate ad *Legem operum*, tum *promulgationis modum* pressius contemplabimur.

XIV. Ad materiam *Legis* referimus non solum *præceptum* ipsum, sed etiam *sanctionem* ejus. Nam præterquam quod Deus sapientissime sanctionem cum præcepto Legis eodem halitu indivulse conjunxerit, *sanctio* quoque implicitum habet præceptum, de *fine*, quem, qui Legem implet, in actionibus suis sibi præfigere, adeoque quid pro *vero* suo *bono* agnoscere & qua tale sectari, quid ut *summum* verumque *malum* abominari ac timere debeat.

XV. Præceptorum Legis duæ sunt classes. Quædam stricte & necessitate naturæ ex *sanctitate* Dei, aliæ, saltem quoad nostrum conceptum, magis ex *libertate* ejus fluunt. Hinc ansa nascitur distinctionis in Leges naturales seu *necessarias*, & *positivas* seu *arbitrarias*. Priores alii *morales*, posteriores *ceremoniales* dicunt.

XVI. *Naturales* iterum distingui possunt in *absolutas* & *Hypotheticas*. *Absolutæ* statui gratiæ cum statu innocentiæ communes sunt, & ab omnibus hominibus quacunque data occasione exiguntur. *Hypotheticæ*, quamvis ejusdem universalis sint obligationis, statum tamen certum prærequirunt, & sunt vel *universales* vel *particulares*. Hypotheticæ *universales* sunt illæ, quæ nonnisi *Statum Peccati* supponunt. Sic posito peccato requiritur pœnitentia. Hypotheticæ *particulares* sunt, quæ

certæ *relationi, ætati, sexui*, vitæ *functioni* peculiariter incumbunt.

XVII. *Positivæ Leges* sunt, quæ ex speciali quadam *Revelatione Dei* fluunt. Tales olim fuere *Leges ceremoniales* in monte Sinai datæ, & adhuc sunt *Leges de Sacramentis.* Earum *sanctitas* quamvis a *priori* demonstrari nequeat; a *posteriori* tamen *sapientia & æquitas* Legislatoris in illis elucescit, quoniam cum scopo Dei in consilio gratiæ & cum temporum, in quibus feruntur, ratione egregie conveniunt.

XVIII. *Sanctio* hujus Legis consistit in *promissione* tum *summi boni* sub nomine *vitæ æternæ*, illis, qui obedientiam fidei præstiterunt, exspectandi in fine curriculi, tum omnium *mediorum*, quibus illi, qui hanc Legem suscipiunt, adjuvandi in Legis præstatione, & per quæ in Statu Gratiæ infallibiliter ad finem usque conservandi sunt. Jes. LV. 3. Prov. VIII. 34. Jerem. XXXII. 40. Quare quamvis hæ promissiones aliquam *præmii & mercedis* habeant figuram, nihilominus ex *mera gratia* absque ullo *merito* intercedente implentur.

XIX. Quoad formam *Lex* hæc *Jehovæ* merito *perfecta* dicitur Ps. XIX. 8. Rom. XII. 2. quoniam qualitates illæ, a quibus authoritas Legis divinæ dependet, in *Lege revelata* manifestæ sunt.

XX. *Perspicuitate* singulari præ aliis partibus Scripturæ illa pars radiat, quæ agenda præscribit, unde *lucerna pedi* dicitur Ps. CXIX. 105. Eapropter non est opus, ut sensus Legis ab ulla cathedra humana *definiatur*, sed attentio tantum & inve-

inveſtigatio uniuscujusque, qui viam ad vitam diſcere cupit, requiritur Jerem. XXXI. 34.

XXI. Porro *amplitudo* ejus eousque patet, ut ad omnes actiones humanas, earumque gradus ac circumſtantias, tum per latisſimum dictorum Legislatoris ſenſum, tum per legitimam conſequentiam, applicari posſit Pſalm. CXIX. 96. Rom. VIII. 14. Extendit ergo ſe hæc regula etiam ad *Velleitates*, quas Scholaſtici *motus primo-primos* appellant, atque a *motibus moroſis*, qui *moram* in mente per voluntatis pleniorem conſenſum faciunt, ea fini diſtinguunt, ut concupiſcentias quasdam inordinatas peccatorum numero eximant.

XXII. Ipſa *Adiaphora* ſeu *actiones indifferentes*, quas vocant, huic Legi ſubjicimus, quando in nexu cum omnibus ſuis circumſtantiis conſiderantur.

(1) Quia gloria Dei finis eſt, ad quem omnes actiones tendere debent Col. III. 17. 23. 1. Cor. X. 31.

(2) Quia, *quicquid non fit ex fide, peccatum eſt* Rom. XIV. 23.

(3) Quia ex pluribus actionibus, quæ posſunt gloriæ Dei ſubordinari, illa ſemper eſt eligenda, quæ magis gloriam Dei promovere nobis videtur.

(4) Quia alias independentiæ voluntatis noſtræ, quoad quasdam ſaltem actiones, rima pateret.

XXIII. Neque de *infallibilitate* hujus Legis dubitandi anſa ſuppetit. Erroris in illa nullum eſt periculum Jeſ. XXXV. 8. Nil eſt niſi *veritas* Pſal. CXIX. 86. Pſ. XIX. 8. & *via veritatis* Pſ. CXIX. 30. 160.

(1) Quod sit *divinæ originis*, ex iisdem argumentis liquet, ex quibus Revelationis totius, cujus hæc Lex partem insignem constituit, divina inspiratio probari solet.

(2) Est Lex *sanctissima*, quia in ipsa sanctitate Dei fundata est, & perfectam sanctitatem creaturæ pro scopo habet. Ps. CXIX. 9. Rom. VII. 12. Hoc ipsæ Gentes agnoscere & attestari debuere Deut. IV. 8.

(3) Est *Lex æquissima*. Nam ad veram felicitatem ducit 1. Tim. I. 8. Mich. VI. 8. *Possibilis* quoque est, quia ad imbecillitatem hominis regeniti est accommodata, & propterea *jucundissima* Psalm. XIX. 8. CXIX. 103. Matth. XI. 30. 1. Joh. V. 3.

(4) Est denique *immutabilis & indispensabilis* Nam *Lex & Prophetæ ab ea pendent* Matth. XXII. 40. idque non solum quoad *omnia*, sed etiam quoad *singula præcepta*, utpote quæ *nexum indissolubilem* inter se habent Jac. II. 10. 1. Joh. IV. 20. Nihil aut addendo aut demendo mutandum Deut. IV. 2. XII. 32. Merito ergo *æterna* dicitur, Jes. XL. 8. Matth. V. 18. Luc. XVI. 17. Quare divortium hic facimus tam ab *Antinomis*, qui constantiæ Legis divinæ in genere, quam a *Pontificiis*, qui necessitati quarundam saltem partium, quas solent *consilia Evangelica* appellare, præjudicium afferre tentant.

XXIV. Quamvis autem quoad essentialia arctus sit inter *Legem fidei* & *Legem operum* consensus, notabilis tamen inter utramque occurrit differentia. Nam

(1) *Legislator* sub alia schesi, non simpliciter

ut

ut *Deus*, sed ut *Triunus*, ut *reconciliatus*, sistitur.

(2) Homo, cui hæc Lex præscribitur, in alio Statu occurrit, non *instituto* sed *restituto*.

(3) In *præceptis* Legi *amoris* superaccessit *Lex fidei* & *pœnitentiæ*, ac propter fragilitatem naturæ humanæ conjuncta sunt *præceptis affirmativis* plura *præcepta negativa* seu interdicta. Utraque servanda, non ut *media ad justitiam*, sed ut *officia gratitudinis*, non perfectione *graduum*, sed *partium*, non *propriis viribus*, sed per auxilium *Spiritus sancti*.

(4) *Promissioni vitæ* accessit *promissio perseverantiæ*. Unde nec *comminationi* quoad illos, qui huic Legi se subjiciunt, ullus locus adest. Ex quo capite Paulus affirmat, quod *justo Lex non sit posita* 1. Tim. 1. 9.

XXV. Ut ad notitiam nostram hæc Lex veniret, accedere debuit *promulgatio* majestate, sapientia & bonitate Legislatoris digna. Illa est vel *externa* vel *interna*. *Externa directe* facta est per Scripturæ sacræ *institutionem*. Non solum enim insignem ejus partem *normæ vitæ* conficit, sed etiam is Scripturæ scopus est, ut *sanctiorem* hominem reddat Joh. XVII. 17. 2. Tim. III. 16. 17. Hinc totum doctrinæ Evangelicæ corpus תורה dicitur Ps. 1. 2. XIX. 8. &c.

XXVI. Certis autem gradibus systema Legum divinarum coaluit. Radicaliter jam traditum est sub œconomia *Promissionis*. Latius propositum est in monte *Sinai*, tum per ipsum *Decalogum* immediate Dei potentia pronuntiatum, tabulisque duabus inscriptum, tum per mediate a Mose ad-

ditas Leges, quæ ex parte *morales*, ex parte *ceremoniales* fuere. Nam quæ *forenses* dicuntur, ad alterutram classem ex his duabus referri debent.

XXVII. Plenissime autem sub Evangelio Christus & Apostoli ejus hanc Legem tradiderunt secundum promissionem Jes. II. 3. XLII. 4. Abhinc Lex illa appellata est *Lex Christi* Gal. VI. 2. *Lex Spiritus vitæ* Rom. VIII. 2. *Lex justitiæ* Rom. IX. 31. *Lex perfecta & Regia libertatis* Jac. I. 25. II. 8. 12.

XXVIII. Lex hæc quoad *essentialia* eadem est cum Lege ab initio audita. Hinc summa hujus Legis proponitur dictis ex ipso Mose excerptis Matth. XXII. 37. sq. Hoc contestatur Apostolus Rom. X. 11. 8. 9. 10. qui etiam passim verba Decalogi urget Rom. XIII. loc. cit. Ephes. VI. 2. 3. &c. Hinc *Legis Mosis meminisse* oportet Mal. IV. 4. & *præceptum novum* simul *præceptum vetus* appellatur 1. Joh. II. 7. Neque ullum in contrarium produci potest. Quod probe tenendum contra illos, qui cum Judæis & Gnosticis Christum tanquam *novum Legislatorem* considerant.

XXIX. In *circumstantiis* tamen quandam occurrere differentiam negari nequit.

(1) *Lex* in Vet. Testamento lata est per ministerium *Angelorum & Mosis*, in Novo per ministerium *Filii & Spiritus sancti*; illic *obscurius* & modo *tremendo*, hic *explicatius suaviusque* prolata; illic solis *Judæis*, hic Judæis & *Gentibus* data; illic *cæremoniarum* stipata choragio, hic *nuda* atque simplex.

(2) Porro *Sanctioni* superpondium accessit per bene-

beneficia gratiæ non *exhibenda* sed *exhibita* ; ac promissiones *futuræ felicitatis* luci majori exposi-tas, , quæ stimulum fortiorem ad servandum eam addunt.

XXX. Sed & *indirecte* ad promulgationem Legis pertinet *illustratio* ejus per *exempla* , quæ & modum implendi Legem in pictura exhibent , & studium acuunt. Sunt autem hæc exempla vel *perfecta* vel *imperfecta*. Ad *perfecta* referimus:

(1) *Exemplum* ipsius *Dei*, quoniam conformitas cum Lege est *imago ejus* Ephes. IV. 24. V. 1. Matth. V. 28.

(2) *Exemplum Filii Dei* in carne *omnem justitiam implentis* Matth. III. 15. ut non solum se demonstraret esse *imaginem Dei invisibilis* , sed etiam perfectissimum *vitæ Deo placentis typum* populo suo exhiberet Rom. VIII. 29. Quare exercitium bonorum operum reapse nihil aliud est, quam Christi *sequela* & *imitatio* Joh. XII. 26. 1. Petr. II. 21. 1. Joh. II. 6. Cum autem *adæquata* similitudo cum his *prototypis* locum non habeat , quousque illa se extendat, bene est observandum.

XXXI. Exempla *imperfecta* sunt , quæ occurrunt in *sanctis* 1. Cor. XI. 1. 1. Cor. IV. 6. 16. Phil. III. 17. 2. Cor. III. 3. Illa cum nævos quoque suos adjunctos habeant, quid proprie *imitandum* , quid *cavendum* in iis proponatur , distinguere debemus. Eadem non parum illustrantur per opposita *impiorum exempla* , quæ in *cautelam* exhibentur 1. Cor. X. 6. 11. Luc. VII. 32. Hebr. III. 8. 9. Cum autem *peccata* in Scripturis commemorata passim *typicam* habeant rationem, cautela illa non

non solum ad actus externe vitiosos, sed etiam ad subtiliora peccata, quæ per illos adumbrata sunt, se extendit.

XXXII. Hac quoque ex parte agnosci debet Legis sub Novo Testamento promulgatæ excellentia, cum *perfectiones* Dei *morales* per absolutum Redemtionis opus clarius sint revelatæ; & accesserit *exemplum Filii Dei* in carne manifestati ad imitationem renatorum magis accommodatum; & *major* Gratiæ *sanctificantis modulus* in primitiis Ecclesiæ Novi Testamenti conspiciatur.

XXXIII. *Internam* promulgationem Legis appellamus illam, quæ *per Spiritum sanctum* in corde regenitorum efficitur. Cum enim ille novo lumine *intellectum* illustret, sigillatim *conscientiam* vigori pristino restituit, & *de via, in qua ambulandum est, erudit* Psalm. xxxii. 8. Jes. xxx. 21. sive in Gratiæ initiis cor attentum ac docile reddat, sive in progressu consilium & directionem suam fidelibus indulgeat. Longissime ergo hæc promulgatio differt a prætenso *Enthusiastarum* instinctu, qui non solum est præter Scripturam, sed effectus quoque rationi æque ac verbo contrarios habet.

XXXIV. Cum autem in majori mensura hoc beneficium obtingat fidelibus Novi Testamenti, hinc inter peculiares ejus promissiones *Inscriptio Legis divinæ in corda eorum* adnumeratur Jerem. xxxi. 33. quam impletam esse Apostolus Hebr. xiii. 2. Cor. iii. 3. gloriatur.

XXXV. Operatio hæc Spiritus Domini tantæ est necessitatis, ut sine illa neque Ratio neque Reve-

Revelatio sufficeret, ad tenebras crassissimas ignorantiæ & præjudiciorum, quibus mens in statu corruptionis captiva tenetur, dispellendas. Unde animus cœlesti hoc lumine illustratus in plena emphasi *lucerna Jehovæ* dicitur Prov. xx. 27.

CAPVT SEXTVM.

De moralitate actionum humanarum cum Lege divina collatarum, sive de *Virtute* & *Vitio* atque inde oriundis *Operibus bonis* & *malis*.

SUMMARIUM.

In hoc capite tractatur

I. *De* moralitate actionum secundum Legem Dei exactarum §. 1.--- 29. *& quidem ita, ut*

A. Diversæ formæ, quæ per eam in actionibus producuntur, enarrentur §. 1. 2.

1. *Per distinctionem* 1.
2. *Per subdistinctionem* 2.

B. Singulæ illæ formæ percenseantur 3---20.

1. *Opponuntur* habitus diversi 3---11.

a. Virtus 3—8. *cujus natura indicatur*

α. Ex nominibus, quæ ei dantur 2.
β. Ex definitione ejus 4---8. quæ
א. *Proponitur* 4.
ב. *Defenditur* 5.
ג. *Deducitur* 6---8. ubi docetur
a. *Quod subjectum virtutis sit* voluntas 6.
b. *Quod* præcipua ejus attributa *sint* 7. 8.
a. Fixum propositum 7.
b. Unitas 8.
b. Vitium 9---11. quod
α. Definitur 9.
β Quomodo virtuti sit oppositum, *indicatur* 10. 11.
2. *Opponuntur* actiones diversæ 12---20.
a. Opera bona 12---15. *quorum natura eruitur*
α. Ex nominibus, quæ iis dantur 12.
β. Ex definitione 13.
γ. Ex divisione 14. 15. *quæ*
א. *Proponitur* 14.
ב. *Illustratur* 15.
b. Opera mala 16---20. *quorum natura docetur*
α. Ex nominibus 16.
β. Ex definitione 17.
γ. Ex distinctione eorum 18---20.
א. *Quoad* materiam 18.
ב. *Quoad* formam & inde oriundos gradus 19. 20.

II. *De*

II. *De* methodo, *qua singula sunt exponenda* 21---23.

A. Generali 21.

B. Speciali 22.

I.

Quando Lex divina *regulæ* instar applicatur actionibus humanis, ut illæ ad eam aut componantur aut exigantur, certa inde earum forma emergit, quam ἠθικὸν, *moralitatem* earum appellamus. *Moralitas* hæc duplex est; aut enim adest *convenientia* cum Lege Dei, aut *discrepantia* ab ea. Illam Scriptura appellat טוֹב ἀγαθὸν *bonum* sc. morale, unde ἀγαθότης, *bonitas, probitas* Sap. VII. 26. Synonymum est יָשָׁר *Rectitudo, Legalitas*, εὐνομία seu ἐυνομία secundum Helleniſtas, qua aliquid fit νομίμως 2. Tim. II. 5. & præcipue צֶדֶק / צְדָקָה / δικαιοσύνη *juſtitia*, relate ad judicium Dei atque conſcientiæ ſecundum hanc Legem Act. X. 35. Ad figurata pertinet nomen καθαρότης *puritas*. Hæc autem dicitur רַע / πονηρὸν, κακὸν, *malum*. עָוֹן / *pravitas*, רֶשַׁע / ἀδικία, *injuſtitia*, & preſſius ad rem præſentem ἀνομία *illegalitas* 1. Joh. III. 4. Ejusdem amplitudinis in ſtylo ſacro eſt חַטָּא / ἁμαρτία *peccatum*, & in ſenſu metaphorico ακαθαρσία impuritas. Relativa porro ſunt nomina *obedientiæ* & *inobedientiæ*. Phraſes etiam æquipollentes reperiuntur. Nam conformitas cum Lege paſſim per *ſervare Legem*, ac *verbum Dei*, pugnantia contra eam per *Legem Dei non ſervare, transgredi* &c. circumſcribitur.

II. Oc-

II. Occurrit autem hæc convenientia & disconvenientia partim in ipsis mentis *habitibus*, partim in *actionibus* inde proficiscentibus, quæ perpetuam cum illis habitibus analogiam habent Matth. VII. 17. 18. XII. 33. Illud *velle*, hoc *operari* dicitur Phil. II. 12. Moralitas *habituum* se dividit in *Virtutem* & *Vitium*. Moralitas *actionum* distinguit inter *Bona* & *Mala Opera*. Hæc probe sunt dirimenda, ne nos feriat istud Jes. v. 20. *Væ, quæ dicitis malum bonum, & bonum malum; ponendo, tenebras lucem & lucem tenebras; ponendo amarum in dulce & dulce in amarum.*

III. Virtus, ἀρετή, in sacris quoque aliquando sensum moralem habet Phil. IV. 8. 2. Petr. I. 5. Utrobique tamen angustiorem sensum fundit, quam hic innuimus. Æquipollet autem חסד / ὁσιότης, *studium probitatis*, Hos. VI. 6. Mich. VI. 8. & relate ad normam ὁσιότης τ̃ ἀληθείας Eph. IV. 24.

IV. Per *Virtutem* intelligimus *fixum voluntatis a Spiritu sancto actæ propositum secundum normam totius Legis Evangelicæ per gratiam Dei constanter agendi.*

V. Definitio hæc se commendat.

(1) Quia congruit phrasi Scripturæ, qua Virtus dicitur *zelus bonorum operum* Tit. II. 14.

(2) Quia convenit cum idea Virtutis, quam sana ratio præbet, cui Virtus est *amor rationalis*, sive uti *Augustinus* de Civ. D. XV. 22. loquitur, *ordo amoris*, id est, *amor rite ordinatus*, sive, quod eodem recidit, *propositum secundum conscientiam vivendi.*

(3) Quia

(3) Quia Virtutem exhibet, uti Statui Gratiæ est accommodata.

(4) Quia ita universalis est, ut fontem ostendat omnium habituum & actionum dictamini Legis convenientium.

(5) Quia omnem *spuriam* Virtutem excludit, uti liquido apparet, quando fucatæ gentium Virtutes cum hac descriptione conferuntur.

VI. Sedem propriam Virtus in *voluntate* habet, quia omne *propositum* involvit voluntatis *determinationem*. Licet enim distingui soleat inter *virtutem dirigentem*, quæ est *scientia* intellectus, & *directam*, quæ est recta *voluntatis determinatio*, nihilominus *scientia* intellectus ad genuinæ Virtutis altitudinem in homine corrupto non adscendit, nisi per voluntatis sanctum *propositum* eousque elevetur, quæ non solum scientiam ad verum *finem* perducit, sed etiam *media* adhibet, per quæ scientia perficitur. Unde 2. Petr. 1. 5. γνῶσις *cognitio* Virtuti subjungitur.

VII. Ad præcipua genuinæ Virtutis Evangelicæ idiomata pertinet primo, quod contineat propositum *fixum* a mera velleitate, seu *voto evanido* Prov. xxi. 25. differens. Adeoque involvit

(1) Maturam *deliberationem* Luc. xiv. 28.

(2) *Electionem liberam* Deut. xxx. 19. conjunctam

(3) Cum intima propositi *conscientia*, quæ parrhesiam dat voluntatis hanc plenam propensionem declarandi precibus ac juramento Ps. cxix. 5. 106. desinentem

(4) In *actuositate* efficaci secundum istud propositum.

VIII.

VIII. Porro Virtus natura sua *simplex* atque *una* est, comprehendens UNUM NECESSARIUM Luc. x. 42. atque hac ex parte ipsius *simplicitatis* Dei umbram quandam in regenito exhibet. Distingui quidem potest in multas virtutes *particulares* præeunte Scriptura Phil. IV. 8. & ipsius Dei exemplo 1. Petr. II. 9. Hoc tamen *unitati Virtutis* non officit, *tum* quia omnes tam arcte inter se cohærent, ut nequeat unam sincere velle, qui non omnes vult: (Confer Cap. præced. §. XXIII. n. 4.) *tum* quia propositum illud in proxima potentia nobis obversatur sub idea Virtutis cujusdam universalis, quæ & omnia *objecta* virtutis & omnes *actus* virtuosos vasto suo regno amplectitur. Clare hoc patet ex idea *sanctitatis & amoris*, quibus vocibus proximi effectus propositi hujus solent exprimi. Illustrari hoc ipsum eleganter potest figuris tam *gemmarum* pectoralis, quam *Seraphinorum* ac *Cherubinorum* mysticis, quæ nil nisi virtutum Evangelicarum sibi invicem innexarum elegantissima systemata sunt.

IX. VITIUM, κακία, רשעה / *malitia*, הורת *pravitas*, מום / *defectus*, & ita porro, dicitur. Per id indigitatur *quæcunque inclinatio voluntatis per corruptionem naturalem hominis ad agendum aliquid aut contra aut saltem præter Legem Dei.*

X. Notanda hic est oppositiones inter *Virtutem* & *Vitium* ratio.

(1) Quoad originem Vitium non est habitus infusus sed innatus.

(2) Quoad interiorem indolem in *abstracto* hæc duo

duo extrema adeo directe sibi invicem sunt opposita, ut positio unius sit negatio alterius. Verum in *concreto* diversa est *virtutis*, quam *vitii* ratio. Ad *Virtutem* enim perfectum propositum bene agendi requiritur : *Vitii* autem rationem etiam imperfectum male agendi propositum habet.

XI. Motivæ, quæ in genere *Virtutem* præ *Vitio* commendant, sunt omnia fundamenta Legis divinæ & omnes promissiones, quibus illa est obsignata. Præcipuum autem est illud, quod in Virtute *summum Bonum* & in vitio *summum Malum* sano sensu contineatur.

XII. Effectus uniuscujusque Virtutis sunt BONA OPERA, quæ phrasis in Scriptura est frequentissima. Matth. v. 16. Rom. 11. 7. Ephes. 11. 10. Tit. 11. 14. &c. Hinc *bonum facere* omne exercitium virtutis comprehendit Ps. xxxiv. 15. xxxvii. 3. Metaphorice *fructus boni* dici solent Ps. 1. 3. Matth. 111. 8. 10. Joh. xv. 2. &c. Quemadmodum arbor *succo* requisito quasi imprægnata ex se protrudit *plures* fructus *bonos*, id est *salubres* & *amœnos*, quibus *scopus plantationis* attingitur, & *semen* similibus arboribus progignendis aptum propagatur ; ita in regenitis, qui sunt *plantatio Dei*, habitus virtutis infusus producit multos effectus Deo, Christo, Angelis, Ecclesiæ utiles & amœnos, per quos gloria Dei promovetur, ac semen spirituale propagatur.

XIII. Per *Opus Bonum* adeoque designatur *quæcunque particularis actio hominis regeniti* sive *interna* sive *externa Legi divinæ conformis.*

XIV.

XIV. Quamvis improbemus divisionem operum bonorum in κατορθώματα & καθήκοντα, quasi dicas, *quæ perfectis & quæ imperfectis incumbunt*, quas *officiorum* classes ex schola Stoicorum in Christianam quidam transferre conati sunt; nihilominus distingui debet inter opera *perfecte* & *imperfecte* bona. Illa nominantur *opera Legis*. Rom. III. 20. 28. Gal. II. 16. quæ nempe ita plene conveniunt *Legi fœderis operum*, ut justitiam coram Deo dare queant. Hæc autem dicuntur *opera convenientia resipiscentiæ* Act. XXVI. 20. quæ nempe conveniunt *Legi fœderis Gratiæ*, & cum ad tantam perfectionem per se non adscendant, ut ullam justitiam coram Deo largiri queant, nonnisi in merito Christi grata Deo esse possunt. Hujus generis sunt illa *Opera bona*, quæ hic in censum veniunt.

XV. Ut hujus discriminis ratio eo clarius elucescat, notandum est, quod sicuti diversi generis *liquores* in *succo* occurrunt, qui *fructus bonos* ex se gignit, ita diversi habitus in unoquoque *opere* concurrere debeant, ut istud *bonum* dici queat. Hos habitus sub nomine *Virtutum Cardinalium* mox recensebimus. Verum mixtura horum habituum nunquam in regenitis ita est defœcata, ut non simul aliquid ex labe originali in illis residua, instar *succi heterogenei* adhæreat, quod quamvis Deus secundum indolem Fœderis Gratiæ toleret, *opus* tamen ipsum *imperfectum* reddit.

XVI. Pari ratione ex *Vitio* unoquoque gignuntur OPERA MALA Joh. III. 19. VII. 7. Col. I. 21. &c. *carnis* Gal. V. 19. *tenebrarum* Rom.

Rom. XIII. 12. Eph. V. 11. *mortua* Hebr. VI. 1. IX. 14. Horum fœditatem variis vocibus Scriptura exprimit, quales sunt חטאה Ἁμαρτία, *peccatum* in sensu strictiori, פשע *defectio*, און *vanitas*, עול *injustitia*, בגד *perfidia*, אשם *reatus*, Παράβασις *transgressio*, Παράπτωμα *lapsus*, ἥττημα *defectus* &c.

XVII. Per illa designatur *quæcunque particularis actio interna vel externa, quæ aut præter aut contra Legem Dei committitur.*

XVIII. Inter duo ergo distingui potest peccatorum genera. Alia magis directe *contra* Legem Dei committuntur, etiam quum conscientia attestatur, quod Legi divinæ adversentur. Aliæ actiones intentione contra Legem Dei aliquid agendi carent, sed eo ipso peccata sunt, quia dum Lege divina non sunt præscriptæ, *præter* illam fiunt. In prioribus dominatur *Atheismus practicus*, in posterioribus *Superstitio.* Hinc Scriptura inter illos, qui Legi Dei aliquid *addunt* aut *demunt* Deut. V. 2. XII. 32. nec non qui ad *dextram* aut *sinistram* ab ea *recedunt* Deut. V. 32. Jes. XXX. 2. Proverb. IV. 27. distinguere solet. Quamvis stricte loquendo, quicquid *præter* Legem Dei fit, ei etiam *contrarietur.* Nam inter illa, quæ Lex interdixit, etiam ἐθελοθρησκεία

XIX. Cæterum in singulis actionibus malis plures *habitus* vitiosi itidem concurrunt. In eo tamen *Opera Mala* quodammodo aliter se habent, quam *Opera Bona*, quoniam omni mixtura Virtutis carent.

XX. Nihilominus certum est, quod alia Opera Mala aliis sint atrociora. Nam quo ma-

gis directe Legi Dei contrariantur, eo pejora sunt. Id autem de illis dici debet, quæ & contra clariorem Legis divinæ notitiam, & magis contra illas Leges, quæ directius gloriam Legislatoris summi concernunt, committuntur. (Confer, quæ de gradibus status corrupti Cap. III. §. 27. 29 sunt notata.)

XXI. Campum latissimum aperuimus, quem permensuri hac *methodo* utemur.

(1) Ut singulas partes apte inter se connectamus.

(2) Ut Virtutes & Vitia sibi invicem, quoad saltem fieri potest, opponamus. Neque enim Virtutes pro more veterum concipimus, quasi in medio inter duo vitia collocatas, sed singulas singulis vitiis oppositas. Et hæc oppositio non solum ad illustrationem majorem faciet, verum etiam compendium dictionis præstabit. Nam eadem argumenta, quæ virtutem suadent, vitium ei oppositum dissuadent & vice versa.

(3) Ut ex utrisque tam Virtutibus quam Vitiis deducamus illisque subordinemus illas Actiones sive Bonas sive Malas, quæ magis proprii singulorum fructus sunt.

(4) Ut in nexus inter Virtutes specialiores deductione ad illud vinculum attendamus, quod inter *Fidem* & reliquas *Virtutes* ac *Bona Opera* intercedit.

(5) Ut tractationi Virtutum passim, quantum pote, præmittamus tractationem Vitiorum, quoniam hæc priorem etiam in homine corrupto locum occupant, adeoque per eorum expul-

pulsionem Virtutum inhabitationi locus debet sterni.

(6) Ut in Vitiis sollicite distinguamus, quid ipsis regenitis cum inconversis commune sit, & quid in hos solos cadat.

(7 Ut relationem officiorum ad Oeconomiam Evangelii, sub qua nos agimus, ostendamus, atque ita doceamus, quid illud sit, quod Phil. 1. 27. appellatur *conversari digne Evangelio Christi.*

XXII. *Ordo* autem postulat, ut incipiamus a VIRTUTIBUS CARDINALIBUS, per quas non tam intelligimus reapse distinctos mentis habitus, quam *attributa quædam essentialia cuicunque seu Virtuti seu Operi Bono communia, formamque omnis bonitatis moralis constituentia.* His enim *attributis generalibus* suppositis atque explicatis, in *specialiori officiorum recensione* repetitionis onere erimus liberati, atque eo brevius id absolvemus, per quod unum officium ab altero est distinctum.

XXIII. In circumscribendo harum Virtutum Cardinalium *numero* unicuique permittimus, ut suo ingenio fruatur. Nos nostrum ordinem sequemur. Quicquid Lex præscribit circa omnes actiones, quicquid requiritur, ut qualiscunque actio *rationalis*, adeoque moraliter bona, queat dici, ad *duo* capita redit, ut nempe ad *legitimum finem* tendat, atque ut id *legitimo modo* per media a Legislatore præscripta fiat. Accurate ergo dispiciendum erit de *Fine* ac *Modo*, quem Lex præscribit; ac inde conficiendum, quænam sint Virtutes, per quas homo regenitus in illo Statu

Imperfectionis, in quo nunc est constitutus, debite circa *Finem* ac *Modum* occupetur. Unde apparebit Virtutes Cardinales omnibus Bonis Operibus Regenitorum formam illam dantes, per quam Deo in Christo placere possunt, ad *ternarium* revocari posse, nempe *Humilitatem*, *Simplicitatem* & *Sinceritatem*. Per duas enim priores Regenitus legitimum *Finem* sibi proposuit, per postremam *via recta* ad illum Finem pertingere contendit. Hæc divisio nobis eo magis arridet, quia convenit cum criteriis Bonorum Operum, quæ Confessionibus receptis Ecclesiæ nostræ definita sunt.

CAPUT SEPTIMUM.

De fine actionum humanarum legitimo & illegitimo.

SUMMARIUM.

De Fine actionum *agitur*
- I. *In* genere §. 1---4. *Ubi ostenditur*
  - A. Quod *Finis debeat respici* 1---3.
  - B. Qualis *esse debeat* 4.
- II. In specie 5---29. *proponitur*
  - A. Finis legitimus, Bonum verum 5---23. quod
    1. *Describitur* 5.
    2. *Per partes deducitur* 6---23.

a. *De* Bono summo *agitur* 6---19.
α. *Objective* 6---8.
א. *In abstracto istud describendo* 6.
ב. *In concreto probando, quod in* Deo *sit* 7. 8.
β. *Subjective* 9---19. fruitio hujus boni *ponitur* in Communione cum Deo. *Illius*
א. *Partes proponuntur* 9.
ב. *Deducuntur* 10---19.
a. *Separatim consideratæ* 10---17.
α. Glorificatio Dei 10---14. *quæ*
†. *Describitur* 10---13.
††. *Quod sit summum Bonum, demonstratur* 14.
β. Fruitio propriæ Beatitudinis 15---17. *quæ*
†. *Describitur* 15. 16.
††. *Quod sit Summum Bonum, demonstratur* 17.
b. *In nexu suo proposita* 18. 19. *qui*
α. *Adstruitur* 18.
β. *Contra* Pseudomysticos *defenditur* 19.
b. *De* Bono subordinato *agitur* 20
α. *Describitur* 20.
β. *De diversis ejus gradibus agitur* 21---23. *quæ*
א. *Enarrantur* 21. 22. *& comprehendunt*
a. Bona spiritualia 21.

b. Bona corporalia 22.
ב. Ordo *eorum indicatur* 23.
B. Finis illegitimus, *per* Bonum apparens 24---29. *quod*
1. *Describitur* 24.
2. *Per partes deducitur* 25---29.
a. Bonum apparens summum 25. 26.
α. *Proponitur* 25.
β. *Fallacia ejus indicatur* 26.
b. Bonum apparens subordinatum 27---29.
α. *Proponitur* 27.
β. *Diversi* gradus stoliditatis *in ejus subordinatione notantur* 28. 29.

I.

Bene *Cicero* Lib. 1. de fin. bon. & mal. quærit: *Quid est in vita tantopere quærendum, quam quid sit finis, quid ultimum, quid extremum, quo sint omnia bene vivendi rectèque faciendi consilia referenda?* Finis sane in omni actione & *necessario* & *primo loco* est respiciendus.

II. *Necessitate* quadam ipsius naturæ suæ unusquisque impellitur ad cogitandum de fine. Omnis enim actuositas tendit *in Finem.* Nam nec sapiens nec homo mentis compos quicquam *frustra* facit. Et per hoc distat a brutis. Creaturæ quidem irrationales in Finem certum semper *feruntur.* Homo autem *libere* & *cum conscientia* in eum *tendit.*

III. Sed & *primo loco* ad finem respicere fas est. Nam

(1) Non

(1) Non solum *singulæ actiones*, sed etiam *tota* earum forma a *Fine* pendet.

(2) Summa ipsius hominis *felicitas* in constitutione *Finis* sita est. Nam Finis, in quem homo tendit, ei obversatur sub specie *Boni* seu *veri* seu *apparentis*, illiusque non solum *possidendi*, sed etiam *fruendi*. *Malum* enim, qua tale, nemo appetit.

IV. Finem hunc præstituere creaturæ solius Dei est, quoniam alias & facultatem operandi frustra homini indidisset, & vinculum dependentiæ ab eo subsistere nequiret. Lege autem divina cautum est misso Bono apparente *verum* quærere Jes. LV. 2. Mich. VI. 8. Hoc ostendunt desideria & per naturam indita & per Gratiam redintegrata. Hinc ad criteria Legislatoris veri pertinet *ostendere bonum* Ps. IV. 7. Ipsam *sanctionem* Legis Fidei huc velificari docuimus Cap. V. §. 14.

V. BONUM VERUM est vel *absolute*, *quicquid perfectionem quandam* in se *habet*; vel *relative*, *quicquid idoneum est ad* nos *perficiendum*, *sive illud in nobis*, *sive extra nos occurrat*. Prius *Bonum* per posterius demonstratur: Posterius sine priori esse nequit. Gradu autem differt. Unde distinguimus inter *Bonum summum* & *subordinatum*.

VI. BONUM SUMMUM est, *quod in ultimum omnium actionem finem ita est positum, ut voluntas in ejus obtentione, tanquam summo perfectionis, cujus capax est, gradu, plene acquiescat*. Tale Bonum exclusis omnibus creaturis est DEUS.

VII. Quod in eo sit veri nominis *Bonum*, patet

(1) Quoniam ei *bonitas absoluta*, tanquam Enti perfectissimo ac beatissimo competit Matth. XIX. 17.

(2) Quoniam sufficiens est & promtus ad benefaciendum creaturæ rationali, & sigillatim in Christo per Fœdus Gratiæ se tanquam *Bonum* populi sui proposuit Psal. LXXIII. 1. CXLV. 9. Hinc nominatur *pars* seu *portio* electorum Psalm. CXIX. 57. Jerem. X. 16. Luc. X. 42.

VIII. Quod sit *Bonum Summum*, inde sequitur.

(1) Quoniam tantum *præstat* omnibus aliis bonis, quantum *Deus* præcellit omni creaturæ. Seipsum enim indulget. Ipse est *merces magna valde* Gen. XV. 1. Unde omnes promissiones gratiæ in hac una continentur, quod suis *sit* & *futurus sit* IN DEUM.

(2) Quoniam est *Bonum universale* morale & physicum, Angelorum & hominum, mentis & corporis, hujus & futuræ vitæ. OMNIA IN OMNIBUS 1. Cor. XV. 28. Psalm. XXXIV. 11. Phil. IV. 19.

(3) Quoniam est *Bonum* ita *perfectum*, ut omnibus desideriis terminum ponat 1. Cor. XIII. 9. Phil. IV. 18.

(4) Quoniam est *Bonum unicum*, extra quem nullum Bonum invenitur Jerem. III. 23.

(5) Quoniam est *Bonum originale*, Fons & Oceanus omnis boni dabilis Jac. I. 17.

(6) Quoniam est *Bonum ultimum*. Quicquid Boni extra eum invenitur, est medium, quod ad hoc Bonum deducit.

IX. *Fruitio* hujus *Boni* adeoque nihil aliud est, quam

quam *Communionis cum Deo exercitium.* Hoc tanquam Finis totius operis salutis Joh. XVII. 21. nec non omnis prædicationis & omnium actionum sanctarum consideratur 1. Joh. 1. 3. 7. Cum autem omnis *communio* sit *reciproca*, hinc distinguere possumus inter communionem *activam* & *passivam.* Illa exercetur per *glorificationem Dei*, hæc per *propriæ beatitudinis* in hac cum Deo communione *fruitionem.* Utraque pars *distincte*, sed tamen *indivulse*, ut Finis ultimus considerari potest.

X. GLORIFICATIO DEI alias dicitur ejus *sanctificatio*, nihilque aliud comprehendit, quam עדות / μαρτυρίαν, *testimonium*, *quod summæ ejus excellentiæ, sive ea spectetur ut adhuc demonstranda, sive ut jam demonstrata, exhibetur.*

XI. *Objectum glorificationis* tam late patet, quam late כבוד / δόξα, *Gloria* ipsius Dei, quæ alias etiam שם *nomen* ejus dicitur, se extendit. Illa autem comprehendit.

( ) Quicquid Deus se suis perfectionibus revelavit.

(2) Speciatim illam excellentiam, quam in opere Gratiæ manifestavit Exod. XXXIV. 6. 7. coll. XXXIII. 18. adeoque virtutes Dei Triunius, Patris, Filii ac Spiritus sancti, secundum ordinem œconomicum considerati.

(3) Specialissime illum splendidiorem manifestationis Gloriæ divinæ gradum, quo Oeconomia Novi Testamenti fulget.

XII. Circa *actum glorificationis* distinguenda est duplex *glorificatio*, altera quam Deus *sibi ipsi* præstat, altera quam *a creatura* rationali accipit.

(1) In priori magis *passive* nos habemus, quando ex desiderio intimo, ut gloria Dei ulterius reveletur, nos Deo permittimus, ut nobis tanquam *instrumentis gloriæ* 2. Timoth. II. 20. utatur.

(2) In *posteriori* autem magis *active*, quando in eo occupamur:

(a) *Interne*, ut gloriam Dei penitius agnoscamus, agnitam rite æstimemus, atque amori ejus hoc pacto pabulum præbeamus. Ps. CIII. 1. CXIX. 175. 1. Petr. III. 14.

(b) *Externe*, ut & *ore* Deum celebremus Psalm. CV. 1. 2. 3. CXLV. 5. 6. & *opere* ipso effecta Gloriæ Dei in nobis demonstremus Joh. XV. 8.

XIII. *Gradus* diversi in *glorificatione* possunt distingui.

(1) Est quædam omnibus fidelibus communis, quæ secundum incrementa Gratiæ paulatim plenius Deo fertur Ps. XXII. 5. LI. 17.

(2) Est quædam tempori Novi Testamenti propria, idque secundum progressus Dei in Sanctuario Ecclesiæ proportionata Ps. LXVIII. 5. 20. 26. 27. 35. Apoc. IV. 9. XV. 3. XIX. 6. 7. Hæc emphatice dicitur *Canticum novum* Psalm. XCVI. 1 - - - 3. &c.

(3) Est quædam Ecclesiæ triumphanti propria, per quam cœleste *Hallelujah* in omnia secula decinetur Ps CXLV. 1, 2.

XIV. Hic est Finis ultimus, quem Deus fixit in Verbo suo omnibus nostris actionibus 1. Cor. X. 31. Col. III. 17. Nihil æquius ab eo fieri potuit. Nam

(1) Hic

(1) Hic Finis est omnium operum Dei, quibus ad extra operatur: omnia enim agit *propter nomen suum*. Eundem ergo Finem sibi figere, in emphasi est *Deum sequi*, *Deo assimilari*.

(2) Hic Finis fixus est omnibus creaturis, quas Deus condidit & conservavit Rom. XI. 36. Hebr. II. 10.

(3) Nec alio Fine potuit facultates ad glorificandum nomen suum aptas indere.

(4) Signate hic Finis est Operis Gratiæ Rom IX. 23. Ephes. I. 6.

(5) Hic Finis est Evangelii de consummata Redemptione, omniumque bonorum Novi Testamenti Jes. XLIII. 21. 1. Petr. II. 9. Hinc decentia ejus inculcatur Ps. XXXIII. 1. Hoc convenit communioni, quam fideles N. T. cum beatis cœlitibus exercent Apoc. V. 13. 14. Unde in hoc Fine per primam petitionem clausulasque votis sanctorum sæpe additas omnia terminantur Psal. XLI. 19. LXXII. 18. 19. Hebr. XII. 20. 21 &c.

(6) Hic Finis summam dignitatem hominis constituit, & cum vera ejus salute conjunctus est, quoniam omnes facultates ejus non magis perfici possunt, quam per Glorificationem Dei.

XV. Altera pars *Communionis cum Deo* est summæ BEATITUDINIS in illa FRUITIO. *Beatitudinem* summam consistere in *perfecta Salute* per liberationem ab omni imperfectione & translationem in statum summæ Perfectionis, illamque Perfectionem nihil aliud quam summum cognitionis & Amoris Dei gradum involvere, alias ostenditur. *Fruitionem* hujus Beatitudinis conficit *jucunda* tantæ felicitatis, per quam Deus amorem

rem ſuum erga ſuam creaturam obſignat, *conſcientia.*

XVI. *Gradus* iidem heic recurrunt.

(1) *Beatus* eſt jam ab initio fidei, quem Deus funibus amoris trahere incepit. Nam *qui credit, jam habet vitam æternam.* Præſertim ex quo ipſe fidelis certior redditur, quod in Regnum Dei intraverit.

(2) *Beatior* eſt eorum conditio, quibus ſub Novo Teſtamento meliores promiſſiones obtigerunt. Unde ad illos אשרי & μακαριοι plerique in ſacris pertinent.

(3) Summus conſcientiæ, perfecte tranquillatæ & lætificatæ gradus in cœlo attingetur Pſalm. XVI. 11.

XVII. Hanc quoque Summi Boni partem ut Finem ſuum ultimum fideles ſpectare debent.

(1) Ea fini tot ſplendidas promiſſiones de vita æterna in verbo ſuo propoſuit, per quas ut *coronam, mercedem, præmium* ad Legis ſuæ obſervantiam excitavit. Vide inter millenas 1. Cor. XV. 58.

(2) Quin promiſſiones has in præcepta convertit & cibum permanentem ac ſalutem operari juſſit Joh. VI. 27. Phil. II. 12. Hebr. XI. 6.

(3) Et laudat eorum exempla, qui per ſpem tantæ beatitudinis incitati fuerunt ad curſum ſuum proſequendum. Sic ipſe Præcurſor Chriſtus egit. Hebr. XII. 2. Sic alii ſancti Hebr. XI. 26. 1. Cor. IX. 25.

(4) Idque eo magis, quoniam hic ipſum *lætari* in ſenſu communionis Domini eſt actualis *glorificatio* Domini.

(5) Quia

(5) Quia ne quidem absque hujus salutis in Deo fruitione Deus glorificari posset. Nam

(a) Glorificatio pro objecto habet Gloriam Dei, quæ cum id sit, quod de se Deus revelare voluit, cumque inter illa potissimum id locum occupet, quod in peccatore salvando omnes divitias excellentiæ suæ voluerit exponere, hinc inferimus, quod nemo possit Deum glorificare, nisi qui illum considerat, ut *Salvatorem peccatoris.*

(b) Conscientia beatitudinis suæ in Deo nihil aliud est, quam experimentalis gloriæ divinæ in seipso cognitio, quæ ad Deum rite glorificandum prorsus est necessaria.

XVIII. Facile jam apparet, quod duæ hæ partes summi Boni *unitatem* & *simplicitatem* ejus non evertant, sed confirment.

(1) Quoad *materiam* plane coincidunt, uti ex dictis sequitur.

(2) Quoad *formam* in solo conceptu differunt, quemadmodum nempe *conscire sibi* differt ab *intelligere* & *velle.*

(3) Vinculum quodcunque, licet duas extremitates habeat, in se tamen unum est. Eadem ratione unum est *vinculum perfectionis*, nempe *amor*, Col. III. 14. quamvis ille per naturam suam sit reciprocus.

(4) Perpetua inter hæc duo est & in æternum erit *reciprocatio.* Occupatio perpetua in glorificando Dei ex se gignet perennem conscientiæ jucunditatem. Jucundus autem hic conscientiæ sensus perpetua novarum laudum erit materies. Quare quærere, quis Finis ex his duobus sit ultimus,

mus, ferme tantundem est, ac quærere, quando finitura sit æternitas?

XIX. Nullam ergo hæc duo a se divellendi causſam habent *Pseudo-Mystici*, qui Gloriam Dei absque respectu propriæ Salutis ultimum Finem esse statuentes non solum naturam hominis pervertunt, sed etiam ipsius Dei Gloriam obscurant, totique Ethicæ Christianæ ruinosum fundamentum substernunt.

XX. BONUM SUBORDINATUM nuncupatur, *quod Finis particularium quarundam actionum proximus est, non ut in obtento hoc Fine acquiescatur, sed ut per ejus obtentionem tanquam medium ad ulteriorem perfectionem tendatur.* Hoc igitur non est Bonum absolutum, sed relativum duntaxat, & in quantum *medii* locum habet ad aliud Bonum comparandum. Unde quemadmodum *multiplex* ita & *pretio* diversum est, quatenus nempe aut *propius* aut *remotius* Finem ultimum attingit.

XXI. Proxime adeoque Fini ultimo adjacent *Bona spiritualia*, quæ Deus cum initiis communionis suæ jam in hac vita indulget. Illa enim & ejusdem cum *Bono summo naturæ* sunt, quamvis *gradu* differant, & *media* sunt potissima, per quæ Deus electos *idoneos reddit ad hæreditatem sanctorum in luce* Col. 1. 12. 2. Petr. 1. 3. 4. Unde *thesaurum* verum animæ conficiunt Jes. XXXIII. 6. Matth. XIII. 44. Prov. VIII. 18--21. Et primo loco ea *quærenda esse* inculcatur Matth. VI. 19. 20. 33. Diversi eorum gradus iterum sunt:

(1) Quo-

(1) Quoad *internam indolem*, quatenus alia aliis ad salutem magis sunt *necessaria*.

(2) Quoad *œconomiarum diversitatem*, cum *Bona Novi Testamenti* & *præstantia* interna & *universalitate* præcedentium temporum Bona exsuperent Hebr. XI. 39. 40.

XXII. Longius a Fine Ultimo distant *Bona Corporalia* & mere *Temporalia*, quæ ex genere Bonorum non plane esse excludenda liquet.

(1) Quia Deus illa *promisit* Matth. VI. 30. 32.

(2) Quia Christus illa *petii* jussit.

(3) Quia pertinent ad Bona per Sanguinem Christi *sanctificata*, & *Dominium* in creaturas, quod per ipsum est restitutum 1. Cor. III. 22. 23.

(4) Quia revera materiam ad *glorificandum Deum* subministrant 1. Tim. IV. 3. 4. 5.

XXIII. Nihilominus recto ordine hæc Bona sunt collocanda, tanquam minoris longe pretii, quam spiritualia Ps. I. v. 8. Nam

(1) *Subordinari* debent non solum *Bono summo*, sed & *Bonis spiritualibus* hujus vitæ, quatenus eo faciunt, ut iter in occursum Domini eo facilius promoveatur, & corpus ad officia glorificationis Dei aptius reddatur.

(2) Considerari debent tanquam bona *minus necessaria*, quibus absque salutis detrimento carere possemus Luc. XVI. 20--22.

(3) Sigillatim in Novo Testamento, in quo longævitas & prosperitas externa non amplius pro signo favoris divini reputari, neque eorum bonorum amissio lætitiam fidelium obtenebrare potest Hebr. X. 34.

XXIV.

XXIX. Bonum apparens est id, *quod ex falsa opinione nobis fingimus tanquam tale, quod non solum* in se *præstans sit, sed* in *quo etiam* perfectio nostra *consistat, aut per quod ea promoveri possit, quamvis reapse eam destruat.* Quare quod sub specie Boni nobis obversetur, non ex ipsius objecti natura, sed ex phantasia unice oritur, quæ per erroneum de nostræ naturæ præstantia, aut de natura earum rerum, quæ ad ejus perfectionem pertinent, conceptum plane est corrupta.

XXV. Bonum apparens Summum est *Felicitas propria hominis, divulsa a glorificatione Dei.* Hoc enim sibi in Finem ultimum posuisse peccatorem sui caussa omnia agentem capite sequenti videbimus.

XXVI. Verum ex eo ipso liquet, id quod ei apparet, ut Summum Bonum, revera esse *Summum Malum.*

(1) Quia creatura a Deo avulsa ab unico omnis veri Boni authore est separata.

(2) Quia creatura ad se conversa ac sibi ipsi serviens mancipio Diaboli servit.

(3) Quia per hanc apostasiam a Deo ad seipsam maledictioni æternæ omnipotentis Dei est subjecta.

(4) Quia ipsa perfectio, quam sibi in seipsa videtur invenire aut fovere velle, merum phasma est. Non enim potest esse *perfectio mentis*, cujus facultates nonnisi per cognitionem & amorem Dei perficiuntur, sed solius *corporis*, adeoque qualis est brutorum, irrationalis, & momentanea, cum morte evanescens, & quo major apparuit, eo infeliciorem animam destituens.

XXVII.

XXVII. BONUM APPARENS SUBORDINATUM est *quicquid obversatur eidem phantasiæ corruptæ ut medium ad seipsum abstracte a Deo ejusque gloria perficiendum, aut in perfectione imaginata conservandum.* Subordinatio hæc cum non possit minus *stulta* esse, quam ipsa Boni Summi constitutio, in gradu tamen stoliditatis varie se habet.

XXVIII. Stoliditas *summa* est, quando ipsum Bonum Summum vere tale huic Fini subordinatur. In id impingunt omnes,

(1) Qui Boni vere Summi oblivione in fervore concupiscentiárum suarum capti, istud quantum in se est sacrificant ac disperdunt, ut tantum corpori ad breve tempus bene sit Jerem. XI. 12. 13.

(2) Qui ipsum Deum Benedictum suæ impuræ concupiscentiæ subjiciunt, quoniam propterea Deum colunt, ut eos hic in æternum beatos reddat. Hic error Pelagianismo tam crassiori quam subtiliori communis est, qui viam Virtutis ut asperam ac molestam considerat, quam ultro nemo eligeret, nisi spe amplissimæ mercedis in illam pelliceretur Hos. VII. 14. Luc. XV. 29.

XXIX. Reliqua *minora falsæ subordinationis* genera sunt,

(1) Quando Bona spiritualia lucri turpis caussa desiderantur, exemplo Simonis Magi Act. VIII. 18. 19.

(2) Quando facultates mentis impenduntur & exhauriuntur, ut corpori bene sit Luc. XV. 23.

(3) Quando externa hujus mundi Bona, quæ Deus ut media ultimi ordinis ad verum cultum cum majori facilitate præstandum indulget, in Bona principalia evehuntur, quæ proxime Felici-

tatem ſummam, quam peccator intendit, promovere debent Luc. XVI. 1.

CAPVT OCTAVUM.

De intentione tam falſa, quæ comprehendit *Superbiam*, *Philautiam*, ac *Dipſychiam*, quam legitima, quæ involvit *Humilitatem*, *Abnegationem ſui ipſius* & *Simplicitatem*.

SUMMARIUM.

I. *De* intentione *in genere agitur* §. 1—3.
A. *Probando, quod eius ratio hic haberi debeat* 1.
B. Vitia ac virtutes *eo pertinentes recenſendo* 2. 3.
II. *Specialior deductio indicat* 4—39.
A. Intentionem *verſantem* circa finem illegitimum 4—28.
1. Vitia, *quæ* appetitus finis illegitimi *involvit* 4—13. *ſunt*
a. Superbia 4—8. *quæ*
α. *Deſcribitur* 4—6.
β. *Momentum ejus indicatur* 7. 8.
א. *Propter ejus univerſalitatem* 7.
ב. *Propter ejus fœditatem* 8.
b. Philautia 9—12. *quæ*
α. *Deſcribitur* 9—11.
β. *Momentum ejus indicatur* 12. 13.
א. *Propter*

א. *Propter ejus universalitatem* 12.
ב. *Propter ejus fœditatem* 13.

2. Virtutes, *quæ* fugam finis illegitimi *conficiunt* 14---28. *sunt*
a. Humilitas 14---19. *quæ*
α. *Describitur* 14---17.
β. *Momentum ejus indicatur* 18. 19.
א. *Ex ejus universalitate seu necessitate* 18.
ב. *Ex argumentis ejus pretium commendantibus* 19.
b. Abnegatio sui ipsius 20---28.
α. *Describitur* 20---26.
א. *Data* definitione 20.
ב. *Addita* specialiori deductione 21---26. *in qua sigillatim tractatur*
a. *De* objecto abnegationis 21.
b. *De* actu abnegationis 22---26. *qui duplex est*
α. Abnegatio moralis 22---25.
†. *Opposita* philautiæ crassiori 22---24.
††. *Opposita* philautiæ subtiliori 25.
β. Abnegatio Physica 26.
β. *Momentum ejus indicatur* 27. 28.
א. *Ostendendo universalem ejus necessitatem* 27.
ב. *Motivas proponendo* 28.

B. Intentionem *versantem* circa finem legitimum 29---39.
1. Vitium *circa eum* perverse *procedens est* Dipsychia 29---33. *quæ*

a. *Describitur* 29—31.
b. *Momentum ejus ostenditur* 32. 33.
α. *Quoad universalitatem* 32.
β. *Quoad turpitudinem* 33.
2. Virtus *circa eum* recte *se habens est* simplicitas 34—39.
a. *In ejus descriptione* 34—37.
α. *De nomine* 34.
β. *De re ipsa* 35—37.
b. *Momentum ejus urgetur* 38. 39.
α. *Universali necessitate* 38.
β. *Æquitas* 39.

I.

Forma, quæ actionibus nostris relate ad finem consideratis induitur, INTENTIO earum dicitur. Quin ab illa judicium de actione ipsa multum dependeat, dubitari nequit; quoniam primum est movens, per quod ad agendum impellitur.

II. Omnis hominis *Intentio* in omnibus actionibus suis in Statu corrupto perversa est, duplicique vitio semper cohærente laborat.

(1) Partim enim *Finem illegitimum* sibi præfixit tum judicio vitiato per *Superbiam*, tum voluntate ipsa in servitutem redacta per *Philautiam*.

(2) Partim autem *Finem legitimum* cum illegitimo confundere tentat per *Dipsychiam*.

III. Ab hoc morbo sanatur & contraria *Intentione recta* imbuitur animus,

(1) Qui Finem illegitimum plane relinquit, judicio per *Humilitatem*, voluntate autem per *Abnegationem sui ipsius* curata.

(2) Qui

(2) Qui Finem legitimum absque ulla mixtura purum solumque sibi præstituit, quod est *Simplicitatis*.

IV. SUPERBIA גאה / seu גאוה / יוהר / זדון / Αυθάδεια, αλαζωνεία, Υπερηφανία, Τύφος, in sensu specialiori alias etiam usitata, hic in sensu generaliori a nobis sumitur, quatenus est *vitiosus habitus judicii, quo quis majoris se ipsum æstimat, quam revera valet.* Lustrandum hic tum *fundamentum* hujus judicii, tum *judicium ipsum.*

V. *Fundamentum* hujus judicii est vana persuasio, quam peccator de præstantia facultatum suarum tum *naturalium* tum *moralium* habet.

(1) Præjudicium circa facultates naturales formant *dona animi, corporis, fortunæ*, atque inter illa sigillatim prætensio sapientiæ Prov. XXVI. 12. Eccl. VII. 16.

(2) Quoad facultates morales præjudicium superbum gignit imaginatio qualiscunque justitiæ coram Deo, sive ut jam præstitæ, sive propriis viribus adipiscendæ. Impingunt hic *blandientes sibi in oculis suis* Ps. XXXVI. 3. quorum *via recta videtur coram facie eorum* Prov. XIV. 12. exemplo *Pharisæi* Luc. XVIII. 11. 12. & juvenis Matth. XIX. 20.

VI. *Judicium ipsum* in eo consistit, ut quis propter tales facultates se dignum existimet, ut non solum *sui causa vires proprias* impendat, sed & *ad se* perficiendum, *cæteræ creaturæ*, cumprimis alii *homines*, quin certa ratione *ipse Deus*, munera sua ad excellentiam tam egregii, scilicet objecti sive agnoscendam sive promovendam conferant.

VII. Hoc præjudicium tam late patet, ut non so-

solum primo tam Angelorum quam hominum peccato præstructum fuerit, sed etiam in omnes vitiosos actus influat, in quibus constanter peccator nullum *Finem*, quam seipsum habet. Quare etiam fideles sæpenumero hic impingunt, qui non solum propter quandam præcellentiam naturalem, sed etiam propter ipsa dona gratiæ, plus quam decet, se ipsos extollere possunt, 1. Cor. IV. 8. contra quam vitiositatem ipse Apostolus eapropter muniendus erat 2. Cor. XII. 7.

VIII. Turpitudo hujus vitii patet.

(1) Quia nihil stultius est, dum non solum *nihil* homo *habet*, *quod non acceperit* 1. Cor. IV. 7. sed etiam omnem suam excellentiam ipse corrupit, & *videtur sibi aliquid esse, cum nihil sit* Gal. VI. 3.

(2) Quia nihil est fœdius. *Cujus animus se effert, ille obliviscitur Dei sui* Deut. VIII. 12. & *prævaricatur contra Jehovam* 2. Chron. XXVI. 16.

(3) Quia nihil est periculosius. Deus directe ei adversatur Prov. VI. 6. 17. XV. 25. Ipse viam ad salutem sibi præcludit Luc. XVIII. 14. Jac. IV. 6.

IX. PHILAUTIAM illico cum SUPERBIA conjungimus, quia primus atque immediatus ejus effectus est. Unde a quibusdam pro synonymis habentur. Quamvis enim vox hæc sensum medium habere videatur, usu tamen in malum abiit, designans illum *perversum voluntatis habitum, quo per superbam judicii de seipso præsumtionem determinatur ad acquiescendum in seipso eousque, ut se sibi atque aliis in finem actu præfigere con-*

contendat. Est autem hæc Philautia vel *crassior*, præjudicium de facultatibus naturalibus, vel *subtilior*, præjudicium de facultatibus moralibus cæco impetu sequens.

X. *Philautia crassior* est illa, qua quis

(1) *In seipso*, sua sapientia, sua pulchritudine suis divitiis & quocunque, quod possidet, bono corporali *delectatur.* Ps. LII. 8. X. 13.

(2) Ad felicitatem hanc suam imaginariam conservandam ac promovendam, quicquid in rerum natura est, pro re nata impendere studet. Adeoque

(a) *Omnes proprias* ingenii corporisque *vires & opes*. quas possidet, in hunc *Finem* prodigit.

(b) Quicquid *extra se* occurrit, eidem subservire vult. Huc tendit per tres illos vitiosæ concupiscentiæ ramos, in quos Philautia abit, *concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum & fastum vitæ* 1. Joh. II. 17. Sub hac triplici classe Spiritus sanctus elegantissime comprehendit omnia objecta pravæ concupiscentiæ, quæ in mundo sunt, *voluptates, opes & honores.* Et dum illa universa φιλαυτὸς ad se ipsum dirigit, totam creaturam vanitati suæ subjicit, a quibuscunque in quos incidit, *æstimari, honorari, præferri* cupit Joh. V. 44. XII. 43. ipsumque Deum, cujus potentia mundus subsistit, suæ libidinis insatiabilis, quantum in se est, ministrum facit.

XI. *Philautia subtilior* ipsas *facultates morales* ac spirituales corrumpit:

(1) Dum imaginariam suam felicitatem pro *Fine* omnis cultus divini ponit, quasi Deus aut

injustus aut *miser* esset, nisi vermiculum impurum beatum reddat 2. Petr. III. 1.

(2) Dum *media* ad salutem in sua potestate esse existimans secundum sui cordis figmentum Deum colit, Deut. XXIX. 19. Jerem. XLIV. 17.

XII. Venenum ergo hoc in ipso initio lapsus Evæ conspicuum per omnes posterorum ejus actiones tam religiosas quam communes a natura est diffusum, quod ipse *Aristoteles* ad Nicomachum lib. IX. cap. 8. agnovit dicens: *Videtur homo improbus omnia sua causa agere, eoque magis, quo sit vitiosior.* Omne peccatum est *Philautia.* Quid enim est peccare, nisi Lege Dei contemta, facere, quod ipse vis, adeoque voluntatem tuam voluntati Dei præferre? Nativam hanc perversitatem *educatio* firmat. Infantibus jam omnia indulgentur, ne plorent. Adolescentes per proposita præmia ac laudes inanes ad officia incitantur. Et sic consuetudo nihil nisi *sui causa* agendi in tota vita obfirmatur. Quare & in ipsis *regenitis* non plene est extirpata, uti patet, sive quando commoda hujus vitæ *ardentius quærunt*, sive quando illa cum ipsa vita pro gloria Domini *invita* vel tergiversantes *relinquunt* Cant. V. 2.

XIII. Quam abominandum sit hoc vitium, liquet

(1) Quoniam id, quod amatur, aut *nullo*, aut saltem *tanto* amore dignum non est.

(2) Quoniam hoc pacto creaturæ extra ordinem, in quo a Deo erant constitutæ, exturbantur, quin honor soli Deo debitus ei eripitur & nobis tribuitur.

(3) Quoniam Philautia ejusmodi revera est

odium

odium sui ipsius, quin crudelis αὐτοχειρία Prov. VIII. 36.

XIV. Superbiæ bellum indicit HUMILITAS, שפל / ענוה ταπείνωσις seu ταπεινοφροσύνη, quam falso quidam describunt per *salutis incuriam*, cum potius designet illum *habitum judicii, a Spiritu Sancto infusum, quo quis de sua dependentia & indigentia intime persuasus nihil sibi neque in natura neque in gratia extra Dei voluntatem tribuendum esse existimat.*

XV. Caussa hujus habitus soli Deo & Spiritui ejus est tribuenda, qui *cor humiliat, montes & colles deprimendo* Jes. XL. 4. cujus tumor alias omnibus naturæ viribus insuperabilis est.

XVI. *Fundamentum* judicii talis de seipso est clara perceptio & agnitio:

(1) Absolutæ *dependentiæ*, quoad omnes facultates tam naturales, quam morales, a Deo Joh. III. 27.

(2) Summæ *indigentiæ* seu *potentiæ* per adhærentem vitiositatem ad quodcunque bonum opus 2. Cor. III. 5. tam in principio, quam in progressu gratiæ 1. Cor. XV. 10. Gal. II. 20.

XVII. *Judicium ipsum* in eo consistit, ut anima secundum hoc lumen directa, nullam plane gloriandi in se ansam deprehendat, adeoque *non elate de seipso sentiat* Rom. XII. 16.

(1) Quoad illa, quæ jam *possidet*, tam in natura Jerem. IX. 23. quam in gratia 1. Cor. IV. 7. quoniam.

(a) Neque quicquam *in se* habet, ut Sponsa, quæ nihil affert, sed a Sponso dotatur, quin ut indignissimus 2. Sam. VII. 18. Ezech. XVI. 6.

(b) Neque quæ habet, ad *justitiam & salutem* propter imperfectionem conjunctam sufficiunt, cum ipsi Seraphini pedes tegant Jes. VI. 2.

(c) Neque *propriis viribus* vel ad momentum ea *conservare* potest 1. Cor. X. 12.

(d) Quin omnibus momentis ea iterum *amittere* meretur Rom. XI. 20. 21.

(2) Quoad illa, quæ *exspectat*, multo minus sibi tribuere potest.

(a) Quoniam illa omnia, quibus indiget, in liberrimo *beneplacito Dei* posita sunt.

(b) Quoniam omnibus *viribus* est *destituta* tam ad viam *inveniendam*, quam ad eam *ingrediendam*, ut vera felicitate potiatur. Quare & *cœcus* Joh. IX. 41. & *stultus* 1. Cor. III. 18. & *puer* Matth. XVIII. 3. unusquisque evadere & *annihilari* quasi debet, ut Deus in ipso *omnia* fiat.

XVIII. Hanc virtutem in *omnes actiones* bonas influere liquet, quoniam neque abnegationi sui ipsius, neque fidei ullus locus est, nisi illa præcesserit. Unde inter postulata generalia *humiliter ambulare cum Deo* Mich. VI. 8. & paupertas secundum Spiritum Matth. V. 3. primum locum occupat. Nunquam sane legitime circa seipsum versabitur, qui suo se metiri pede non addidicit. Et facile est demonstratu, quod nullum neque erga Deum neque proximum officium absque vera humilitate cordis præstari queat. Quicquid enim alteri præstamus, pro fundamento habet agnitionem certi gradus præcellentiæ in objecto, circa quod versamur. Illa autem agnitio nisi a corde humiliato exspectari non potest.

XIX. Maxime sane hæc virtus est æstimanda:

(1) Quia

(1) Quia tale judicium de seipso est judicium secundum veritatem. *Quid est homo?*

(2) Quia viam sternit ad gloriam Deo reddendam, quam superbia ei eripuit. Hinc consideratur ut *sacrificium*, quod *Deo placet* Ps. LI. 9. & humiles toties Deus declaratur respicere Ps. XXXIV. 19. Jes. LXVI. 2. *apud* illos *habitare* Jes. LVII. 19. eos *extollere* Ps. CXIII. 7. 8. CXLVII. 6. Matth. XXIII. 11. 12. Jac. IV. 6. 7. 10.

(3) Quia cor evacuat, adeoque idoneum reddit ad gratiæ divinæ thesauros capiendos. Unde secundum incrementum hujus virtutis de incremento gratiæ in nobis judicari potest. *Quisquis se submiserit, sicut est puerulus iste is est maximus in Regno cœlorum* Matth. XVIII. 1. sq.

(4) Quia maxime illustribus exemplis micat tum ipsius Christi Matth. XI. 29. Phil. II. 3. sq. tum sanctorum, qui præ aliis eminuerunt, Abrahami Gen. XVIII. 27. Davidis 1. Chron. XXIX. 14. 15. Pauli 1. Tim. I. 15.

(5) Quia convenit intime cum Statu Novi Testamenti, cujus hæredes Prophetæ sæpe describunt ut *humiles & tenues* 1. Sam. II. 8. Jes. LXVI. 2. Luc. I. 52. Nam

(a) Omnis in externis carnis prærogativis gloriandi ansa illis periit, ex quo *omnis caro ut fœnum, & gloria ejus ut flos campi evasit* Jes. XL. 6.

(b) Quo majora adepti sunt beneficia, quo excellentiores habent promissiones, eo majorem inveniunt suam indignitatem. Unde cum XXIV. Senioribus coronas suas coram throno Dei abjiciunt Apoc. IV. 10. 11.

XX. Ab-

XX. Abnegatio sui ipsius est primus effectus humilitatis, Philautiæ medelam afferens, atque in eo consistens, ut *voluntas hominis regeniti de sua ἀδυναμίᾳ* cœlitus *persuasi parata sit ad omnem honorem illegitimum sibi ipsi denegandum atque eripiendum, eousque, ut neque seipsum amplius in Finem sui aut aliorum extra se constituere, neque ullum medium ad salutem per se aut apud se quærere velit.*

XXI. Id, quod abnegari debet, Scriptura nominat *seipsum*, quod vel in sensu *morali* de *corruptione*, quæ *alter ipse* evasit, Rom. VII. 18. vel in *physico* de quibuscunque *facultatibus naturalibus* Matth. XXII. 39. intelligi potest, quoniam utrovis modo nobiscum ipsis *idololatriam* a natura committimus.

XXII. Abnegat ergo seipsum *moraliter*, primo *crassiorem* Philautiam exstirpando, qui suæ pravæ concupiscentiæ impletionem non amplius *sibi* aut *aliis* vult in finem ponere. Habet autem hæc abnegatio pro objecto duplicem relationem, in qua sumus constituti vel ad propriæ felicitatis *possessionem*, vel ad ejus *acquisitionem*.

XXIII. Circa imaginariam propriæ felicitatis *possessionem* seu præsumptionem abnegat se ipsum, qui non amplius *in seipso deliciatur*, sed fastidio sui ipsius est impletus, & obedientiæ, quam sibi in miserrima servitute præstitit, penitus renunciat, 2. Cor. v. 15. abnegans

(1) *Propriam sapientiam* carnalem, Prov. XXII. 4. quam ut dementiam abominatur.

(2) *Propriam voluntatem*, dum nihil amplius vult ex motu carnis suæ agere.

(13) *Pro-*

(3) *Proprium corpus*, dum ejus pulchritudinem, sanitatem, vires, tanquam bona superficiaria, aliena & transeuntia, quin abusu turpissimo corrupta, vilipendit.

XXIV. Destructio ita propriæ felicitatis quoad *possessionem* præjudicio mox perspicitur, quod etiam *in futurum* nihil a nobis ipsis exspectandum sit. Adeoque *abnegare se* pergit, qui non amplius vult *sua* aut *aliorum* ope ad seipsum in illa felicitate *conservandum aut provehendum* abuti.

(1) Non *sua ope*, sive per dotes ingenii, sive per affectuum impetum, sive per vires corporis, sive per temporis jacturam, sive per facultatum externarum, quas possidet, dispendium.

(2) Non *ope aliorum*, sive Dei, sive hominum, sive quarumcunque creaturarum. Adeoque

(a) Qui non amplius vult *Deum* suæ malæ concupiscentiæ ministrum reddere, sed potius se ipsum abjicere ac condemnare paratus est, quam velle, ut Deus peccatoris caussa sanctitatem suam obscuret.

(b) Qui *laudem* quamcunque *hominum* pro inani ducit, Gal. v. 26. quia omnem hominem mendacem esse Ps. CXVI. 11. ac *nihil pendere* Ps. LXII. 10. animadvertens, omne *brachium carnis* abdicat.

(c) Qui renunciat *omni creaturarum usui*, quatenus per illas carnis suæ commoda promovere ac sitim implere antea quæsivit; quæ renunciatio ad omnia creaturarum genera & omnia bona mundana se extendit, nullo excepto, sub prætextu, quod abusui huic subjectum fuit. Quo pacto abne-

abnegatio sui ipsius abnegationem totius mundi involvit. Ps. LXXIII. 25. 26. Marc. IX. 43 -- 48. Tit. II. 12.

XXV. Philautiam quoque *subtiliorem* abnegatio sui ipsius destruit, dum regenitum nullum medium ad salutem neque *per se*, neque *apud se* quærere vult.

(1) Non *per se*, rejiciendo omnem propriam & justitiam Jes. LXIV. 10. Phil. III. 8. 9.

(2) Non *apud se*, dum nihil quicquam de suo vult impendere, neque *mediate*, neque *immediate*, ut sibi ipsi viam ad felicitatem aperiat.

(a) Non *immediate*, quoniam abnegat & omnem *propriam sapientiam* ad viam hanc inveniendam, & omnem *propriam potentiam*, per vires liberi arbitrii, ad viam hanc ineundam.

(b) Non *mediate*, quoniam simul abnegat omnes *homines*, omnesque *creaturas*, in quarum merito, intercessione, pretio caro *lytron animarum* unquam quæsivit.

XXVI. Sed & *Physica sui ipsius Abnegatio* accedere debet: non quasi omne propriæ felicitatis sive temporalis sive æternæ desiderium studiumve exuendum esset, ut quidam crepant; sed eo duntaxat sensu, ut voluntas promta sit, jubente Deo, omnia mundi hujus bona, ipsamque vitam corporis, non solum libenter exuere, sed etiam pro *gloria* nominis ejus profundere Act. XX. 24. Hoc intelligitur per *odium vitæ* atque *animæ* suæ Luc. XIV. 26. Joh. XII. 25. Adde Matth. XIX. 28. 29.

XXVII.

XXVII. Ita late hoc officium patere, ut pro *cardinali* sit habendum, liquet

(1) Ex *generali* ejus *præscriptione* sine exceptione status, conditionis, sexus. *Si quis post me venire vult, ille seipsum abneget* Matth. XVI. 24. Marc. VIII. 34. Luc. IX 23.

(2) Ex ipsius rei natura, quoniam *tota obedientia fidei* in omnibus actionibus eam supponit. Cum enim fides *solum Deum* in Christo quærat, ut *unicam* omnis salutis causſam, a nemine id exspectari potest, nisi qui ex seipso exiit & a seipso divortium fecit.

(3) Quia hoc officium exhibet certum criterium, secundum quod non solum de initiis, sed etiam de incremento Status Gratiæ judicari potest.

XXVIII. Æquitas ejus patescit ex omnibns argumentis, quibus *Philautia* est impugnata.

(1) Quia Deus uti *unus*, ita *solus* perfectus, *solus* bonus, *unicumque objectum* honoris ac spei, *unicus finis* omnium creaturarum est.

(2) Ille jus proprietarium in omnes, præcipue electos, habet, sic ut Domini secundum omne, quod valent, peculium sint Rom. XIV. 7. 8. 1. Cor. VI. 19. 20.

(3) Nihil aliud, quam abnegationem, quin odium *meretur* creatura non solum *vilis* & *miserabilis*, sed etiam *abominabilis*.

(4) Sic turpissimum *idolum sui ipsius* ex mentis penetrali ejicitur, ut Deo in Templum cedat.

(5) Sic via sternitur ad bonum, quod in te non erat, ex thesauris *omnisufficientiæ Dei* accipiendum.

(6) Ad

(6) Ad id invitant exempla præclara. Ipse Christus hic facem prætulit non solum in *trina tentatione* seperata, sed etiam in universa vita sua *voluntatem & gloriam non suam*, *sed Patris* quærens Joh. VI. 38. atque creaturarum usu ad absolvendum Redemtionis opus sponte sua se abdicans 2. Cor. VIII. 9. Adde illustria Mosis & Pauli exempla.

(7) Nihil magis convenit præsenti Ecclesiæ statui, in quo & officium hoc clarius est ex ore Domini perceptum, & ad *bajulandam* Christi *crucem* per hanc abnegationem sui animus debet præparari. Hebr. XIII. 13. 14.

XXIX. Anima, quæ ita a *falso* scopo est aversa, ad *verum* scopum se debet dirigere. In eo ne impediatur, cavenda est DIPSYCHIA, quæ alias nominatur *cor & cor* Ps. XII. 3. seu *claudicatio in utrumque latus* 1. Reg. XVIII. 21. & *oculus malus* Matth. VI. 23. Per illam designatur *vitiosus mentis habitus, quo Bonum summum & subordinatum, verum & apparens, in unum compingere & simul possidere quærit.* Differt adeoque ab *hypocrisi*, quia δίψυχος non *specie* tenus, sed *serio* agit, viresque ingenii impendit, ut viam sibi fabricet, in qua id obtinere queat. Est autem Dipsychia vel *crassior* vel *subtilior*.

XXX. Crassior conspicitur in illis, qui conscientiæ stimulis impelluntur, ut verum Bonum in communione cum Deo obtinere *exoptent*, & parati sint ad quædam officia cultus divini ea fini præstanda, verumtamen ita, ut concupiscentiis suis simul obsequi *duobusque Dominis* una *servire* studeant. Species hæc est spiritualis *adulterii &*

scor-

scortationis, cujus exempla occurrunt in *Bileamo* & in Israelitis *Deo vero ac Baali* simul servire volentibus.

XXXI. Subtilioris *Dipsychiæ* rei sunt, qui *fidem temporariam* tantum habent, & lubentes religionem veram profitentur, quamdiu terrena bona simul possidere possunt, sed quando tentationes ingruunt, dubii, quo se vertant, nesciunt. Hi sunt illi διακρινόμενοι, *dubitantes*, quos *fluctui maris* Apostolus Jac. 1. 6. & Christus *arundini a vento quassatæ* Matth. XI. 7. confert.

XXXII. Non quidem universale est hoc vitium, sed tamen commune illis, quorum *conscientia* est *excitata*. In ipsis *regenitis* reliquiæ ejus comparent, quoties ratiociniis talibus carnis autem præbent, quibus circa adiophora frena laxare, commodaque hujus vitæ & favorem hominum conciliare cum via illa angusta studeant, quam tamen serio elegerunt. Unde Apostolus ansam habebat Corinthios monendi, ne fiant ἑτεροζυγοῦντες *alienum jugum trahentes cum improbis* 2. Cor. VI. 14. Adde 2. Cor. XI. 1.

XXXIII Monela hæc summi est momenti:

(1) Quoniam *inanis* est *labor*, qui a talibus impenditur Matth. VI. 24. 2. Cor. VI. 14. 15. 16.

(2) Quoniam vitium hoc, ut *subtilis idololatria*, Deo maxime est exosum Jac. 1. 7. iramque ejus provocat, exemplo *uxoris Lothi* Luc. XVII. 32.

(3) Quoniam *conscientiæ tranquillitatem* impedit, & in varia crimina, ipsamque *apostasiam*, præcipitat Jac. 1. 8. Matth. VI. 24.

XXXIV. Opposita huic vitio est SIMPLICITAS, Ἁπλότης: quasi dicas *sine plica*, unde ejus

possessor describitur ut talis, qui est *absque corde & corde* 1. Chron. x 11. 33. coll. vs. 38. Neque aliud intendit phrasis illa, quæ amorem seu obedientiam *totius* cordis & *totius animæ* exigit. Ubi prius ipsam *finis constitutionem* per simplex animi propositum, posterius facultatem animæ omnium *ad illum directionem* involvere videtur. Synonymum est ἁγνότης, metaphora desumta a *castitate conjugali*, quæ in unum sponsum aut maritum fertur. Unde sectatores ejus dicuntur ἀκέραιοι *instar columbarum* Matth. x. 16.

XXXV. Certo sensu hæc virtus sub *sinceritate* comprehendi potest, unde etiam τῷ תם *integritas* respondet. Sed nos hic strictius intelligimus *illum habitum novi hominis, quo persuasus verum summumque Bonum nonnisi in communione cum Deo exspectandum esse, illam tanquam unicum Finem extremum omnibus actionibus suis præfigit, eique convenienter semper agere contendit.* Duo ergo hæc virtus involvit.

XXXVI. Primum est fixum voluntatis *propositum* illum *Finem ultimum sectandi*, quem legitimum esse omnium Operum Bonorum Finem capite præcedenti probavimus. Hoc propositum declaratur

(1) *Interne* coram Deo, quando regenitus cavet, ne quicquam per διψυχίαν committat, quo ab hoc Fine abstrahatur, aut alium ei coordinet.

(2) *Externe* coram hominibus, quando hunc Finem nunquam dissimulat, sed honori potius sibi ducit, ut illum semper manifestet.

XXXVII.

XXXVIII. Alterum est *studium* enixum, ut *convenienter* huic *Fini* agat. Ea fini

(1) Quoad singulas actiones *percontari* contendit, an & quousque Fini huic conveniant, ne forte intermisso hoc examine per fallaciam cordis sui inducatur ad putandum, quod Finem legitimum sibi præfixerit, cum tamen id factum non sit.

(2) Secundum hoc examen via regia pergens magis magisque judicia carnis & aliorum hominum flocci pendit, in id solum intentus; ut *conscientiam bonam* coram Deo & hominibus conservet Act. XXIV. 16. quin *omnia oblivioni dans, quæ pone sunt, & ad metam præfixam pergens* Phil. III. 14.

XXXVIII. Virtutem hanc vere *Cardinalem* esse apertum est, quoniam omnis actio censetur a Fine suo. Confer Phil. II. 14. 15. Fides sane, radix omnium Operum Bonorum hominis regeniti, sine ea esse nequit, quoniam illa est *desponsatio* animæ cum Deo & Christo, tanquam Marito suo, qui *caste*, id est, unice amandus est 2. Cor. XI. 2.

XXXIX. Maximum ejus pretium præter *fœditatem* oppositi criminis *Dipsichiæ*, quam radicitus evellit, inde potest confici.

(1) Quoniam Deo illum *honorem* dat, qui ei tanquam *soli Summo Bono* convenit, dum illum sibi ipsi & omnibus creaturis præfert.

(2) Quoniam est imago illius *Simplicitatis moralis*, quæ in Dei operibus fulget 1. Joh. III. 3.

(3) Quoniam fructus excellentissimos habet, quos Salvator indicat Matth. VI. 22. *Si oculus*

tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.

(*) Quoniam illam *pulchritudinem* Sponsus cœlestis in Ecclesia Novi Testamenti maxime exoscultatur, quando ei *oculos columbinos* adsignat Cant. 1. 15. præcipue ex quo omnibus Dominis cum cathedra Mosis abrogatis ipsoque Legis conjugio soluto, nullum alium *Dominum*, quem *adoret*, Sponsa cœlestis agnoscit Ps. XLV. 11. 12.

CAPVT NONVM.

De vitiis ac virtutibus circa modum actionis *observandis, ac speciatim de* Ignavia & Diligentia, *de* Stultitia, Sapientia, & Prudentia, *de* Coactione & Spontaneitate, *de* Tepore & Zelo, *de* Instantia & Constantia.

SUMMARIUM.

I. *De* modo actionis *in genere quædam præmittuntur* §. 1 ---6. *spectantia*
A. Nexum *hujus materiæ cum præcedente* 1. 2.
B. Ordinem, *quo illa pertractanda* 3---6.
1. Generalem 3.

2. *Spe-*

2. *Specialem* 4---6.

II. Attributa *illa* Cardinalia, *quæ* modum actionis *conficiunt, enumerantur* 7---57.

A. *Præmittuntur*, *quæ* intellectum ad directionem totius actionis aptum aut ineptum *reddunt* 7---17.

1. IGNAVIA 7---9. *quæ*

a. *Definitur* 7.

b. *Deducitur* 8. 9. *comprehendens sub se*

α. Incuriam *in examine* 8.

β. Negligentiam *in efficientia* 9.

2. DILIGENTIA 10---17. *quæ*

a. *Describitur* 10---15.

α. *Per definitionem* 10.

β. *Per deductionem* 11---15. *quatenus comprehendit*

א. Attentionem in percipienda voluntate Dei 11.

ב. In executione ejus 12---15.

a. Accurationem 12.

b. Vigilantiam 13---15.

b. *Momentum ejus indicatur* 16. 17.

α. *Ex* decentia 16.

β. *Ex* influxu, quem in omnes reliquas virtutes cardinales habet 17.

B. *Sequuntur quæ* actionem ipsam propius concernunt 18---57. quæque spectant

1. *Ejus* deliberationem 18---37.

a. *Vitium eam depravans est* STULTITIA 18---24. *quæ*

α. *Describitur* 18---23

א. *Per definitionem* 18.

ב. *Per enumerationem ſpecialiorem* 19. --- 23.

a. *Diverſorum* graduum 19 --- 22.

b. *Diverſorum* ſignorum, *per quæ exſeritur* 23.

β. *Momentum ejus ex* univerſalitate *deductum* 24.

b. *Virtutes* delibetationem *dirigentes* 25 --- 37. *quæ*

α. *Enumerantur* 26 --- 35.

N. Sapientia 26-29.

a. *Generatim definitur* 26.

b. *Speciatim ejus* Author, objectum & exercitium *indicatur* 27. --- 29.

ב. Prudentia 30 --- 35.

a. *Generatim definitur* 30.

b. *Definitio hæc deducitur* 31 --- 35. *oſtendendo*

a. Objectum ejus 31 --- 34.

b. Exercitium *ejus* 35.

β. *Momentum earundem edocetur* 36. 37.

2. *Ejus* ſuſceptionem 38 --- 44.

a. *Vitium hic removendum eſt* Renitentia 38 --- 40. *quæ*

α. *Deſcribitur* 38.

β. Gradus *ejus diſtinguuntur* 39. 40.

b. *Virtus eam promovens eſt* Promtitudo 41 --- 44. *Illa*

α. *Deſcribitur* 41. 42.

β. *Momentum ejus urgetur* 43. 44.

3. *Ejus* executionem 45 --- 57.

a. Inchoatam 45 --- 49.

α. *Vitium ei contrarium est* TEPOR 45.

β. *Virtus ei favens est* ZELUS 46--49. qui

א. *Describitur* 46. 47.

ב. *Momentum ejus indicatur* 48. 49

b. Continuatam 50--57.

α. *Vitium eam suspendens est* INCONSTANTIA 50--53. *Illa*

א. *Describitur* 50--52.

a. Data definitione 50.

b. Gradibus *distinctis* 51. 52.

ב. *Momentum ejus ex universalitate indicatur* 53.

β. *Virtus eam adjuvans est* CONSTANTIA 54--57. *Illa*

א. *Describitur* 54. 55.

ב. *Momentum ejus indicatur* 56. 57

I.

Quamvis *intentio mala* sufficiat ad actionem malam constituendam Matth. VI. 1. sola tamen *intentio* Finis boni non sufficit, ut *actio* evadat *bona*, nisi & MEDIA huic fini convenientia adhibeantur, quibus adhibitis tanquam via complanata finis actionis obtineatur. Nam regula hæc generalis est; NON FACIENDA SUNT MALA, UT EVENIANT BONA Rom. III. 8. Id enim

(1) Sanctitati Dei contrariaretur.

(2) Ordinem, qui a Deo inter *bonum honestum* & *utile*, tum per naturam ipsam, tum per

Legem ejusque Sanctionem positus est, everteret.

(3) Prætextum etiam maxime horrendis scelebribus daret, exemplo filiarum Lothi Gen. XIX. 32. & persecutorum Ecclesiæ Joh. XVI. 2.

(4) Revera Finem bonum nunquam pure intendit, nisi qui media legitima adhibet.

II. In eo tamen differentia quædam inter *Finem* & *media* potest admitti, quod regeniti quamvis ad illum *perfecte* tendentes & tandem per gratiam Dei eum attingentes, in his tamen tam eligendis quam adhibendis multiplici *imperfectione* laborent.

III. Quare hoc capite, quid *legimus mediorum usus* in illa perfectione, in qua *opus* absolute *bonum* constituit, consideratus involvat, & quænam *Virtutes Cardinales* eo pertineant, expendemus. Sequenti autem illud Vitium, quod mediorum illorum usum maxime impedit, modumque legitimum actionum evertit, nec non illam Virtutem, quæ in regenitis *defectum* quemcunque *circa mediorum usum* supplet, ac præcipuum ejus impedimentum removet, seperatim considerabimus.

IV. Modum agendi præfigere ejusdem est, qui Finem ponit. Hinc maxima pars Legis Dei in eo versatur, ut *Viam* ad Finem summum indubitato deducentem edoceat, & ostendat, quomodo *ambulandum* seu ὀρθοποδεῖν Gal. II, 14. *recto pede incedendum* in ea sit.

V. Requisita autem universalia, quæ in Opere Bono ad Finem verum legitime directo concurrere debent, variis nominibus Scriptura expri-

primit. Vult enim ut Virtutis Christianæ cultor missa *Ignavia*, *Stultitia*, *Coactione*. *Tepore*, & *Inconstantia* virtutes contrarias, & quidem

1. Generatim in totius operis secundum lumen intellectus moderamine *Diligentiam*;

2. Specialius

(a) In *deliberatione* de eo *Sapientiam* & *Prudentiam*,

(b) In ejus susceptione *Promtitudinem*:

(c) In ejus executione *Fervorem* & *Constantiam* debitam exerceat. Et cum hæc in singulis operibus perfecte bonis concurrant, totidem Virtutes Cardinales inde exsculpi possunt. Ubi hæc concurrunt, ibi est מאד כל / amor ex *omnibus viribus*, qui cum *toto corde* ac *tota anima* conjungi debet.

VI. Singula hæc requisita eo ordine collocavimus, quo nobis videntur in modificanda actionis moralitate unum alterum excipere, licet in stylo Scripturæ ad illam seriem non semper attendatur, & nomina, quibus hæc attributa exprimuntur, aliquando latius ac interdum strictius usurpari soleant.

VII. Cum intellectus rite illuminatus actioni omni facem præferre debeat, nisi quis in tenebris ambulare velit, hinc ante omnia removendum vitium, quod plenum ejus usum præpedire potest. Hoc dicitur IGNAVIA, seu *Pigritia*. Salomoni עצלה / Græcis ἀκηδεία, ὀκνηρία & ἀεργία audit, / ac sub symbolo *somnolentiæ* in sacris sæpe pingitur. Strictissime laborum corporis fugam exprimit. Sed hic sensu pleniori designat *vitiosum habitum*, *quo quis tam circa officii sibi in-*

cumbentis notitiam acquirendam, quam circa illud secundum lumen intellectus pro variis temporum opportunitatibus dirigendum negligenter versatur.

VIII. Ad duo ergo objecta se Vitium hoc dividit. Primo *torporem* involvit circa cognitionem voluntatis Domini. Hoc crassius, & in emphasi solis irregenitis proprium, quibus Scriptura ἀμέλειαν *incuriam* adeo supinam tribuit, ut seriam invitationem ad communionem Dei flocci pendant Hebr. 11. 2. Matth. XXII. 5. Unde & proponuntur, ut *carentes desiderio* Zeph. II. 1. Cadere tamen eatenus etiam in regenitos potest, quatenus in addiscenda voluntate Dei segniores sunt, quam fas erat, neque ad illa, quæ acceperunt, satis attendunt, contra monitum 1. Tim. IV. 14.

IX. Porro & *ignavi* sunt, qui, quando voluntatem Domini agnoverunt, *negligentiam* in ejus executione impendunt, *abditamque* gerunt *in manica sua manum* Prov. XIX. 24. Hæc ignaviæ species dicitur *oblivio* Legis Dei, & qui ejus reus est, *oblivioſus auditor* Jac. 1. 25. Tales sunt sive non satis *memores* eorum, quæ addidicerunt per ὀλιγωρίαν *parvam curam* tum institutionis tum ipsarum *castigationum* Hebr. XII. 5. sive non assequentes totam Legis divinæ latitudinem, sive ex imbecillitate carnis collationem officii cum norma percepta atque agnita omittentes, sive non *præcise* satis ad singulas circumstantias attendentes. *Subtilioris* hujus ignaviæ frequentius regeniti rei sunt.

X. Diligentia, Σπουδὴ, Ακρίβεια, Επιμέλεια, *Sedulitas*, synonyma ferme sunt. Simpli-

pliciter etiam dicitur κόπος. Prope accedit γρηγόρησις, *vigilantia*, quæ radici שקד apud Hebræos respondet & saltem primaria *Diligentiæ* pars est. Nam diligentia denotat illum *voluntatis in regenitis habitum, quo feruntur, ut omnes intellectus sui vires ad totam voluntatem Domini cognoscendam, eamque secundum singulas partes atque circumstantias cum actionibus suis conferendam, omnes denique agendi opportunitates observandas impendunt.* Circa duo ergo momenta ἀκριβῶς versandum est, circa cognitionem & implementum Legis divinæ. Prius præfigurabat animalium mundorum *ruminatio*, posterius *fissio ungularum.* Utrumque conjungitur Joh. XIII. 17. Luc. XI. 35.

XI. *Diligentia* circa voluntatem Dei *cognoscendam* acquirit *attentionem* & *moram* ad omnes ejus partes se dividentem & in secreta ejus penetrantem; cum *Docilitate* conjunctam, quæ ex persuasione de Legis divinæ præstantia oritur, atque eapropter regenitis propria est Apoc. XIV. 3. Unde *Docilitas* hæc per *aurem audientem* potissimum exprimitur, quæ primum locum inter postulata Fœderis gratiæ habet Exod. XV. 26.

XII. Alter *Diligentiæ* oculus quasi se extendit ad ipsas actiones, earumque tum *modos* tum *opportunitates.* Quare primo in eo occupata est, ut actiones suas examine sollicito, architecti instar ad ichnographiam præscriptam identidem respicientis, cum norma Legis conferat ac secundum eam adumbrandam spectant nomina a palæstra petita ἄσκησις Act. XXIV. 16. & γυμνασία 1. Tim. IV. 7. Hebr. V. 14. Et qui hanc virtutem exercent

cent, *non obliviſci mandatorum Dei* dicuntur Deut. xxvi. 13. 14. Pſ. cxix. 93. 141. &c.

XIII. Porro opportunitatum ad agendum rationem *Diligentia* habet. Ad virtutem hanc exprimendam Scriptura amat nomen VIGILANTIÆ, per quam intelligit illum hominis regeniti habitum, quo *vires animi intendit ad impedimenta omnia in præſtando officio mature detegenda & cavenda, adminicula autem obſervanda & in uſum convertenda atque ita iſtud ſecundum omnes partes implendum.* Hinc duplex naſcitur Vigilantiæ exercitium, quorum alterum ἀκαίρως, alterum εὐκαίρως 2. Tim. IV. 2. impenditur.

XIV. Exercetur ergo *Vigilantia primo* per attentionem ad *impedimenta*, quæ interrumpere ſtudium Legis divinæ poſſunt. Sic vigilatur

(1) Interne contra proprium *cor*, ut

(a) Ratiocinia carnis examinentur:

(b) Primi motus malæ concupiſcentiæ mature detegantur.

(2) Externe contra *mundum*, atque frequenter in eo occurrentes

(a) Tam ſimplices *occaſiones*, quæ malam concupiſcentiam irritant;

(b) Quam *illecebras*, ſeu perſuaſiones hinc blandas inde aſperas, quas mundus præbet.

XV. Ab altera parte non ſolum *noctu*, ſed multo magis *interdiu*, ſeu temporis *opportunitatem* captantes regeniti operi Domini invigilant, tam in eo *ſuſcipiendo*, quam *gerendo*.

(1) In *ſuſcipiendo* negotio vigilatur

(a) *Interne* ad *impulſus* Spiritus ſancti ſecundum verbum Domini detegendos.

(b) *Ex-*

(b) *Externe* ad *occasiones* bene agendi, quas providentia divina subministrat, diligenter observandas.

(2) In *gerendo* negotio vigilatur, quando quis *præsentiam* Dei & *judicium* imminens sibi semper proponens alacri Operis executione oculis Domini se approbare adnititur. Hoc nominatur *ambulare coram facie Domini* Gen. XV. 1.

XVI. Rationes Diligentiæ adhibendæ in aprico sunt. Nam

(1) Opposita ignaviæ diligentiæque damnum ac lucrum Scriptura sæpe inculcat & cumprimis Salomo Prov. VI. 6. 9--11. X. 26. XIII. 4. XX. 4. XXIV. 30--34.

(2) Idem requirit Doctoris summi authoritas Prov. VIII. 34.

(3) Nec non dignitas & excellentia doctrinæ, in qua tam intelligenda, quam rite applicanda hæc Diligentia versatur Jes. XLVIII. 17. 18.

(4) Quantopere Christianos hæc virtus deceat, ipsum nomen μαθητῶν, *discipulorum*, quod ab initio gesserunt, ostendit. Et certe, quo *clarius* voluntas Domini est *revelata*, quo *splendidius præmia* maxima exigui laboris ob oculos versantur, quo plenius *cura Dei* circa peccatoris salutem in exemplum proponitur, & quo magis adventus Domini appropinquat, eo major attentio ad opus Domini requiritur. Unde facile apparet, fortissima vincula Evangelium gratiæ injicere, quod σπουδὴν inculcat Hebr. VI. 11. Rom. XII. 11.

XVII. Eandem ut *Virtutem cardinalem* in singulas influentem toti Virtutum choro præfixit Petrus

trus 2. Epist. 1. 5. Et certe tam late patet, ut reliquæ Virtutes cardinales §. 3. commemoratæ ex hoc quasi fonte deduci possint. *Diligentia* enim ex se gignit primo *sapientiam* cum *prudentia* in *judicio* per cognitionem voluntatis divinæ irradiato conjunctam; porro *promtitudinem* per spontaneitatem *voluntatis* ex contemplatione dulcissimi jugi Legis divinæ promanantem; deinceps sanctum per omnium *virium* impendium *zelum*; & denique perdurantem in bono ad finem usque *constantiam*. Has virtutes hoc ordine eo lubentius connectimus, quoniam quadruplex in Cherubinis facies *Hominis*, *Aquilæ*, *Leonis* ac *Bovis* optime illis respondet.

XVIII. Stultitia primo loco expugnanda, quæ in sacris אולת / סכלות / נבלה / נבלות / μωρία, ἄνοια, ἀπόνοια, ἀφροσύνη, παροξυσμὸς dicitur, ac involvit *habituale voluntatis corruptæ & in errorem proclivis non solum præter rationem, quod magis ad brutam stupiditatem pertinet, sed etiam contra rationem agendi studium.*

XIX. Hæc *Stultitia* gradus suos habet. *Crassius* enim apparet in illis, qui *directe* contra dictamen rationis pugnant, quales sunt, qui Deum esse *negant* Psalm. XIV. 1. XXXIX. 9.

XX. *Subtilior* Stultitia sibi aliisque *videri vult* cum ratione agere Prov. XII. 15. Eccl. X. 3. quamvis miserrime illudat Rom. 1. 22. quoniam judicium stulti tum per præjudicia tum per ratiocinia carnis ita est *obscuratum*, Eccles. II. 14. ut leviſſimis effugiis atque ratiociniis, non inventis, sed *quæsitis*, aurem accommodet.

XXI. Versatur autem hæc Stultitia aut circa

Finem,

Finem, aut circa *Media*. Circa *Finem*, quando rerum pretia in abstracto considerat, & quid verum aut falsum, bonum aut malum, majus minusve bonum sit, atque ita porro, inquirens, ipsas rerum ideas naturales destruit earumque essentiales formas pro lubitu permutat. Hinc

(1) Quod natura sua *verum bonumque* est, sub *specie mali* ei obversatur Psalm. XCII. 7. Deut. XXXII. 6. Jerem. IV. 22.

(2) Quod *falsum* atque *malum* est, sibi repræsentat, ut bonum Prov. VII. 22.

(3) *Majus* bonum *minori*, summum subordinato postponit.

(4) Minus malum ceu Scyllam evitando, in majus, sive Charybdin, se præcipitem dat Deut. XXXII. 28. 29.

XXII. In *Mediorum* tum *electione* tum *usu* transparet Stultitia, quæ strictius IMPRUDENTIA audit:

(1) Quando Mediorum *cura* aut *nulla* aut *non sufficiens* ante operis susceptionem animum occupat, quod *vitium* alias appellatur προπέτεια, *præcipitantia*, *temeritas*.

(2) Quando absurdæ, impiæque hypotheses in fundamentum electionis Mediorum ponuntur Ps. XCIV. 7. 8. Matth. XXIII. 17. 1. Cor. III. 19.

(3) Quando media congrua aut saltem aptiora negliguntur Prov. I. 22. IX. 8. Jerem. IV. 22.

(4) Quando Media contraria, aut saltem ineptiora usurpantur Prov. XIV. 16. 17. unde fit, ut Finis aut plane excidat Prov. XI. 29. XIV. 18.

2. Sam.

2. Sam. xv. 3. aut difficillime attingatur Pſ. cvii. 17. 17. quod שוא *ματαιότης vanitas* audit Pſ. cxxvii. 1. 2. 1. Cor. iii. 20. Jac. i. 26.

XXIII. Sedem quidem ſuam hoc vitium potiſſimum in *corde* habet, ſed tamen facillime *exterius* ſe conſpiciendum præbet

(2) Per *ſtultiloquia* Prov. x. 8. 14. xiv. 3. xvii. 28. Eccleſ. v. 2. Job. ii. 10.

(2) Per *facta imprudentia* atque impia quæcunque Gen. xxxiv. 7. Deut. xxxii. 6.

XXIV. Primordia hujus vitii jam apparebant in primo homine חשבונות *Ratiocinia multa quærente* Eccleſ. vii. 30. Inde Stultitia in omnes homines fluxit, omniumque impiorum attributum eſt Eccl. vii. 26. Tam alte quoque eſt radicata, ut & in peccatoribus ſit invincibilis Prov. xxvii. 22. neque in ipſis regenitis plene expugnetur. Quamvis enim in electione Boni Summi probatum dederint, quod cœleſtis Sapientia irradiare inceperit, nihilominus & in Bonorum ſubordinatione & in Mediorum maxime ſalutarium ſelectu eousque ſæpenumero impingunt, ut prudentia mundanorum hominum in ſuis negotiis pudorem ipſis incutere queat Luc. xvi. 8.

XXV. Duplex huic vitio oppoſita eſt virtus, SAPIENTIA & PRUDENTIA, quæ apud Hebræos per חכמה & בינה ſeu תבונה, apud Græcos per *σοφία* & *φρονησις* ſeu *σύνεσις* diſtinguitur; quamvis propter harum virtutum intimam cognationem nomina hæc ſæpe alternent, atque unum alterum involvat. Quando autem diſtinguuntur, tum *Sapientia* magis priori *Stultitiæ* ſpeciei, quæ circa *bona* ſeu *objecta*, *Prudentia* au-

autem posteriori, quæ circa *media* seu *actus* ipsos versatur, opposita est.

XXVI. SAPIENTIA ergo stricte designat illum *excellentem judicii per Spiritum S. illuminati habitum, quo regeniti clarum & distinctum de rerum essentiis, ac relationibus, illis præcipue, quas ad opus salutis habent, adeoque de earum causis, atque inde dependente fine, ordine, ac nexu conceptum sibi formantes æquum singulis pretium figunt, & inter verum ac falsum, bonum ac malum, sive majoris sive minoris momenti sit, justa lance discriminant.*

XXVII. Fons hujus Sapientiæ est illuminatio divina Jac. III. 17. Ps. II. 8. Jac. I. 5. & sigillatim Spiritus sancti Eph. I. 16. 17. qui a Christo tanquam summa Sapientia electis datus utitur verbo Sacræ Scripturæ tanquam *medio sapientes reddente ad salutem* 2. Tim. III. 15.

XXVIII. Quare licet *objectum* hujus *Sapientiæ* iisdem cancellis, quibus totum universum, circumscribatur, ipsamque *Eruditionem* & *Sapientiam secularem* in suo ordine comprehendat, proxime tamen continetur in mysterio salutis Job. XXVIII. 12. sq. Col. II. 3. cujus cognitio ad discriminandum inter pondera rerum aptissimum medium est.

XXIX. *Actus* autem circa hoc mysterium involvit

(1) *Cognitionem* Dei, sui ipsius, quin omnium creaturarum non nude & *in se solum*, sed in vero suo *nexu*, id est, in illa schesi, quam ad opus salutis habent, consideratarum, atque eatenus etiam ad *intellectum* Sapientia recte referri potest.

(2) *Judicium* secundum hanc scheſin pronuntians quicquid operi huic innexum est tanquam verum Bonum in suo ordine æstimans, atque ad illud amandum *voluntatem* inclinans, quicquid autem extra hoc Opus est constitutum aut ei renititur, ut Malum considerans & abhorrens. Qualitates potissimas, quæ in judicio hoc rite exercendo requiruntur, Jac. III. 17. conjunctas deprehendimus.

XXX. Prudentia sub nomine Sapientiæ aliquando involvitur, hic autem pressius denotabit *illum judicii illuminati habitum, quo de mediis legitimis ac congruis prospicit, ut Finem seu Bonum, quod intendit, eo facilius certius ac plenius adipiscatur.*

XXXI. Campus, in quo proprie Prudentia se exercet, est *Mediorum* ad Finem salutarem tendentium apparatus; sub quorum nomine in *abstracto* comprehenduntur omnia *Bona subordinata*, & in *concreto actiones* omnes, per quas Bonorum subordinatorum compotes reddimur, atque propius ad *Finem* perducimur.

XXXII. Circa *Media* hæc Prudentia observat

(1) Quid sit *possibile*, cum viribus suis ea probe conferendo, atque ubi illas deficere animadvertit, si promissiones de auxilio Dei adsunt, eas arripiendo, & ita in Domino se confortando.

(2) Quid sit *legitimum* secundum §. 1.

(3) Quid sit *congruum*, idque partim *Fini*, quem intendimus, partim *circumstantiis*, in quibus versamur. Ex utriusque enim collatione

pru-

prudens animadvertit, meia alia aliis esse præstantiora.

XXXIII. *Circumstantiarum* maxima est varietas. Quædam enim *communes* sunt quibuscunque regenitis. Quædam certæ *conditioni* ac *relationi* Cristianorum magis sunt *propriæ*, unde fit, ut quidam integram partem specialissimam Theologiæ moralis sub nomine *Prudentiæ Cristianæ* complectantur. Nos priores hic potissimum spectamus.

XXXIV. Tres *circumstantiarum generalium*, quas Prudentia perpendit, nobis potissimum occurrunt classes

(1) *Circumstantiæ temporum*, quorum observatio laudatur in filiis Issascharis 1. Chron. XII. 32. & neglectus culpatur in Pharisæis Matth. XVI. In censum hic veniunt tempora *præterita*, *præsentia*, *futura*, eaque tum relate ad *Ecclesiam* universam secundum verbum Propheticum ac viarum Dei nexum, tum relate ad uniuscujusque *fidelis* statum considerata.

(2) *Circumstantiæ locorum*, quoniam non ubique quidvis æque conducit.

(3) *Circumstantiæ personarum*, quibuscum, sive sint irregeniti, sive regeniti, Prudentia ita conversari suadet, ut neque damnum ab illis nobis inferatur, neque a nobis in illos redundet, sed nostrum ac proximi commodum convenientissimo cum statu ejus modo semper promovere quæramus; quam in rem circumspectio summa tum in *verbis* tum in *opere externo* requiritur Ephes. V. 15.

XXXV. Pertinet ergo ad *Prudentiæ* hujus *exercitium*:

(1) Ut & *Boni* præfixi & *Mediorum* indolem curatius perspectam habeamus.

(2) Ut quantum pote attendamus ad *circumstantiarum* in opere, in quo versamur *concursum*.

(3) Ut simul *Vigilantiam* adhibeamus ad illas *variationes*, quibus circumstantiæ, quas enumeravimus, in singula momenta sunt subjectæ, mature detegendas.

(4) Ut optionem prudentem inter *Bona subordinata*, quæ nobis occurrunt, instituamus.

(5) Ut singulas actiones nostras præcise secundum circumstantias, in quibus momento præsenti constituti sumus, modificemus.

XXXVI. Biga hæc Virtutum, quæ mutuis nexibus se invicem amplectuntur, revera *Cardinale* aliquod cujuscunque Operis Boni *attributum* conficit. Cum enim ex præcedentibus liqueat, omnem actionum nostrarum moralitatem dependere tum a *Fine*, tum a *Modo*, seu *mediis* eum assequendi, necessario sequitur, aut mero *casu* actionem *rectam* evadere posse, quod implicat, aut illam actionem tantum pro recta esse habendam, cui *Sapientia Finem* legitimam præfixit, & quam *Prudentia* debito *modo* ad eum direxit. Hoc est *consilium*, βελη, מזמה / *deliberatio*, השכל / *intelligentia*, quæ actionem quamcunque temperare ac prosperare debet.

XXXVII. Merito ergo exosculanda proponitur. *Dic Sapientiæ, soror mea es, & affinem Pru-*

Prudentiam voca Prov. VII. 4. Argumenta præcipua sunt:

(1) Exemplum ipsius Dei in omnibus operibus ac præcipue in *Operæ Gratiæ*, in quo Filius Dei *Sapientiæ*, Spiritus sanctus *Prudentiæ* perfectissimæ Prototypum exhibet. Prov. III. 19. 20. Jerem. X. 12.

(2) Sicut nihil magis creaturæ rationalis gloriam evertit, quam *Stultitia*, ita nihil magis eam extollit, ornatque, quam *Sapientiæ Prudentiæque* studium.

(3) Quantum successus operis ab his virtutibus dependet, tantum ipsa Summi Boni fruitio ac vera mentis voluptas per has virtutes promovetur. Confer μακαρισμὸς cum earum sectatione conjunctos Prov. II. 10. 11. III. 13 --- 18. 21 --- 25.

(4) Fortius hic obstringuntur *Filii Sapientiæ* æternæ, quibus datum est, illuminatis oculis in abyssos Sapientiæ Dei altius introspicere & judicium spirituale circa eas exercere.

(5) Præcipue in Novo Testamento, ubi plenior Lux Ecclesiæ est exorta Ephes. I. 8. 9. 1. Cor. II. 7 -- 10.

XXXVIII. *Deliberationem* de opere suscipiendo excipit ejus *Susceptio*. Huic impedimentum maximum causatur RENITENTIA illa naturalis, seu *coacta obedientia*, βραδύτης, *Tarditas*, quam Scriptura describit ut νωθρότητα τ ἀκοῶν *tarditatem aurium* Hebr. V. 11. VI. 12. *cor saxeum* Ezech. XXXVI. 26. consistens in illo *voluntatis corruptæ vitio, quo per naturam suam nonnisi ἀκὼν invita ac coacta ad quodcunque bonum opus se accingit.*

XXXIX. In plena emphasi illa occupavit peccatorem sibi relictum, qui vel apparenter bene agere nonnisi fortiori malæ concupiscentiæ œstro percitus adigitur, totumque virtutis iter, ut *asperum, infaustum*, quin *impossibile* consideret Prov. xxi. 13. *Asini* ergo ac *muli* instar stimulo frænoque indiget, ut aliqua saltem ratione frugi sit.

XL. Reliquiæ ejusdem *Renitentiæ* comparent in regenitis, quando præcepta difficiliora carni declinant, exemplo Jonæ, aut inviti suscipiunt, uti Thomas Joh. xi. 16. & *Sponsa* Cant. v. 2.

XLI. Huic obstaculo medelam affert Promtitudo, seu Spontaneitas, Hebræis נריבות / נכון / חפץ / Græcis ἑκουσιασμὸς, ἑτοιμασία, εὐδοκία, designans *illum regeniti habitum, quo convictus de officii ipsius maximo momento, cum summa lubentia illud suscipit, paratus ad impedimenta superanda, viresque ad exequendum voluntatem Domini impendendas.*

XLII. Concurrunt ergo in *Spontanea Obedientia*, quæ ut peculiare Spiritus sancti donum consideratur Ps. cx. 3.

(1) *Persuasio* tam evidens, quod officia præscripta sint & decentissima, veræque salutis certissima media, ut objectiones carnis & sanguinis contemnantur Gal. i. 16.

(2) Læta animi *Lubentia*, ἱλαρότης Rom. xii. & *voluptas* in illa prærogativa, quod liceat in opere tam excellenti actuosum esse Ps. xix. 11. 12. cxix. 35.

(3) *Alacritas* mentis in suscipiendo negotio, quæ etiam solet προθυμία dici 2. Cor. viii. 11.

Act.

Act. XVII. 11. & ut *accinctio* ad opus consideratur. Illa imbuti describuntur ut חרוצים *agiles, facile se moventes* Prov. X. 4. XI. 27. Illa vires sufficit, & obviis impedimentis superandis, instar *ocrearum* Ephes. VI. 15. & maturatæ cum debita *festinatione*, propter opportunitatem facile elabentem, executioni. Huc collimant emblemata *alarum* & *cursus* Jes. XL. 31. Ps. CXIX. 32. 60. Cant. I. 4. &c.

XLIII. Spontaneitas hæc ut *Virtus cardinalis* in quocunque bono opere requiritur Tit. III. 1. Neque enim *Bonum velle* dici potest, nisi qui cum *lubente animo* in eo versatur. Effigies ejus rei occurrit in asinis *non redimentis*; in illis, qui Pascha primum comedebant; & in exercitu Gideonis solis spontaneis constante.

XLIV. Maximi interest, ut hæc virtus commendata sit.

(1) Quidni *lubens* Deo serviat, qui commoda ac felicitatem cum hac servitute conjunctam perpendit?

(2) Præivit Deus, ac sigillatim Filius Dei, exemplo illustrissimo Ps. XL. 7--9.

(3) A fidelibus Novi Testamenti hæc *Promtitudo* exspectatur Psalm. CX. 3. Cant. VI. 12. quos & Spiritus sancti *efficacior* impulsus agit, & *brabeum* in pleniori luce positum incitat, & *via* magis *complanata* non parum adjuvat.

XLV. Executionem operis suscepti nihil magis impedit, quam TEPOR, sive *vitiosus ille mentis habitus, quo negotium, ad quod coacti manus sunt admotæ, servilem in modum conficitur, ita ut nullus internus ac ingenuus animi motus, nulla virium in-*

tenſio adſit, ſed id tantum utcunque agatur, ad quod aliquis ſive interne per conſcientiæ impulſum, ſive externe per circumſtantias quasdam quaſi vi inducitur. Prope hæc vitioſitas accedit ad illam *Ignaviæ* ſpeciem, quam §. 7. tetigimus. Unde etiam collectu integrum eſt, quod, licet rarius, quadantenus tamen ipſos regenitos aliquando occupet.

XLVI. Contrarius ei eſt Zelus ſeu *Fervor Sanctus*, Hebræis קנאה quod *Zeloſypiam, zelum ex amore natum* deſignat, & quamcunque *affectus vehementiam* comprehendit. Quare ita nominatur *habitus certus regeniti, quo & momentum operis & vincula obligationis ſuæ perpendens per objectas difficultates remoram non patitur, ſed potius magis incenditur ad affectus vehementius incitandos & vires omnes impendondas, quas felix operis ſucceſſus requirit.*

XLVII. Ad eſſentiam hujus virtutis

(1) Prærequiritur *perſuaſio* de momento operis & vinculis obligationis, ſecundum quam *Prudentia* temperare habenas hujus Zeli debet, ne ſit *zelus ſine notitia* Rom. x. 2.

(2) Accedere debet *affectuum incitatio*, & quidem præciſe illorum, quos indoles operis requirit; idque ſervata inter momentum operis & affectuum vehementiam juſta *proportione*.

(3) Illis mediantibus producitur legitima tam *facultatum* animi, quam *virium* corporis *intenſio*, quantum requiritur ad voluntatem Domini implendam, pro qua vires omnes ad ſingula momenta profundere parati eſſe debemus.

XLVIII. Ad *attributa cardinalia* hoc quoque referimus, quia licet opera quædam, quæ Lex

præ-

præscribit, comparate cum aliis minoris sint momenti, nullum tamen Zeli expers esse debet. Nam *Zelus in re bona semper præclarus est* Gal. IV. 12. Adde Eccl. IX. 12. Hinc cum σπουδῇ *Diligentia* conjungitur Rom. XII. 11. τῷ πνεύματι ζέοντες, *secundum Spiritum ferventes.* Huc igneus aspectus *Cherubinorum* & *Seraphinorum* collineat. Præprimis ille requiritur, quando res est suscepta, quæ magis immediate Gloriam Dei spectat, & quando ea ab aliis negligentius tractatur I. Reg. XIX. 10. Psalm. CXIX. 136. 139. 2. Corinth. VII. 7. 11.

XLIX. Fortiores motivæ Zelum incendentes sunt

(1) Operis ipsius, quod est *opus Domini*, & *opus salutis*, maximum pondus.

(2) Quia potissimum est sinceritatis criterium. Nam secundum AUGUSTINUM, *qui non zelat, non amat.*

(3) Exemplar ipsius Dei, præsertim opus salutis dispensantis Jes. IX. 7. Hinc *zelus Dei* 2. Cor. XI. 2.

(4) Exemplar Servatoris in carne agentis, quem *Zelus Jehovæ comedit* Ps. LXIX. 10. coll. Joh. II. 17.

(5) In Novo Testamento magis conspicuus hic Zelus esse debet propter Beneficiorum gratiæ magnitudinem & Baptismi Spiritus sancti majorem mensuram. Exemplum habemus Cant VIII. 6. 7.

L. Fervorem spurium indicat INCONSTANTIA, non solum quoad *viam*, de qua infra, sed etiam quoad *factum*, cujus qui sunt rei, dicuntur

tur סעפים *instabiles cogitationibus* Psalm. cxix 113. Græci vitium appellant ἐλαφρίαν *levitatem*, & ἀκαταστασίαν *instabilem*. Est illa *talis perversæ voluntatis habitus, per quem illi, qui temere actionem susceperunt, in ejus executione aut defetiscunt aut propositum mutant, antequam finem attigerunt.* Est autem hæc inconstantia *crassior* aut *subtilior*.

LI. *Crassior* in solis irregenitis ostenditur, qui nonnisi *coacte* bene agunt, adeoque quod inviti susceperunt, quando jugum excutere possunt, aut quando rationibus suis id non censent conducere, iterum abdicant Luc. x. 62.

LII. *Subtilior* est eorum,

(1) Quos vires in opere, quod inconsulto aggressi sunt, destituunt, Luc. x v. 22 — 31.

(2) Quibus inter agendum somnolentia obrepit.

(3) Quos tentationes atque pravi affectus in transversum agunt, ut non perdurent.

(3) Quos tentationes atque pravi affectus in transversum agunt, ut non perdurent.

LIII. Quam commune hoc vitium sit, vel inde apparet, quod ejus caussa homo in abstracto הבל *vanitas* dicatur Ps. lxii. 10. unde etiam in regenitos aliquando cadit, exemplo Galatarum Cap. iii. 3. v. 7. Virginum cum *fatuis* dormientium Matth. xxv. 5. & Eutychis Actor. xx. 9.

LIV. Vitium hoc eradicatur per CONSTANTIAM, quæ non solum *in Perseverantia*, quoad viam semel electam, quam hic non tangimus, sed etiam in singularum actionum *plena executione* eluceſcere debet. Veteres Ethici eam sub nomine

mine *Fortitudinis* exprimebant. Hebræi sub אמונה / quod aliquando *Firmitatem* designat, eam complexi sunt Exod. XVII. 12. Propius huc spectat כח / חוקה / *Robur Validitas*, & ἑδραίωσις, βεβαιώτης, *Firmitas*, ἰσχὺς, *Robur.*

LV. Per illam hic intelligimus *habitum mentis illuminatæ, quo in opere, quod in robore Domini susceperit, posthabitis difficultatibus, idem robur arripiens, eique adhærens, tam diu persistit donec ad debitum finem illud perduxerit.* Concurrunt hic

(1) Conscientiæ testimonium, quod opus non solum sit *legitimum*, sed etiam *prudenter* susceptum 1. Chron. XXVIII. 10.

(2) Remiscentia viva vinculorum obligationis.

(3) Quod difficultates subnascentes generosa intrepiditas, quæ conservatur,

(a) Per promissionum Dei de auxilio Spiritus sancti amplexionem atque exspectationem Ephes. VI. 10.

(b) Per renovatum identidem animi harum promissionum intuitu obfirmati propositum Phil. IV. 13.

LVI. Ad *Virtutes cardinales* hæc constantia referri debet, quia actio omnis ad finem non perducta *manca* est. Hoc innuunt symbola *pedum vitulinorum*, nec non *columnarum* ac *lapidum*, de fidelibus obvia Temperamentum quidem aliquando requiritur, quoniam casus non prævisi, aut ipsa providentia divina præpedire plenum operis eventum potest. Nihilominus, quo possunt, eniti fideles debent.

LVII. Ita ut se gerant Christiani, Apostolus horta-

hortatur 1. Cor. xv. 58. Et validæ ſuppetunt rationes.

(1) *Præſtantia* præfixi *Finis*, qui nonniſi per hanc Firmitatem attingitur.

(2) Oppoſitæ *Inconſtantiæ fœditas*, quia ſtultitiam ſuſcepti negotii revelat, & *damnum*, quia facit, ut oleum & opera impenſa pereat. Hinc inſtabiles *paleæ* atque *arundini* comparantur, & *pudefactio* tanquam propria inſtabilitatis ſequela ſæpe urgetur.

(3) Exemplar ipſius Dei & Servatoris noſtri, illorumque Heroum, qui *nubem teſtium* conficiunt, quorum *imagines* palæſtram Chriſtianam circumdant.

(4) Roboris divini atque auxilii Spiritus ſancti promiſſio.

(5) In Novo Teſtamento accedunt

(a) Pulcherrimum conſtantiæ exemplum, quod Jeſus in carne exhibuit.

(b) Majoris moduli quoad robur ſpirituale promiſſio. Jeſ. xl. 30. Zach. x. 12. Pſ. xxvii. 1.

(c) Donatio Spiritus ſancti in menſura pleniori, qui ea propter dicitur *Spiritus roboris & charitatis & ſanitatis* 2. Tim. i. 7.

CAPUT

CAPVT DECIMVM.

De præcipuo impedimento & adminiculo *circa legitimum mediorum usum*, hypocrisi & sinceritate.

SUMMARIUM.

I. *Præmissa* transitione *agitur de* impedimento præcipuo illius modi, quem in actionibus Lex requirit, *nempe* HYPOCRISI §. 2 --- 13. *quæ*

A. *Describitur* 2 --- 9.

1. *Generatim* 2 --- 5.

a. *Data* definitione 2.

b. *Adjuncta* definitionis illius deductione 3 --- 5.

2. *Speciatim*, enumeratis *diversis ejus* gradibus 6 --- 9.

a. *Quoad* personas simulantes 7. 8.

b. *Quoad* rem simulatam 9.

B. Momentum *ejus explicatur* 10 --- 13.

1. *Ratione* universalitatis 10. 11.

2. *Ratione* noxæ, quam caussatur 12. 13.

II. De præcipuo adminiculo ad Bonum opus, SINCERITATE 14 --- 23. *Illa*

A. *Describitur* 14 --- 20.

1. *Quo-*

1. *Quoad* nomina 14.
2. *Quoad* rem ipsam 15---20.
   a. *Per definitionem* 15.
   b. *Per deductionem* 16 --- 20. *Ubi agitur*
      α. De objecto Sinceritatis 16.
      β. De actu 17---20. *qui*
         א. *Generatim proponitur* 17.
         ב. *Specialius deducitur* 18. 19.
         ג. Criteria *ejus adduntur* 20.

B. Momentum *ejus indicatur* 21 --- 23.
   1. *Propter* universalitatem *hujus virtutis* 21.
   2. *Propter* summam *hujus virtutis* præcellentiam 22.23.

I.

Quicunque Virtutum Cardinalium *catenam*, quam exhibuimus, pressius considerabit, ille nobis facile largietur, quod conjunctio earum splendore Vitii omnis experte nullum *Bonum opus* regenitorum in hac vita fulgeat. Neque tamen propterea cessat *Bonum opus* esse. Quamvis *Bonum opus* dici nequeat, quod attributis enumeratis penitus destitutum est, haberi tamen pro tali secundum phrasin Scripturæ debet, quod *semina* harum Virtutum vera in se comprehendit. Eapropter studiose notari debet, quid illud sit, quod *hæc semina* relate ad Statum grætiæ aut *suffocet*, aut in se *contineat*.

II. Nihil magis illis adversum est, quam Hypocrisis, nomen a scena petitum, quod respondet Hebraico חנף *contaminatus*. Synonyma sunt רמיה / שקר / Δόλος, Ψεῦδος, Απάτη, *Fraus*,

Fraus, *Falsitas*, *Mendacium*. Intelligimus autem per hoc vitium *illam corruptam voluntatis inclinationem*, *per quam de Legis Dei tenore convicta temporalis emolumenti caussa externam saltem obedientiæ speciem ementitur*, *atque ad eam simulandam ipsa illa cognitione veritatis*, *qua illustrata est*, *abutitur*.

III. Duo ergo in *hypocrita* supponuntur.

(1) Primum est aliqualis *veritatis cognitio*, qua quo magis pollet, eo aptior ad simulandum evadit.

(2) Præterea *conscientiam* habet *renitentem*, quæ non solum ipsum *informat*, quod via alia inflectenda sit, sed etiam *accusat*, quod alius sit, quam qui videri vult. Quare hoc vitium cum *deceptione sui ipsius* non est confundendum.

IV. Formale *Hypocriseos* conficit dissonantia, quæ inter *externam speciem* atque *internam essentiam* actionis occurrit. Illa potest esse *optima*, ipsamque speciem *actionis* revera *bonæ* aliquando exsuperare: hæc autem semper est *pessima*, quia omnibus Virtutibus Cardinalibus, quas recensuimus, adversatur.

V. Hoc inde potest confici, quoniam tam in *Scopo*, quam in *Modo* aberrat.

(1) In *Scopo*, quia finis hypocritæ non solum est alius, quam quem prætendit, sed etiam in Bono mere temporali ac sigillatim honoris coram hominibus, lucrive turpis aucupio, subsistit.

(2) In *Modo*, quoniam illarum virtutum, quæ *mediorum* ad Finem verum deducentium locum habent, nulla plane cum *Hypocrisi* conciliari,

liari, aut in eadem actione *unquam* simul exerceri potest.

VI. Quam diversæ sunt in theatro personæ, tam diversa est *Hypocrisis*. *Gradus* ergo præcipui notari debent, quos Hypocrisis, tam quoad *personas*, quæ fallunt, quam quoad *res*, quas simulando favorem hominum ambiunt, inflectit.

VII. Crassius exercetur ab illis *stolidis*, qui videri volunt obedientes esse Deo, licet nec ipsi se tales esse credant, nec aliis id persuadere possint. Exemplum est Prov. VII. 14. Subtilior est eorum Hypocrisis, qui tam artificiose pietatem simulant, ut ab aliis, aliquando etiam perspicacioribus, insigni temporis intervallo, pro vere conversis ac sincere agentibus habeantur. Horum dolus fœdior est, quoniam majori cognitionis modulo pollent, fraudesque suas fraudibus novis identidem incrustant, ne detegantur.

VIII. Porro diversi hominum ordines diversos Hypocriseos gradus conficiunt. Turpior est illa, quæ in Doctores cadit, quorum antesignani Bileamus ac Judas, Pharisæi & Scribæ Matth. XXIII. multique Pseudapostoli primitivæ Ecclesiæ, de quibus Phil. I. 15. 16. agitur, fuere. Tales & conscientiæ vim majorem inferunt & damnum gravius caussantur. Nec minus nociva exempla Principum Hypocritarum 1. Sam. XV. 30. 2. Reg. X. 16. & quorumcunque, qui aliis prudentia politica atque authoritate præpollent.

IX. Quoad *rem simulatam* alia Hypocrisis est *universalis*, alia *particularis*. Illa est eorum, qui falso se venditant esse vere *regenitos* Apoc. II. 9. Hæc eorum, qui speciales quasdam actiones externas

ternas ita moderantur, ut in illis se intentionem rectam habere aliis persuadeant. Ubi iterum turpissimi sunt illi, quorum tota vita actionum hypocritarum catena est Matth. XXIII. 5.

X. Ex his in propatulo est, quam late hoc vitium, cujus indolem egregie emblema *fermenti* 1. Cor. v. 8. depingit, pateat. Quando enim *simulatores* consideramus, eorum *omnes hominum species*, non solum quoad vitæ conditiones sed etiam sexuum atque ætatum discrimina, plenæ sunt. Non videntur quidem Hypocriseos esse capaces, qui in *criminum fœdiorum cœno* se volutant. Et tamen nemo facile adeo *perditæ* vitæ est, ut non *melior* paululum, quam est, reputari velit atque cupiat. Ipsi *regeniti*, quamvis nullum vitium Statui Gratiæ magis adversetur, labis omnis expertes hic non sunt, veluti constat ex Petri & Barnabæ exemplo Gal. II. 11—13.

XI. Quando actiones, in quas simulatio cadit, perpendimus, *omnia opera externa* commaculare potest.

(1) Omnia officia *cultus religiosi* hæc turpitudo contaminat, sive exerceantur ex falso scopo, adeoque absque legitima cordis dispositione Jes. XXIX. 13. Ezech. XXXVII. 31. Matth. VI. 5. Ps. L. 16. sive intermittantur ex prætextu majoris sanctitatis Jes. LXV. 5.

(2) Omnis *externa* cujuscunque *virtutis* in communi vita *simulatio* huc est referenda. Id fit

(a) *Verbis*, per assensum veritatis, per pia colloquia Jac. III. 11. 12. per inanes gloriationes de propria virtute Prov. XX. 6. per aliorum

contemtum ac temerariam *condemnationem* Matth. VII. 5.

(b) *Factis*, per simulationem tum devotionis & *amoris erga Deum* in gestibus Jes. LVIII. 5. in vestitu Matth. XXIII. 5. in consuetudinibus superstitiosis Matth. XXIII. 16. 23. 24. in conversatione cum piis; tum *amoris erga proximum*, præcipue per *eleemosynas*, aliaque opera misericordiæ Matth. XXIII. 23--28. VI. 2.

XII. Quam *abominandum* nihilominus hoc vitium sit, hæc argumenta ostendunt.

(1) Quia ex præcedentibus sequitur, quod cum quacunque vera virtute tam generali quam speciali plane sit irreconciliabilis.

(2) Quia directe *omniscientiam* ac *sanctitatem* Dei abnegat.

(3) Si atrocius peccat, qui majori lumini adversatur, atrocissimum est illud crimen, quod a nemine perfectius committitur, quam qui *majori* præ aliis *cognitione* gaudet.

(4) Nemo *imaginem Diaboli* plenius gerit, quam hypocrita 2. Cor. XI. 14. 15. Hinc *progenies viperarum* in emphasi nominatur Matth. XXIII. 33.

XIII. Cum summa *turpitudine* summum *damnum* est conjunctum:

(1) Quoad *ipsum hypocritam.*

(a) In hac vita infelicior aliis est, Continua sollicitudo illum exedit, ne fraus transpareat. Hinc tuta omnia timet. Conscientiam habet pro cognitionis modulo interne lacerantem. Neque magis præceps aut ad *indurationem* aut ad *atheismum*, quam per Hypocrisin, via patet.

(b) In

(b) In futura vita *ſummus pœnarum* infernalium *gradus* hypocritam exſpectat Job. VIII. 13. XXVII. 8. 9. Jeſ. XXIX. 14. 15. Matth. XXIV. 51. Hinc Servator toties *væ* dirum hypocritis ingeminat Matth. XXIII.

(2) Quoad *alios* nulla peſtis eſt lethalior quoniam contra Eccleſiæ ædificationem nihil magis nocivum eſt Hypocriſi. Zizania hæc difficillime eradicatur, quia proxime ad tritici accedit formam. Fomes hic perniciosus eſt tantum non omnium ſchiſmatum, hæreſium, perſecutionum; quin etiam præjudiciorum ac ſcandalorum contra veritatem, præcipue quando propter detectam Hypocriſin *nomen Dei blaſphematur* Rom. II. 24.

XIV. Oppoſita Virtus nominatur SINCERITAS. Græcis illa appellatur εἰλικρινεία, quaſi dicas, τῇ εἴλῃ κρινομένην *ſplendore Solis probatam.* Synonymum præcipuum eſt ἀλήθεια, אמת / *Veritas*, quoniam formale ejus conſtituit convenientia externorum ſignorum cum interna mentis diſpoſitione. Quoniam autem ſub nomina אמת / *veritas*, aliquando etiam comprehenditur אמונה *fidelitas*, hinc ſincerus interdum etiam πιστὸς *fidelis* dicitur. Prope accedit תושיה / *res*, *ſubſtantia* Prov. III. 21. Job. VI. 13. nudæ *ſpeciei* oppoſita: זך *puritas*, metaphora a rebus pellucidis, limpidis, mixtura carentibus deſumta: *Cor rectum* Act. VIII. 21. Præcipuam emphaſin habet Hebræorum תם / תמה / תמים / *integritas*, *perfectio*, quod apud LXX. ſæpe redditur per ἀλήθεια & a ſacrificiis vitio carentibus eſt petitum. Ex tot præclaris nominibus

apertum est, quanta sit virtus, quam hic indigitamus.

Def. XV. Intelligimus igitur per *Sinceritatem*, *habitum voluntatis a Spiritu sancto productum, quo regenitus perfecte cum intimo desiderio vult omnes facultates viresque a Deo donatas impendere ad Legem universam Fidei ex omni parte pro modulo suo implendam.*

XVI. *Objectum* ergo *Sinceritatis* æque late patet, ac ipsa Lex Evangelii, sive *finem* constituat, sive *modum* atque *media* ei congrua definiat, absque ulla diminutione aut exceptione, tam quoad interna quam quoad externa officia, sive illa difficiliora, sive faciliora appareant, dum modo constet, quod Lege Dei præscripta sint.

XVII. *Actum* formalem *Sinceritatis* ponimus in *desiderio voluntatis intimo* ac *perfecto Legem fidei implendi.* Desiderium hoc ab ipsa executione distinguitur præeunte Scriptura, quæ distinguit inter *velle* & *operari* Phil. II. 13. Rom. VII. 18. 19. In *executione* enim multiplex *imperfectio* secundum Cap. IV. §. 15. obtinet. Verum hoc velle seu *desiderium* a primo novæ vitæ ortu semper in omnibus renatis perfectum est, atque INTEGRITATEM eorum constituit, sive *in se* consideretur, sive cum aliis quibuscunque *desideriis conferatur.*

XVIII. Desiderium *sincerum in se* spectatum gaudet *integritate* tam *subjectiva*, quam *objectiva.*

(1) Integritas *subjectiva* requirit,

(a) Ut *sincerus*, quicquid in anima & corpore facultatum tam naturalium quam moralium a Deo

Deo donatarum est, secundum præscriptum Legis divinæ impendat Ps. CIII. 1.

(b) Ut principium omnis bonæ speciei in cordis seu voluntatis intimis penetralibus sit radicatum, atque adeo, ut non solum externa facies non sit ab interno animi desiderio separata, sed etiam hoc supponat, & nonnisi ex hoc fonte oriatur 2. Sam. VII. 27. Ps. CXIX. 40. 112.

(c) Ut sincerus desideret hoc principium constanter in omni data occasione revelare, eamque actionibus suis coram Deo & hominibus conformitatem inducere, per quam instar lapidis quadrati ad structuram Templi mystici cæsi sibi semper similis sit.

(2) Integritas *objectiva* complectitur desiderium

(a) Quod se extendit ad omnia præcepta Dei, in tota Lege ejus deliciatur, ejusque implemcntum pro maxima parte felicitatis suæ reputat Ps. CXIX. 56. 57. 128.

(b) Quod certa ratione *prius* ac *magis* de implendis præceptis internis quam externis erit sollicitum, & hoc pacto istud περισσὸν præstare contendet, quod Servator commendat Matth. V. 20. 47.

Quæ omnia in hypocrita secus se habere liquet.

XIX. Desiderium *sincerum* cum aliis *comparatum* desideriis ea præcellit longissime:

(1) Quoniam *altius* imis medullis hæret.

(2) Quoniam gradu *vehementiæ* illa exsuperat, *bona* subordinans, *mala* oppugnans & lucta, licet

cet aliquando difficiliori ac tardiori, illa paulatim vincens.

(3) Quoniam omnium est *constantissimum*. Minora enim desideria sæpenumero aut ultro evanescunt, aut alias formas induunt. Hoc etiamsi per tempus obscuratum, identidem tamen eluctatur, & sibi semper simile esse usque ad finem perseverat Ps. cxix. 44.

XX. Proximi & frequentiores sinceri desiderii effectus, ex quibus tanquam indubitatis *criteriis* unusquisque de sua sinceritate sibi conscius esse potest, sunt:

(1) Preces enixæ ad Deum ex sensu propriæ imbecillitatis, ut ille vires ad implendum Legem suam submministret Ps. cxix. 4. 5. 145. 146.

(2) Contritio dolorque occultus animi de imperfectione, quæ adhuc actionibus adhæret.

(3) Parrhesia ad Deum tanquam testem sinceri cordis provocandi Ps. xxxviii. 10.

XXI. Insignem ergo *Sinceritas* inter *Virtutes Cardinales* locum habet, quoniam illa quasi vinculum est, quod omnes virtutes, quas in hunc censum retulimus, connectit, si non in plena executione, saltem in proposito. Unde manifesta est ratio, cur Deus nihil præter hanc *integritatem* Gen. xv. 1. seu *fidelitatem* Apoc. ii. 10. exigat, quæ *vitio* cuicunque opponitur 1. Cor. v. 8.

XXII. Generatim seriam sectationem virtutis hujus commendat:

(1) Summa ejus *æquitas*.

(a) Dat enim Deo gloriam *omniscientiæ* & *sanctitatis*, quam Hypocrisis obscurat.

(b) Imi-

(b) Imitatur *exemplum Dei*, qui est summa *veritas*, & inconcussam fidelitatem servando fœdus suum erga populum suum exserit. Hinc dicitur *Sinceritas Dei* 2. Cor. 1. 12.

(c) Universali suffragio generis humani, quantum fallax exosus est, tantum æstimatnr & laudatur in communi vita Sinceritas.

(d) Quamvis *Sinceritas* maximum sit, quod regenitus potest præstare, *minimum* tamen est, quod Deus potest postulare.

(2) Accedit lucrum certissimum.

(a) Adminiculum est & *medium* quasi *mediorum* omnium infallibile ad verum Finem in Boni summi possessione assequendum.

(b) Deus in illa impense deliciatur Ps. LI. 8. & promissa summæ beatitudinis sinceris in verbo suo exhibet Ps. CXIX. 1. Prov. XXVIII. 10. 18.

XXIII. Inter potissima attributa fidelium Novi Testamenti *Sinceritas* seu *Integritas* locum habet. Ps. XV. 2. XXIV. 3. 4. XXII. 2. Zeph. III. 13. Hæc *verum Israelitam* mysticum conficit Joh. I. 47. Hæc formale attributum cultus Domini *in Spiritu & veritate* Joh. IV. 23. 24.

(a) Versatur hic ante oculos exemplum illustre Sinceritatis in Filii Dei fidelitate, quam & Patri & electis suis præstitit.

(b) Cultus externus cum fœdere externo est abrogatus.

THEOLOGIÆ ACTIVÆ

LIBER SECUNDUS,

Specialiorem singulorum officiorum secundum *ordinem Operis Gratiæ* spectatorum delineationem exhibens.

CAPVT PRIMVM.

De officiis, quæ tanquam præparatoria ad Conversionem spectari possunt.

SUMMARIUM.

I. *In genere post transitionem* §. 1. 2. de diversitate Conversionis quoad prima ejus initia *agitur* 3—7.

A. *In conversione* extraordinaria 3. 4.

B. *In Conversione* ordinaria 5—7.

II. Offi-

II. Officia *ad initium* Conversionis ordinariæ *spectantia enumerantur* 8---36.
A. *Quæ cuicunque peccatori inconverso inculcari debent* 8---19.
1. *Omnia* postulata Fœderis operum 8.
2. *Illa officia, quæ* subservire ejus Conversioni *possunt* 9---19. *Ubi*
a. *Cautela præmittitur* 9.
b. *Officia ipsa enumerantur* 10---19.
α. Exploratio sui ipsius 10---12.
β. Agnitio miseriæ 13.
γ. Persuasio de necessitate conversionis 14---19.
א. *Argumenta eo facientia* 14.
ב. Effugiorum *solutio* 15---19. *quorum*
a. *Indoles describitur* 15.
b. *Variæ classes recensentur* 16---19.
α. *Generalia* 16---18.
β. *Specialia* 19.
B. *Quæ* peccatori convicto *commendanda sunt* 20---36.
1. Impedimentorum *remotio* 20---32. *qualia sunt*
a. Procrastinatio Conversionis 20---24.
b. Timor de frustraneo Conversionis conatu 25---27.
c. Vana persuasio, quod quis jam conversus sit 28---32.
α. *Varia fundamenta ejus indicantur* 28.
β. *Singula subruuntur* 29---32.
2. Mediorum, *quæ salutaria esse possunt*, impendium 33---36.

a. Verbi Dei consideratio 33.
b. Preces 34.
c. Peccatorum crassiorum intermissio 35.
d. Conversatio cum piis 36.

I.

Post *fundamenta generalia* quorumcunque officiorum absque circumstantiarum respectu spectatorum jacta, in altum provehimur, varia eorum secundum circumstantiarum maximam diversitatem discrimina ex ordine ita contemplaturi, ut totam *Novi Hominis* actuositatem a primo vitæ spiritualis *initio*, usque ad ejus *consummationem* gradatim progredientem continuo filo deducamus.

II. Potissimam hic primamque diversitatem nobis exhibet, ipsa *Statuum moralium*, in quos omne mortalium genus diremtum est; *Peccati* scilicet & *Gratiæ* secundum dicta lib. 1. cap. 3. & 4. differentia. Cum igitur *Status peccati* & universalior & ordine temporis prior semper sit, ab *officiis* homini in Statu peccati adhuc versanti incumbentibus aut saltem inculcandis initium faciendum erit.

III. Ne autem in ipso limine impingamus, primo omnium observamus *initia* ipsa *Conversionis* adeoque & actuositatis novæ vitæ diversimode se habere. Dantur enim *primo* quædam *Conversiones extraordinariæ*, quæ pro *miraculis* Regni Gratiæ haberi possunt, & in quarum dispensatione libertas Dei revelatur.

IV. Præterea sunt, qui a prima infantia, Ps. LXXI.

IXXI. 5. quin in ipso *utero matris* Luc. I. 15. semen regenerationis acceperunt, atque eapropter *sancti* sunt 1. Cor. VII. 14. non mera *sanctitate* externa ac relativa, sed & interne infusa ac producta, per quam ita mature a jugo carnis sunt liberati, ut neque reminiſci queant, quod unquam illi fuerint impliciti, neque præparatio ad Converſionem in iis locum habuerit, neque adeo partes gradusque ejus in illis ita ut in adultis diſtingui queant. Verum has quoque inter *extraordinarias* Dei vias licet adnumerare.

V. Denique nec uniformis eorum Converſio eſt, qui per *ordinariam vocationem* in annis diſcretionis convertuntur. Nam & ſapientia Dei varie hic ludit, & diſpoſitio in illis, qui convertuntur, diverſa facit, ut multa *obſcuritate* initia operis Domini aliquando ſint involuta; unde fit, ut *partes gradusque* ejus non tam diſtincte animadvertantur, quamvis implicite in quacunque Converſione contineantur.

VI. Cum autem Theologia *Activa* circa *agenda* potiſſimum occupetur, & de *officiis* tractet, quæ Evangelium præſcribit, adeoque ſupponat tales, qui eorum percipiendorum atque implendorum capaces ſunt, hinc illæ officiorum differentiæ hic proprie a nobis ſunt excutiendæ, quæ concernunt tales, qui *ordinariam* ad vitam viam addiſcere poſſunt, & cupiunt; ut eo magis in promtu ſit Miniſtro Evangelii, quid reſpondere debeat ad quæſtionem, quam prima ſalutis cura exprimit: *Quid faciemus?* Act. II, 37. *Quid me oportet facere, ut ſerver?*

ver? Act. XVI. 30. Confer Matth. XIX. 16. Act. IX. 6. X. 6.

VII. Statum corruptum porro Lib. I. cap. 3. §. 17. sq. distinximus in statum *securitatis & convictionis* Duplex inde nascitur officiorum classis. Quædam ad *utramque* classem, quædam ad *posteriorem* solum pertinent.

VIII. Officia cuicunque irregenito incumbentia partim *debitorum*, quæ Lex severe ab illis exigit, partim *mediorum* quodammodo *præparantium* ad Statum Gratiæ instar habent.

IX. Ut ὀφειλήματα seu *debita* peccatoris uniuscujusque considerari possunt omnia *postulata Fœderis operum*, cujus vinculis tenetur, quamdiu creatura est, multoque magis, quamdiu beneficiis longanimitatis Dei gaudet.

X. Ab his distinguimus *officia*, quæ sano sensu *præparantia* ad statum gratiæ dici possunt: non quasi per se sint *efficacia* aut *universalia*. Nam & frustra quidam in illis versantur, & plurimi absque illis convertuntur. Nihilominus recte inculcantur, tum quia Spiritus sanctus illis aliquando utitur ad salutem peccatoris, tum quia peccator ad illa præstanda obligatus est. Nam

(a) Hoc sibi ipsi debet, ut nihil inexpertum prætermittat, cujus medio ex summæ infelicitatis barathro eniti possit.

(b) Præterea certa ratione a peccatore, quatenus non fungus aut lapis est, præstari possunt.

XI. Primum officium est *Exploratio sui ipsius* in eum finem, ut constet, in quonam *Statu*, Corruptionis, an Gratiæ? aliquis degat. Zeph. II. 1. *Perscrutamini vos & perscrutamini vos, o gens, quæ*

que expers est desiderii. Duplicata officii hujus inculcatio indicat:

(1) Quod difficillime peccator ad eam permoveatur, qui est a natura *lucifuga* Joh. III. 20.

(2) Quod propter spissam caliginem, quæ mentem peccatoris obnubilat, *attentio*, *mora*, nec non *repetitio inquisitionis* requiratur.

(3) Quod necessitas summa iucumbat, hoc scrutinium non solum instituendi, sed etiam accelerandi. Necessitatem hanc ostendit:

(a) Magnitudo *miseriæ*, quæ cum Statu corruptionis est connexa secundum Lib. I. cap. 3.

(b) *Præsumtio* de tali, qui aut *numquam*, aut *obiter* de statu suo cogitavit, quod adhuc in Regno tenebrarum vivat, non solum propter paucitatem electorum, sed etiam, quoniam propriæ salutis adeo turpiter incurius hactenus fuit.

XII. Ad examen hoc instituendum requiruntur *Criteria* non solum *certa* secundum Lydium Legis divinæ lapidem, sed etiam *ad captum* peccatoris accommodata, adeoque *pauca*, *simplicia*, *clara*, qualia facile & differentia inter Statum naturæ & gratiæ & tenor Legis Evangelicæ subministrat, & quæ inter istud eminet, *quod nemo in Regnum Dei ex Regno tenebrarum transiverit*, *nisi qui Gloriam Dei extremi Finis*, *Summique Boni loco habeat.*

XIII. Alterum officium est *Agnitio miseriæ.* *Agnosce*, *quid feceris!* Jerem. II. 23. Illa agnitio comprehendit.

(1) Convictionem de ipso *peccato* Jerem. III. 8. idque secundum omnem fœditatem suam.

(2) Convictionem de *maledictione*, sub qua propter

propter peccatum homo a natura jacet Apoc. III. 17. Luc. XV. 17.

(3) Convictionem de totali *impotentia* ad emergendum ex illa miseria.

XIV. Hinc tertio oriri debet *Persasio de necessitate Conversionis* Ps. L. 22. 23. ad quam excitandam *argumenta stringentia* sunt expendenda. Licet autem illorum magnum cumulnm tam ratio, quam Scriptura subministret, apud induratum tamen peccatorem atque Philatiæ perversæ catenis vinctum nullum est efficacius, quam quod periculum æternæ damnationis præstat, cujus ea propter tum *certitudo*, tum *gravitas*, tum *propinquitas*, tum *æternitas* probe pensitari debet.

XV. Verum hic cuneus, utut durissimus, effectu omni carebit, nisi *effugia* contra necessitatem Conversionis, saltem talis, quæ in Evangelio describitur, præscindantur, quorum triplici ære pectus peccatoris est munitum. Semper enim *quærit ratiocinia multa* Eccl. VII. 30. sive ut a conscientiæ suæ morsibus se liberet παραλογίζομεν ἑαυτὸν *per periculosum sophisma sibi ipsi illudens* Jac. I. 22. Gal. VI. 3. sive ut contra rectiora monentes se defendat.

XVI. Ad duas classes hæc *effugia* referimus. Sunt enim aut *generalia* aut *specialia*. Priora constant *ratiunculis* speciosis ac detorsione Scripturæ sacræ & *dogmatum* fidei incrustatis 2. Petr. III. 16. quæ aut ad *extenuandam* miseriam *Status peccati*, aut ad *elidendum* verum de *Statu gratiæ* conceptum faciunt.

XVII. Effugia *vanæ ratiocinationis*, quibus *miseriæ* magnitudo impugnatur, petita sunt:

(1) Ab

(1) Ab *ipso Deo* & sigillatim:

(a) Ab ejus *misericordia*, quæ cum peccatore tam *rigide* non aget, ac Lex comminatur.

(b) Ab ejus *bonitate*, qua usum rerum ad vitam præsentem pertinentium indulsit, quam in rem detorquentur dicta quædam, potissimum in Ecclesiastice Cap. II. 24. 25. III. 12. 13. 22. V. 17. 18. VIII. 15. IX. 7. quæ vitæ voluptariæ favere videntur. Additur Oeconomia Veteris Testamenti, quasi in illa Deus Israelitis genio suo indulgere in cultu ejus permiserit.

(c) Ab ejus efficaci *voluntate* & *decreto*, quo homines corruptos produxit, tentationes immittit, peccatis utitur, ut homines humiliet, & gratiam faciat, adeoque tantum non ipse peccati author est.

(d) Ab ejus *gloria*, quæ per peccata promoveatur Rom. V. 20. *Ubi amplificatum est peccatum, ibi superabundavit gratia.* 2. Cor. XII. 9. *Gloriabor in infirmitatibus meis.*

(e) A *providentia divina*, quæ non sit censenda singula etiam minutissima observare, quoniam alioquin tanta confusio in rebus humanis non occurreret.

(f) A *merito Christi*, quo pro omnibus peccatis, etiam atrociissimis satisfecit, quodque cœco impetu sibi applicant, præsertim, qui pro omnibus hominibus mortuum esse putant.

(2) A *natura* peccati & *Status corruptionis.*

(a) Illum esse *universalem.* Neminem vivere a crimine liberum. Id ipsam Scripturam Psalm. XIV. 3. docere. Quare *neminem salvandum* fore, aut

aut saltem *paucissimos*, si quisquis peccet, damnandus esset.

(b) Cavendum esse a temerario judicio Matth. VII. 1. *Cor* posse *bonum* esse, quamvis externa quædam facta sint peccaminosa.

(c) Adduntur variæ circumstantiæ, quæ *folia ficulnea* præstant ad singularum actionum malarum fœditatem abstergendam, aut saltem *peccata* in *peccatilla* convertenda; ex. gr. defuisse malam intentionem; Satanam, aliosve seduxisse; alios multo enormius peccare; consuetudinem ita esse receptam; in tali vitæ conditione id esse inevitabile &c.

XVIII. Ad *obscurandum* verum *de Statu Gratiæ conceptum* varia faciunt ratiocinia, quibus *odium lucis* eousque se confortat, ut vel hæreseos, aut ad minimum *superbiæ*, stigma illis inurere tentet, qui saniora urgent. Ea fini prætendunt:

(1) Quod via ad vitam, quæ in Evangelio præscripta est, sit *contra rationem*, quoniam ita horrida & aspera est, ut quis seipsum deberet odio habere, qui eam vellet inflectere.

(2) Quod *impossibile* sit eam calcare; quæ *impossibilitas* defenditur:

(a) Per doctrinam Scripturæ probantis, neminem posse in hac vita perfectum esse.

(b) Per dicta exserte id ponentia Matth. XXVI. 41. *Spiritus est promtus, sed caro est infirma.* Rom. VII. 18. *velle adest mihi, sed ut, quod bonum est, efficiam, non assequor.* Prov. XXIV. 16. *septies cadit justus.*

(c) Per lapsus Sanctorum, Noachi, Lothi, Davidis, Salomonis, Petri & similes.

(3) Quod

(3) Quod *fas non sit* adeo *præcise* anguſtam viam inculcare aut tenere.

(a) Id velle directe loca Scripturæ Eccleſ. VII. 16. *Ne eſto nimium juſtus.* Rom. XIV. 22. *Beatus eſt, qui non condemnat ſeipſum in eo, quod approbat.*

(b) Id confirmare Paulum exemplo ſuo 1. Cor. IX. 22. *Omnibus factus ſum omnia.*

(c) Idem requirere libertatem Novi Teſtamenti, in quo *puris omnia pura ſint* Tit. I. 15.

(4) Quod detur alia via planior ac facilior ad ſalutem, quam prætendunt conſiſtere aut in externa *profeſſione* Chriſtianismi, quo referunt frequentationem cœtuum, uſum Sacramentorum &c. aut in *fide* abſtracte a converſione conſiderata, quam cenſent aut hiſtorico aſſenſu, aut cœca fiducia abſolvi. Quin doctrina Pauli, quod homo *juſtificetur abſque operibus Legis* Rom. III. 28. in hunc ſenſum rapitur.

XIX. Accedunt *effugia* magis *ſpecialia* pro variis circumſtantiis, in quibus quidam ſunt poſiti, & per quas ſe diſpenſatos a Converſione ſincera eſſe cenſent. Sic

(1) Quoad diverſam vitæ *conditionem ſpectatiores* prætendunt, quod ſe contemtibiles reddituri ſint, *tenuiores*, quod pani lucrando inepti ſint futuri, ſi viam hanc anguſtam ingrederentur.

(2) Quoad diverſam *ætatem juventutem* gaudio deſtinatam eſſe tricantur, ſeveriorem vitam viros ac ſenes decere; ubi *ſenectus* advenit, illam incommodam plane ad novam vitæ rationem eſſe clamatur.

XX. Illi autem, cui effugia hæc eousque ex-

torta sunt, ut & miseriam suam & necessitatem Conversionis agnoscat, incumbit, quantum rationali creaturæ per naturæ vires licet, sub spe divini auxilii, *Impedimenta* suæ Conversionis removere, & certa quædam *Media* ad eam promovendam usurpare. Nam quemadmodum hoc conanti Gratia divina non deerit, cum ipse hic conatus, quando cum aliqua sinceritate est conjunctus, jam pro quodam impulsu appropinquantis Spiritus sancti habendus sit; ita, qui id plane negligit, nullam excusationis umbram coram Deo habet, quoniam seipsum *salutis incurium* Hebr. II. 3. & *vita æterna indignum* Act. XIII. 46. declarat.

XXI. Inter *Impedimenta removenda* præcipuum locum obtinet *Conversionis supina procrastinatio*, natum in genere ex *somno securitatis* Lib. I. cap. 3. §. 18. descriptæ, tum potissimum ex *spe*, quam multi repositam habent in gratia Dei, per quam vel in ultimo vitæ articulo se adhuc convertendos esse confidunt. Hinc *acceleratio* Conversionis impense commendatur Ps. XCV. 7. Jes. LV. 6. Jer. XIII. 16. Zeph. II. 2. Luc. XIX. 41. variisque argumentis tam *a parte Dei*, quam *hominis* urgetur.

XXII. Argumenta, quæ eam urgent *a parte Dei*, sunt.

(1) Quod ipsi *tota vita* debeatur.

(2) Quod admiranda sit ejus *longanimitas* ac patientia, quæ *tamdiu* peccatorem tulit, adeoque ulterius *lacessenda* non est Rom. II. 4.

(3) Quod turpissima sit *ingratitudo*, in Bono tam immenso per Evangelium oblato absque hæsita-

sitatione arripiendo moras velle nectere.

(4) Quod Deo gratissimum sit *florem ætatis* ac virium ipsi consecrare Eccl. XII. 3.

(5) Quod Deus rarissime peccatores ætate *provectiores* convertere soleat Jes. LXV. 20.

XXIII. *A parte nostri* obligati sumus ad *maturandum* in Regnum Dei transitum:

(1) Quoniam *stolidum* est, in rebus nihili ætatem viresque prodigere, rem autem maximi momenti identidem *in crastinum* differre.

(2) Quoniam maximi *fructus* ex Conversione accelerata fluunt, per quam & de sinceritate ejus certius constabit, & major aderit in suscipiendo jugo Domini aptitudo, & aliis exemplo suo prælucendi eosque Christo lucrandi gratior obtinget opportunitas.

(3) Quoniam, quo diutius Conversio differtur, eo magis *periculum* peccatoris accrescit. Crescente enim peccatorum cum singulis momentis mensura, accrescit judicii gravitas, ac spes Conversionis cum adaucto per frequentes actus atque obfirmato habitu decrescit.

(4) Quoniam nihil *vanius* est illa *spe conversionis* in futurum, qua peccator se demulcet.

XXIV. Nolim tamen *vanitatem* hujus *spei* ex *morali* quadam Conversionis *impossibilitate* in extremo vitæ simpliciter deducere. Sufficit enim

(1) Quod illa in promissionibus divinis nullum fundamentum habeat.

(2) Quod ipsa illa spes iram Dei juste provocet, quoniam ex odio ejus oritur atque longanimitate ejus ad securitatem in peccando abutitur.

(3) Quod via non ſolum breviſſima, ſed etiam terminus plane *incertus* ſit, quo elapſo nullus pœnitentiæ ſuperſtes erit locus.

(4) Quod *mortis genus* tale poſſit eſſe, ut nullum Converſioni ſinceræ ſpatium relinquat Eccl. IX. 12.

(5) Quod difficillimum ſit dijudicatu, an *pœnitentia ſera ſincera* ſit.

(6) Quod ſeræ in articulo mortis converſionis unicum tantum exemplum ſuppetat, & hoc ipſum exceptionibus quibusdam ſubjectum, latronis nempe in cruce converſi Luc. XXIII.

XXV. Contrarium huic eſt impedimentum alterum, *timor* nempe *de fruſtraneo ſe convertendi conatu*, cujus cauſſæ variæ diſtingui poſſunt, non ſolum *externæ*, temperamentum *melancholicum*, atque circa id in ſuam rem dirigendum actuoſus *Diabolus*, ſed etiam *internæ*. Huc referri poſſunt

(1) *Conſcientia malæ concupiſcentiæ* dominium ita plenum in voluntatem hactenus exercentis, ut ab illius catenis peccator ſentiat ſe ſolvi nolle, quin potius nihil impenſius in ſecreto cordis optare, quam ut illius deſideria implere poſſit.

(2) *Detorſio doctrinæ* orthodoxæ *de* æterna *electione* & *impotentia carnis* in ſenſum perverſum, ſive illa fiat *hypocritice*, ut prætextum tantum peccator inveniat, ſive *ſincere* per ignorantiam, aſtum Diaboli, & attentionis defectum.

(3) *Falſa concluſio*, quæ ex *atrocitate peccati* nectitur, quaſi illa ita modum excedat, ut *nulla remiſſio* ac præcipue ejus *diuturnitate in genere*, aut ex certo quodam *enormi facinore* nectitur, quale

erat

erat *Caini* Gen. IV. 13. & *Franciſci Spiræ*, aliorumque, qui *peccati contra Spiritum ſanctum* ſe reos eſſe cenſent. Hoc gurgite aliquando ipſos vere fideles ferme abſorberi, infra in lucta eorum oſtendemus.

XXVI. Ad hunc *timorem* diſpellendum prudentia ſingularis requiritur, ne in oppoſitum barathrum *vanæ ſpei* incidendi novam anſam peccator accipiat. In genere obſervari debet, de fruſtraneo conatu non conſtare, antequam experimentum ſit ſumtum: contrarium ſpondere Evangelii generalem, ſuaviſſimamque invitationem: etiamſi conatus poſſet irritus reddi, nihil tamen noxæ inde timendum eſſe: cauſſas hujus effugii bene examinandas, terrores melancholicos tanquam plane irrationales vilipendendos, mendaciis Diaboli autem non præſtandam, cæteras autem rationibus ſufficientibus oppugnandas eſſe.

XXVII. Circa has rationes diſcrimen adhibendum.

(1) Ubi ex modo enumeratis *cauſſis prima* prævalet, ibi hæc argumenta minime omnium valebunt. Peccator, quamdiu tanta malitia ei dominatur, illorum non eſt capax. Nec volenti fit injuria.

(2) In *caſu altero* oſtendendum, quod illegitimæ ex adductis dogmatibus conſequentiæ nectantur.

(3) In *caſu tertio* tenendum, tum quod exceptiones ejusmodi maximam partem fiant præter Scripturam, tum quod officium amoris, quo nobis ipſis obſtricti ſumus, a nobis exigat, ne

nobis absque sonticis clarisque rationibus *peccatum* aliquod *irremissibile* tribuamus, æque ac omnes falsæ spei blanditias effugere obstricti eramus.

XXVIII. Noxium quam maxume impedimentum tertio loco præstat illa *inanis persuasio*, qua multi sibi illudunt, putantes, *quod jam actu conversi sint.* Huic potissimum exposiți sunt, qui

(1) Aut *externum* qualemcunque Ecclesiæ communionem transitum per Baptismum, educationem, nec non sponsionem in usu S. Cœnæ susceptam Luc. XIII. 26. 27.

(2) Aut *vitam* moraliter *honestam*, nullique crimini obnoxiam, quod in oculos incurrit Luc. XVIII. 11. 12.

(3) Aut ad summum *motus* quosdam in *conscientia* aliquando excitatos, eorumque sequelas, quæ *Conversio spuria* dici possunt, pro indiciis Conversionis habent.

XXIX. Hisce omnibus non solum in genere commendatum esse debet, ut *criteria*, quorum §. 9. mentio est injecta, profundius ruminent, & examen secundum illa propter præsentissimum deceptionis periculum duplicent, sed etiam singulis separatim commonstratu integrum est, quomodo in *arena ædificent.*

XXX. Priori ergo classi incumbit perpendere,

(1) Quod nulla *prærogativa* ad *externam* Ecclesiæ communionem pertinens ad salutem sufficiat, veluti ex Judæorum rejectione evidentissime eluceşcit.

(2) Quod multo minor gloriationis in hac com-

communione ansa suppetat in Novo Testamento, in quo omne *fœdus externum* evanuit.

(3) Quod omnia, in quibus gloriantur, nonnisi *Media ad salutem* sint, quæ in plerisque *absque efficacia* esse experientia docet.

(4) Quod eorum periculum longe gravius sit, qui in his bonis gloriantur, nullosque nihilominus gratitudinis fructus ferunt.

XXXI. Altera species hominum honestatem vitæ majorem præ se ferentium difficillime omnium corrigitur. Et tamen quam falso nitantur fundamento, constat

(1) Ex Scripturæ testimonio Luc. XIII. 24. Matth. v. 20. 46. 47. XIX. 20--22.

(2) Ex *perverso scopo*, quem illi, qui in hoc vitæ genere excellunt, sibi præfixum habent, qui, si non vanum inter homines nomen, saltem salus imaginaria absque glorificatione Dei intenta esse solet.

(3) Ex eo, quod primaria officia veræ pietatis, qualia potissimum sunt, quæ ad internum cum Deo commercium & cum primis peccati motibus certamen pertinent, illis desint.

(4) Ex collatione *gentilium*, quin externæ virtutis atque honestatis in quavis religione sectatorum.

(5) Ex *tristi eventu*, subitaque in pejus mutatione, per quam sæpe providentia divina probat, qualemcunque illam probitatis speciem radicem veram non habuisse 2. Petr. II. 20. -- 22.

XXXII. Ut denique CONVERSIO SPURIA detegatur, ex collatione eorum, quæ Lib. I.

cap. 3. §. 23--25. monuimus, obſervandum eſt, quam ſpecioſos effectus & *veram Converſionem* ementientes *Convictiones* excitatæ conſcientiæ habere queant: quod ut clarius innoteſcat, ſequentia *Criteria ſpuriæ Converſionis* poſſunt notari. Illa verſantur

(1) Circa *originem* ejus: quoniam *Converſio ſpuria* non ex amore Dei atque odio peccati oritur, ſed aut *coacte* per providentiam Dei, quæ materiam, anſam, vires peccandi illis eripit, aut per *philautiam* vitioſam, ex *timore* pœnæ ſive temporalis ſive æternæ.

(2) Quoad *formam* talis Converſio eſt *manca*; aut enim tantum corde non mutato in *externis*, aut in *craſſiorum* vitiorum, minusve cum temperamento vitæque genere convenientium emendatione ſubſiſtit.

(3) Quoad effecta eſt *inconſtans* aut *in totum* ad volutabrum cum porcis redeundo, aut *in tantum*, eorum qui ex uno extremo in aliud ſæpe incidunt.

XXXIII. Ad *Media*, quibus Deus aliquando utitur, ut Converſionem peccatoris promoveat, *primo* referimus *Uſum verbi divini*, ſive per *lectionem* Sacræ Scripturæ & librorum, quibus neceſſitas Converſionis urgetur, ac deceptioni cordis circa eam præcavetur; ſive per *auditum* ſermonum ſacrorum, præcipue talium, quibus conſcientia dormiens ſuſcitari ac fortius impelli poteſt. Tale quid laudatur in Herode Marc. VI. 20. & contrarium vituperatur in Achabo 1. Reg. XXII. 8. ac Felice Act. XXIV. 15.

XXXIV. Non minoris momenti *ſecundo* ſunt

Preces,

Preces, in quibus ipse Socrates gentilis se ita narratur exercuisse, ut *tota illius vita* authore *Maximo Tyrio* differt. 30. *plena precationis fuerit.* Hoc medium exerte præscribitur Simoni Mago Actor. VIII. 22. Pœnitentiam quoque Achabi 1. Reg. XXI. 20. & Ninivitarum Jon. III. 8. 10. cum precibus fuisse conjunctum credibile est. In illis precibus nihil magis commendatum esse debet, quam illas cum confessione indignitatis & impotentiæ conjungere, gratiamque Dei convertentem implorare cum Ephraimo Jerem. XXXI. 18. Officium hoc tum maxime incumbit, quando motus & impulsus inconsueti conscientiæ sentiuntur.

XXXV. *Tertium* medium præstat *Vitiorum graviorum intermissio*, a quibus abstinere hominem inconversum posse Juvenis in Evangelio Matth. XIX. 2. ipseque Pharisæus Luc. XVIII. 11. 12. docet, ac moratiorum inter gentes exempla confirmant. Quare, qui eo nondum est enisus, impotentiam suam ne quidem prætexere potest.

XXXVI. Denique nihil impedit, quo minus convictus peccator *cum regenitis conversari* quærat, ut turbatæ conscientiæ consulat, eorumque tam monelis, quam precibus juvetur. Non sine lucro talem societatem esse ipse Saulus 1. Sam. X. 11. *prophetans* expertus est. Adde 1. Corinth. XIV. 25.

CAPVT SECVNDVM.

De *initiis* veræ conversionis, *ut primo officio, per quod peccator ex* statu corruptionis *transit* in statum gratiæ.

SUMMARIUM.

I. Conversionis *opus* §. 1---41. *ita describitur*, ut

A. *Præmittatur aliquod præmonitum, quomodo sub* officii *specie obversetur* 1. 2.

B. *Res ipsa pertractetur* 3---41.

1. Nomina *explicantur* 3. 4.

2. *Sequitur* descriptio 5---41. *quæ*

a. *Proponitur* 5.

b. *Deducitur* 6---41.

α. *Generalia Conversionis* attributa 6---12. *Est mutatio*

א. Efficax 6.

ב. Moralis 7.

ג. Universalis 8---10.

ד. Rationalis 11.

ה. Momentanea 12.

β. Partes *Conversionis* 13---41.

א. Essentiam *ejus constituentes* 13.---36.

a. Ordo *eorum indicatur* 13. 14.

b. Par-

b. Partes *ipse percensentur* 15 --- 26.

a. *Quoad intellectum* COGNITIO 15 --- 19.

b. *Quoad* voluntatem RESIPISCENTIA 20 --- 36. in qua continetur

† AGNITIO seu ASSENSUS *in cognitam veritatem* 20.

†† MUTATIO PROPENSIONIS 21 --- 36. *involvens*

* *Quoad statum præteritum* 21 --- 30.

, Pœnitentiam seu *Tristitiam de peccato* 21. --- 29. *cujus indicatur.*

/ Indoles 24 --- 26.

// Adjuncta 27 --- 29.

— Pudor 27.

= Detestatio sui ipsius 28.

≡ Angor 29.

„ Lætitiæ *initia* 30.

** *Quoad statum futurum* propositum mutationis 31 --- 36.

, *Capiendum* 31. 32.

„ *Initialiter in actum deducendum* 33 --- 36.

/ Confessione coram Deo 33 --- 35.

// Confugio ad Deum 36.

b. *Ad* criteria *seu* fructus *ejus pertinentes* 37---41. qui sunt
a. *Communes* 38.
b. *Peculiares* 39---41.

II. Necessitas *ejus demonstratur* 42---44.

I.

Primum officium, quod Scriptura ad salutem inculcat, quodque ipsum quasi transitum ex Regno tenebrarum in Regnum Filii Dei conficit, dicitur CONVERSIO, seu mavis REVERSIO. Illa cum alias spectetur ut *opus Dei*, quando dicitur *Illuminatio*, *Regeneratio*, *Renovatio*, *Sanctificatio* &c. hic consideratur ut *opus peccatoris*, quod ei Lege Evangelii injunctum est Jes. LV. 7. Ezech. XVIII. 31. Joel. II. 12. 13. Matth. IV. 17. Act. II. 38. &c.

II. Præscriptio hujus officii non adversatur doctrinæ de totali *impotentia* peccatoris, quoniam sub ejus inculcatione Spiritus sanctus electis vires ad præstationem solet largiri. Et utile est, Conversionem urgeri atque exigi a peccatore, tum ut adigatur ad gratiam Conversionis a Deo petendam, tum ut initia ipsa veræ Conversionis eo citius animadvertantur, tum ut, qui convertitur, statim a Conversionis initio in quærendo Deo rite progrediatur.

III. Ad actum *Conversionis* exprimendum Hebræi utuntur verbo שוב, quod non solum denotat *conversionem* in aliam viam, sed etiam *reditum* in viam antea *relictam*. Colludit Græcorum ἀπιστρέφειν, unde nomen ἀπιστροφή. Hujus syno-

synonyma sunt μεταμέλεια & μετάνοια in N. T. quæ in sensu strictiori *pœnitentiam* designant. Prior vox aliquando conversionem *spuriam*, posterior semper *seriam* indicat.

IV. Cæterum aut latiorem aut strictiorem sensum terminus *Conversionis* admittit. In latiori non solum *Regenerationi* sed etiam *Sanctificationi* universæ respondet, quoniam tota actuositas animæ in statu Gratiæ continua est ad Deum *Reversio*. In strictiori aut *initialem Reditum* peccatoris ad Deum, aut *repetitum* sæpius per novam *resipiscentiam* designat. De initiali hic agitur.

V. Conversio *adeoque nobis est prima actuositas animæ, per quam, dum a Spiritu sancto regeneratur, in ipso illo Regenerationis suæ momento, verbo Evangelii obsequens serio contendit merito ac virtute Christi apprehensa universam vitæ suæ rationem in melius mutare, ut exitium æternum effugiat, & in beata cum Deo communione ad ejus Gloriam sit.*

VI. Quando ergo indoles *Conversionis* in genere perpenditur, tum consistit in *actuositate efficaci* diversos actus involvente, ad quam exserendam anima in Statu corruptionis plane impotens & inepta fuit, sed per supernaturalem Spiritus sancti efficaciam in Regeneratione novas vires accipit, quas etiam illico impendit.

VII. Id, circa quod anima, dum vitam novam accipit, actuosa redditur, est *mutatio status sui*, non *physica*, sed *moralis*, quoniam iisdem facultatibus naturalibus manentibus, actionibus tantum *nova forma*, secundum novam normam Legis Jehovæ, inducitur, dum ad *finem* alium diri-

diriguntur, ad quem consequendum opposita plane *via* est inflectenda, *a tenebris ad lucem, a potestate Diaboli ad Deum* Act. XXVI. 18.

VIII. Mutatio hæc *serio* suscipitur per intimam ac perfectam *voluntatis* determinationem. Quare totum Gratiæ initium *ἁπλῶς velle* dicitur Phil. II. 13. Atque id apparet ex *universalitate mutationis*, quæ in vera conversione tam quoad *objectum*, quam quoad *subjectum* requiritur.

IX. Quoad *objectum* mutatio hæc est *universalis*. Nam

(1) Finis, qui *omittitur*, & qui *præfigitur*, e diametro sibi sunt oppositi, *vita & mors* Deut. XXX. 19. cœlum & infernus, *Deus & Diabolus*, Domini sibi adeo contrarii, ut qui unum amat, necessario alterum odio habere debeat Matth. VI. 24.

(2) Fines eousque pugnantes totalem viæ mutationem inferunt, quarum, quæ relinquitur, *lata*, quæ inflectitur, *angusta*; illa *curva*, hæc *recta*; illa *deorsum*, hæc *sursum* tendit Matth. VII. 12. 1. Sam. XII. 23. Prov. XV. 24.

X. Hinc & in *subjecto*, quod convertitur, *universalis* innovatio nascitur. Idque eo magis, quoniam facultatum hominis tam arctus est nexus, ut unius innovatio nequeat esse efficax, nisi reliquæ simul formam novam induant. Quare subjectum, quod convertitur, *homo* dicitur, & quidem *homo novus* Eph. IV. 24. *occultus homo cordis* 1. Petr. III. 4. Potissimam quidem sedem in mente habet, unde *innovatio mentis* dicitur Rom. XII. 2. Nihilominus effectus hujus innovationis in corpus quoque transeunt, & in actio-

actionibus externis conspicui sunt, unde *purificatio manuum* & *cordis* conjungitur Jac. IV. 8.

XI. Tanta immutatio non *temere*, sed *pensitatis* probe *viribus* suscipi, deque illis mature prospici debet. Nam fundamentum hujus propositi est testimonium Evangelii, quod Filius Dei non solum claves tam inferni, quam Regni cœlorum sanguinem suum promeruerit, sed etiam conantibus *vires* promiserit, quibus indigent, quod adeoque & *Justitia* & *Robur in ipso sit* Jes. XLV. 24.

XII. Ante specialiorem actuum, qui ad veram Conversionem concurrere debent, enumerationem supponimus, quod reapse sit *unius momenti* salutaris opus. Quamvis enim ex præcedente capite & Lib. I. Cap. III. §. 32. constet, *præparationes* aliquando diuturnas præcedere posse, ipsa tamen Conversio *tota simul* incipit. Nam si quid deesset tam ex objecti quam subjecti universalitate, quod voluntas non intenderet, per hoc ipsum constaret, Conversionem illam nonnisi *spuriam* esse.

XIII. Ut autem eo clarius constet, quid in seria Conversione conjunctum esse debeat, illos actus, qui intimis nexibus sibi invicem implicati sunt, certo *ordine* recensere juvabit. Ordo hic dupliciter spectari potest. Primo convenienter *ordini*, quem Deus per *naturam* ipsam inter *operationes mentis* posuit, quemque in statu Gratiæ non destruit, sed perficit. Quare censendum est, quod lumen *intellectus* hic quoque sequatur *judicium*, & secundum hoc *voluntas* se *determinet*; quæ determinatio *interne* per con-

for-

formes *affectus*, externe per *motus corporis* analogos se prodit. Ad singulas harum operationum qualitates sigillatim adumbrandas diversæ *sanationum miraculosarum* species, præcipue a Servatore nostro in diebus carnis suæ præstitæ, directæ fuere. Et sic intellectus *cognitio* præcedit, atque ex illa voluntatis omniumque ejus actionum *purificatio* sequitur.

XIV. Sed & convenienter *ordini Conversionis* talis, qualem *natura corrupta* peccatoris postulat, res hic concipienda est. Ad illam enim in melius mutandam duæ partes generales requiruntur, *aversio a malo & adversio ad bonum* Jes. 1. 16. 17. Ps. xxxiv. 15. Tit. 11. 12. Variis similibus ac phrasibus Scriptura has partes illustrat, præcipue *crucifixionis*, *mortificationis* & *exuitionis veteris hominis*, nec non *vivificationis* & *indutionis* novi hominis Rom. vi. 6. Col. iii. 9. 10. quæ eo majorem emphasin habent, quia partim ad creationem typicam *primi Adami*, partim ad *mortem* & *resurrectionem Christi*, quæ Conversionis electorum *caussa* non solum *meritoria*, sed etiam *exemplaris* fuit, alludunt. Atque sic singulæ mentis operationes in Conversione duplicem faciem secundum duplicem *terminum* spiritualis hujus, *a quo* disceditur, & *ad quem* appropinquatur, induunt.

XV. Cum primum Regenerationis initium a parte Spiritus sancti sit *Illuminatio*, primum initium Conversionis a parte peccatoris est Cognitio, quæ hic designat illam *intellectus a Spiritu sancto per verbum Evangelii instituti dispositionem, qua veritates ad salutem scitu necessarias tam clare*

ac

ac distincte percipit, ut in deliberatione de mutatione status sui dubius pendere nequeat.

XVI. Non ergo ulterius extendendum aut limitandum est objectum hujus *Cognitionis*, quam quantum sufficit ad judicium in assensum veritatis efficaciter pertrahendum; quo duo proprie tantum spectant, & necessario requiruntur, ut nempe tam id, quod *relinquendum* est, quam id, quod *sectandum* est, sub propria sua forma percipiatur.

XVII. Ab uno latere igitur *Cognitio status peccati* requiritur. Sic primus lucis ortus detegebat confusionem, in qua mundus jacebat. Hæc involvit

(1) Ut tota ejus status infelicitas sub oculis versetur tam quoad *fœditatem*, quam quoad *miseriam*; ad quod prærequiritur *Cognitio Legis divinæ* ejusque tum *præceptorum* tum *sanctionis*; nec non cognitio ipsius *sanctitatis* Dei, in qua Lex fundata est.

(2) Ut altius mentem subeat id, quod maximam infelicitatis partem in statu naturæ conficit, quod est

(a) In thesi *macula* peccati.

(b) In hypothesi illorum peccatorum fœditas per *circumstantias suas* adaucta, quorum conscientia unumquemque peccatorem sigillatim reum constituit.

XVIII. Ab altero latere accedere debet *Cognitio Dei Patris in Christo* cum mundo conciliati, modique, quo cum peccatore communionem habere vult, in qua *vitam æternam* Servator ponit Joh. XVII. 3.

XIX. De hac *Cognitione initiali* observandum:

(a) Quod pars posterior cum præcedenti semper conjuncta esse debeat, tanquam *alter* animæ *oculus*, & sine qua *Cognitio peccati* ad desperationem duceret. Sæpe tamen posterior Cognitionis hujus pars multis tenebris præ priori est septa, unde terrores multi oriuntur.

(b) Quod ex *modulo* hujus *Cognitionis* non possit judicari, an sit *salutaris*, necne? Nam insignis ejus mensura sæpe in irregenitis occurrit 1 Cor. XIII. 2. Et apud ipsos, qui regenerantur, diversi gradus observari possunt.

(c) Quod Cognitio hæc a mera *Cognitione naturali origine*, *claritate*, *certitudine*, *effectu* non parum differat.

(d) Quod nihilominus *Criteria* hujus Cognitionis passim non illico detegantur; id quod nec opus est, cum immediate connexa sit cum reliquis *Conversionis* partibus, quæ clarius digitum Dei ostendunt.

XX. Quando intellectus lumine novo, quod accepit, *voluntatem* salutari modo illustrat, inde ejus *emendatio* nascitur, quæ dici solet RESIPISCENTIA, seu magis improprie καθαρισμὸς, טהרה/ PURIFICATIO. Vox hæc a *mundationibus Legalibus* est petita, sordes ita eluentibus, nitoremque corpori reddentibus; ut simul typica ac fœderalis mundities inde oriretur, per quam initiatio ad cultum Dei fiebat. Nec tantum actus *Dei* purificantis, sed etiam *hominis*, qui seipsum purificabat, hoc vocabulo designabatur.

XXI. Incipit autem *Purificatio* spiritualis a judicio

dicio per AGNITIONEM illius veritatis, seu ASSENSUM in illam, quam intellectus percepit. Unde æque late patet.

(1) *Agnoscitur peccatum*, quando electus peccator, omnibus exceptionibus resciſſis, se ipsum miserrimum ac damnabilem *judicat* & omni modo præcavere studet, ne peccata sua extenuet, aut ulla in re sibi blandiatur.

(2) Agnoscitur *Gratia Dei in Christo*. quando non solum testimonium de illa ut *certum* propter decentiam Dei in eo relucentem, sed etiam ut omni *acceptatione dignum judicatur* 1. Tim. 1. 15. Unde fluit, ut illorum, qui antea, secundum carnis sensum, contemtim habiti, status beatissimus eapropter esse censeatur, quoniam hujus Gratiæ compotes sunt redditi.

XXII. Ex judicio ita defœcato sequitur totius PROPENSIONIS IN VOLUNTATE INNOVATIO, quæ actu ipso se *avertit a malo* & *versus bonum inclinat*, idque efficaciſſimo *interne* nisu, qui per *externa* signa illico innotescit. Prior pars hujus nisus dicitur *odium peccati* Prov. VIII. 13. Ps. XCVII. 10. posterior *amor boni* Amos. V. 15. & *Legis Dei* Ps. CXIX. 97. 159. 165. &c. de qua re latius cap. 5. agendum.

XXIII. *Interna* mentis innovatio relationem habet vel ad statum *præteritum* vel ad *præsentem* & *futurum*. Quoad *statum præteritum* ex agnitione peccati oritur *pœnitentia* & ex agnitione gratiæ Dei spes salutis cum initiali *lætitia* conjuncta. Quoad *statum futurum* adest in eodem momento sincerum *propositum* peccatum fugiendi & justitiam sectandi.

XXIV. Poenitentia in sensu strictissimo idem est, quod alias Tristitia de peccato dicitur. Variis metaphoris illa describitur. Est enim *laceratio cordis* Joel II. 12. 13. & *compunctio* Act. II. 37. Effectus ejus dicitur *cor contritum* Ps. LI. 19. Jes. LXVI. 2.

XXV. Consistit illa in *affectu intimi doloris per Spiritum sanctum excitati, quo anima exulceratur, quando animadvertit diros effectus peccatorum a se commissorum, quoniam per illa Deum gravissime offendit, atque in summam miseriam se præcipitem dedit.*

XXVI. Cum autem Scriptura distinguat inter *tristitiam secundum mundum* & *secundum Deum*, 2. Cor. VII. 9. formale illud, quod differentiam utriusque conficit, bene est notandum. Id

(1) In eo situm est, quod ex odio ipsius peccati nascatur.

(2) Porro sincera tristitia non pœnam duntaxat, sed totum malum ex peccato fluens, & sigillatim offensionem Dei ac separationem ab eo pro objecto habeto. Hinc dolor sincerus circa *peccata* ipsa versatur Ezech. V. 1. 16. Thren. III. 39. V. 16. Jes. LIX. 12. & est propter *amissum Deum* Zach. XII. 10. Hinc David etiam post remissionem culpæ dolere pergebat Ps. LI.

(3) Verus dolor etiam *non cessabit*, donec peccator spem bene fundatam de sua cum Deo reconciliatione habere potest.

(4) Conjunctus denique est indivulso nexu cum reliquis sinceræ Conversionis partibus, ac sigillatim cum jugi peccatorum oppugnatione.

XXVII. Adjuncta hujus tristitiæ sunt varia.

Præ-

Præcipuum est PUDOR, *affectus, qui oritur ex specialiori consideratione illius turpitudinis, quæ animam per peccatum inquinavit.* Turpitudo hæc spectari potest tum relate ad Deum Jerem. III. 25. Dan. X. 7. 8. coram quo *oculos* peccator *non audet attollere* Esr. IX. 6 Luc. XVIII. 13. tum interdum etiam relate ad homines, quando illi testes vitæ turpiter actæ fuerunt.

XXVIII. Hinc porro fluit DETESTATIO SUI IPSIUS, *affectus inde oriens, quod conscientia testetur, hominem culpam suæ calamitatis non posse in alium rejicere, sed suæ malitiæ & stultitiæ eam unice esse tribuendam.* Experimentum evidens hujus veritatis inde capit, quoniam etiamnum pravos motus in corde suo residuos sentit. *Fastidio erunt sibi ipsis* Ez. V. 6. *Propterea detestor me* Job. XLII. 6. Hinc *percussio pectoris* Luc. XVIII. 3.

XXIX. Accedit aliquando maximus ANGOR, præsertim apud illos, qui aut confusos de Statu Gratiæ conceptus fovent, aut diutius pœnitentiam distulere, aut propter occultas rationes cum incredulitate luctari debent. Cum gradus hujus *anxietatis* varii sint, caveri debet, ne inter criteria veræ pœnitentiæ certus ejus modulus referatur.

XXX. Medium sane, per quod illa sedari potest, & sæpe in primis initiis supprimitur, est initium illud ac prima quasi scintilla LÆTITIÆ IN DEO, quæ recte ad initia conversionis refertur, quoniam ubi vel minima *spes* eluctandi ex illa miseria apparet, illic etiam *tristitia* peccati alias in desperationem desitura mitigatur, *metus* omnis pœnæ expellitur, & anima

interne gaudere incipit, quod in tempore gratiæ adhuc vivat, quod tanta salus ipsi in Evangelio annuncietur, quodque ea propter in possibilitate liberationis ex omni miseria, qua premitur, versetur.

XXXI. Concurrentes hi affectus PROPOSITUM actu ipso *se convertendi* producunt. Hoc Propositum immutationem animi consummat, quia involvit, ut peccator *non* amplius *velit malum*, quod antea voluerat, & *velit bonum*, quod hactenus noluerat Rom. VII. 15. 16. Nam in illo ab una parte renunciatur peccato, *cogitationesque ac viæ propriæ* actu ipso *relinquuntur*, ab altera parte servitium Dei eligitur ac *reversio fit ad Jehovam Deum nostrum* Jes. LV. 7. Unde hoc Propositum est ipsa *erectio Fœderis Gratiæ* cum Deo, per quam anima ruptis peccati vinculis & abjecto ejus jugo, *Dominum eligit, ejus jugum suscipit, ejus esse* incipit Jos. XXIV. 15. Matth. XI. 29. Jes. XLIV. 5.

XXXII. Concurrere ergo in hoc *proposito* debet

(1) Humilis propriæ impotentiæ sensus, in quo *paupertas secundum Spiritum* Matth. V. 3. consistit.

(2) Conscientia *desiderii sinceri* vivendi secundum Legem Evangelii fundum cordis occupantis, ita ut *jurato* quoque id testatum dare coram Domino audeat Ps. CXIX. 106.

(3) Spes & *arreptio auxilii divini*, quod conantibus in Christo est promissum Jes. XLV. 24.

(4) Extensio *propositi* ad omnia, quæ *totalis conversio* reapse involvit. Adeoque

(a) Propositum *relinquendi totam viam malam*

per

per omnium pravarum concupiscentiarum, ac præcipue illarum, quæ dominium potissimum exercuerunt, abjurationem Ezech. XVIII. 21. Ps. CXIX. 28.

(b) Propositum *viam bonam totaliter inflectendi*, & secundum omnia præcepta Dei, non exceptis illis, quæ difficiliora carni videntur, vivendi Exod. XIX. 8.

(5) Ipsum *operationis* secundum hoc Propositum *initium*, immediate cum Proposito conjunctum, per quod demonstratur, Propositum id sincerum & efficax esse.

XXXIII. INITIUM hoc actuositatis potissimum animadvertitur in *Precibus*, quæ sunt id quoad vitam spiritualem, quod est *respiratio* in vita corporali. Hinc signum conversionis Pauli erat, quod *oraret* Actor. IX. 11. Constant autem preces hæ præcipue *Confessione* & *Confugio* ad Deum.

XXXIV. CONFESSIO PECCATORUM involvit *ingenuam commissorum criminum, quatenus conscientia illa suppeditat, coram Deo agnitionem & commemorationem.* Quæ ut a *spuria* Confessione, qualis erat Pharaonis Exod. IX. 27. & Judæ Matth. XXVII. 3. distinguatur:

(1) Abesse omnis peccati *extenuatio* aut *excusatio*, totaque ejus atrocitas quasi in conspectum produci debet 1. Tim. I. 15.

(2) Non debet in generali Confessione subsisti, sed ad *singulorum* peccatorum quousque innotescunt, excussionem pergi, ipsis circumstantiis aggravantibus non omissis Dan. IX. 5. 6.

(3) Conjuncta esse debet cum interno peccati *odio* & proposito illud emendandi Prov. XXVIII, 13.

(4) *Scopus* debet esse, qualis est ægroti vulnera & ulcera sua Medico ostendentis, ut sanetur, non solum per remissionem culpæ, sed etiam *sanitatis* restitutionem Dan. IX. 9. Esr. X. 2.

XXXV. Maximum hujus *Confessionis* momentum est in sincera conversione.

(1) Quoad Deum nihil est *æquius*.

(a) Illius honor per peccatum læsus per hanc Confessionem restituitur Ps. II. 6.

(b) Illi tanquam supremo Judici factorum rationem debemus Job. IX. 15. Jos. VII. 19.

(2) Quoad peccatorem nihil est *salubrius*. Nam per hanc Confessionem

(a) Ipsum Conversionis opus promovetur, quoniam per illam penitior peccatorum cognitio, propter illa humiliatio profundior, denique major gratiæ divinæ æstimatio perducitur Luc. XV. 18. 19.

(b) Certa spes remissionis suscitatur Ps. XXXI. 5. Prov. XXVIII. 13. 1. Joh. I. 9.

XXXVI. Cum hac Confessione conjunctum est CONFUGIUM AD DEUM IN CHRISTO, per quod *humillime venia petitur*. Sic publicanus: *Deus propitius esto mihi peccatori* Luc. XVIII. 13. Confugium autem tam serium & constans requiritur, ut non antea desistatur, quam spes reconciliationis cum Deo affulget.

XXXVII. Ut autem illa affulgeat, accedere debent primi Conversionis sinceræ effectus, qui

appel-

appellantur *fructus conversione digni* Matth. III. 8. Sunt autem hi aut *communes* quibuscunque, qui convertuntur, aut quibusdam *peculiares*, secundum circumstantias specialiores, in quibus versantur.

XXXVIII. Ad primos Conversionis effectus omnibus *communes* referimus:

(1) Quoad *Aversionem a via mala*:

(a) Ut ipsum talium *peccatorum*, quibus magis dediti fuimus, *exercitium* interminatur.

(b) Ut *affectuum malorum intemperiei*, quæ identidem ad illa irritat, reluctari incipiamus.

(c) Ut *occasiones* illæ præscindantur, quæ noxiæ esse possunt, quo præcipue spectat *familiaris* cum peccatoribus *conversatio*.

(2) Quoad *Reversionem in viam bonam*:

(a) Ut *media* illa cum studio usurpentur, quæ confirmare animam in proposito, atque ad illud exsequendum idoneam reddere queunt.

(b) Ut *signa* totalis immutationis absque ostentatione, libere tamen, *externe* tam *verbis*, quam *moribus* ad pietatem compositis, exhibeantur.

XXXIX. Sunt tamen & *signa* quædam quemadmodum *non universalia*, ita etiam pet se non certa. Inter illa reputamus LACRYMAS, quæ sæpe sunt effectus sinceræ Resipiscentiæ Luc. VII. 38. Petrum & Davidem eorum non puduit. Ipse Servator præivit, quamvis alienorum tantum peccatorum sensu tactus esset Luc. XIX. 41. 42. Hebr. v 7. Notandum tamen, quod *lacrymæ* sæpe hypocritis facilius fluant, quam sincere pœnitentibus. Pretiosissimæ sunt illæ, quæ *in occulto* coram Deo profunduntur. Idem judicandum

de aliis externis signis, *planctu*, *jejunio*, & similibus.

XL. Requiritur etiam aliquando Confessio coram hominibus, *publica* in scandalis gravioribus; *privata*

(1) Coram illis, quos injuria affecimus Luc. XVII. 4.

(2) Coram illis, a quibus instructionem & corroborationem quandam spiritualem exspectare possumus Jac v. 16.

(3) Coram illis, quorum emendationem promovere, illisque Gratiæ divinæ magnitudinem exaggerare quærimus Luc. XXIII. 41. Act. XXVI. 10. 11.

XLI. Non negligenda hic est damni, quod proximo illatum est, quoad fieri potest, reparatio Ezech. XXXIII. 15. Adde exempla 1. Sam. XII. 3. Neh. v. 3. Luc. XIX. 8. Reparatio hæc non solum concernit damnum, quod bonis *temporalibus*, sed etiam *animabus* ipsis per offendiculum, quod vitiorum sociis est præstitum, intulimus.

XLII. *Necessitatem* talis Conversionis universa Scriptura tam Prophetica, quam Apostolica commendat, & quidem ita, ut cum illa salutem & cum ejus neglectu perditionem indubitatam connectat. Ex sexcentis locis notamus Jes. 1, 16.--18. Jerem. XVIII. 7--10. Ezech. XVIII. 30. 31. Joel. II, 12. 13. Zach. I. 3. His vestigiis institit Joannes Matth. III. 2. Christus Marc. I. 15. Apostoli Actor. III. 19. XXVI. 18. 2. Tim II. 25. 26. Hæc testimonia tum *exemplis* per totam historiam

am

am sacram sparsis, tum *rationibus* variis confirmantur.

XLIII. Rationes Conversationis necessitatem *a parte Dei* demonstrantes sunt

(1) Sanctitas ejus naturalis, per quam nequit communionem habere cum peccatore Psalm. v. 2. Cor. VI. 14. sq.

(2) *Operum* ejus tenor, non solum in *natura*, sed potissimum in *Gratia*, cujus *Finis*, ad quem etiam omnes *partes* salutis, *electio*, *acquisitio*, *applicatio*, constanti nexu tendunt, non est alius, quam ut peccator *conversus* ad glorificationem Dei gradatim idoneus evadat.

(3) Specialissime huc tendit Oeconomia Dei in N. T. in qua major mensura Spiritus Sancti majoris moduli in sanctificatione origo est.

XLIV. A *parte* autem *peccatoris* necessitas summa Conversionis deducitur

(1) Ex officio gratitudinis, ad quod Deo est obstrictus, quo tamen absque Conversione defungi nequit.

(2) Ex naturali mali fuga, bonique appetitu, cui convenienter non agit, sed sui ipsius crudelis hostis ac tyrannus est, qui absque seria Conversione in cultu peccati perseverat.

CAPUT

CAPVT TERTIVM.

De Incredulitate *&* Fide vera *oppoſite ad* Fidem ſpuriam *conſiderata.*

SUMMARIUM.

I. *Præfatio* §. 1 --- 4. *oſtendit*
A. Nexum *rerum porro tractandarum* 1 --- 3.
B. Methodum *obſervandum* 4.
II. *Tractio concernit duo oppoſita* 5 --- 52. *quæ*
A. *Proponuntur* 5.
B. *Deducuntur* 6 --- 52.
1. INCREDULITAS 6 --- 16. *quæ*
a. *Quatenus plene eſt in irregenitis deſcribitur* 6 --- 15. *ita ut*
α. *Definiatur* 6.
β. *Species ejus per partes enarrentur* 7. --- 15.
א. *Contra* rationem 7 --- 9.
a. Atheismus theoreticus 7.
b. Atheismus practicus 8. 9.
ב. *Contra* revelationem 11 --- 15.
a. *Extra Eccleſiam* 11 --- 13. *quæ pertinet*
α. Infidelitas 11.
β. Hæreſis 12. 13.
b. *In Eccleſia* 14.

γ. Gra-

γ. *Gravitas criminis ostendatur* 15.
b. *Quatenus reliquiæ ejus sunt in regenitis* 16.

2. FIDES genuina 17---52.
a. In se *considerata* 17---45.
α. *Ejus indoles describitur* 17---41.
א. *Definitio datur* 17.
ב. *Per partes deducitur* 18---41.
a. Objectum *Fidei* 18. 19.
b. Actus *Fidei* 20---41.
α. *Supponens* cognitionem 20.
β. *Involvens* 21---41.
†. *Actum* formalem 21. 22.
††. *Actus* singulares, *quos includit* 23---41. *Illi sunt*
* *Fidei semper communes* 24---26
— Desiderium 24.
= Quæsitio 25.
≡ Confugium ad Christum 26.
** *Fidei confortatæ proprius*, FIDUCIA 27---41. *quæ*
— *Definitur* 27.
≡ *Specialius explicatur* 28---41.
/ Fundamentum *ejus* 28. 29.
// Exercitium *ejus* 30.---41. *comprehendens*

, Ad-

, Admirationem 31
,, Lætitiam in Deo 32---35.
,,, Confidentiam 36. 37.
,,,, Parrhesiam 38. ---41.
β. Momentum *ejus indicatur* 42---45.
א. *Quatenus relationem intimam ad omnes alias virtutes habet* 42.
ב. *Quatenus summa ejus in se spectata est* necessitas 43---45.
b. *Oppositæ ad* Fidem spuriam 46---52.
a. *Variæ classes Fidei spuriæ recensentur* 47---51.
א. *Extraordinaria est* Fides miraculorum & Enthusiasmus 47.
ב. *Ordinaria est* Fides imaginaria 48. ---51.
a. *Gradus ejus percensentur* 48---50.
a. Fides carbonaria 48.
b. Fides historica 49. 50.
b. *Futilitas ejus ostenditur, quia est* Fides temporaria 51.
β. Criteria *adduntur, quæ Fidem veram a spuria distinguunt* 52.

I.

Ex descriptione Conversionis, quam dedimus, apparet, quod illa tale *semen* seu principium novum animabus inferat, quod *omnibus vitiis* Legi con-

contrariis mortem indicit, omnesque *Virtutes Deo placentes* sub se comprehendit. Hæ duplicem *Officiorum* classem continent. Sunt enim quædam omnibus Christianis *communia*, quædam ad certas *relationes* atque *circumstantias speciales* restricta. Illis hunc, his ultimum Librum destinamus.

II. Priores ut concinno ordine pertractemus ac paulatim, indolem earum atque nexum naturalem inter se sequentes, evolvamus, duas iterum species Officiorum distinguimus. Prior comprehendet ipsum *Virtutum Christianarum* particularium, seu mavis *Bonorum operum*, *exercitium*; posterior *Media*, quibus adhibitis earum *incrementum* promovetur, exhibebit.

III. Ad *Officia* omnibus *communia* referemus *Virtutes* illas, quas *Radicales* dicimus, quoniam in omnibus reliquis Officiis supponuntur, atque radicaliter eorum *semina* in se continent. Scriptura illas duas nominat, nempe *Fidem* & *Amorem* Gal. v. 6. aliquando autem mediam illis interserit *Spem* 1. Cor. XIII. 13. *Amor* autem in triplici relatione, in qua omnis homo est constitutus, ad *Deum*, ad *seipsum*, & ad *proximum*, triplex objectum deprehendit. Hinc triplex Amoris exsurgit facies, quam tribus adverbiis Tit. II. 12. *temperanter*, *juste*, *pie* Apostolus exprimit. Hoc *Amorem Dei*, illud *sui ipsius*, istud *proximi* innuit.

IV. Virtutes has catenæ instar in se cohærere indicatur 2. Petr. I. 5. 6. 7. Quare singularum non solum indoles in se considerata, sed etiam nexus cum reliquis ostendi debet. Et cum in

Con-

Converſione peccatoris ſemper *Vitii* locum *Virtus* occupet, illius conſideratio ad hujus intelligentiam commodam viam ſternet. Cumque *Hypocriſis* per omnes virtutes ſe diffundat *genuinas* a *ſpuriis* diſcriminare conabimur.

V. Primus ergo habitus pravus, quem Converſio ſincera expellit, eſt *Incredulitas*, & primus habitus bonus, qui tanquam omnium reliquarum Virtutum prima Radix debet conſiderari, eſt vera *Fides*.

VI. Incredulitas, Απιστία, eſt *vitioſus voluntatis habitus, quo veritatibus ad gloriam Dei ac ſalutem animæ ſpectantibus renititur, atque illas obſcurare quovis modo contendit.* Species ergo eſt *Erroris*. Sed tamen a communi Errore diſſidet tum *objecto*, quoniam circa veritates ſalutares verſatur, tum *actu*, quoniam talem judicii corruptionem ponit, quæ *odium veritatis* in voluntate involvit, & quovis modo contrarium Errorem propugnare adnititur. Cum autem veritates illæ ſint vel per Rationem vel per Sacram Scripturam revelatæ, hinc naſcitur duplex Incredulitas, altera quæ *Rationi*, altera quæ *Verbo revelato* dicam ſcribit. Utraque tam *theoretice* quam *practice* exercetur.

VII. Craſſiſſima *Incredulitatis* ſpecies eſt Atheismus. *Atheismum theoreticum* nominamus impulſum judicii ad exiſtentiam ipſius Dei, aut dogmatum cum exiſtentia Dei ita intime cohærentium, ut ſine illis nequeat ſubſiſtere, veritatem oppugnandam atque abnegandam. Poſterius in *Sadducæismo* ac *Deismo* ſit ab illis, qui providentiam divinam, eſſentias immateriales, animæ immor-

immortalitatem, judicii universalis metum, & ita porro, rejiciunt.

VIII. Quamvis nihil *stultius* sit hac impietate Ps. XIV. 1. & satis horrendum supplicium sibi ipsi conscisçat *Theomachus* ejusmodi; nihilominus tanta ejus est atrocitas, ut ubi propalatur, in Republica a Magistratu religioso non solum propter honorem, qui Deo exhibendus est, non debeat, sed etiam absque securitatis publicæ proditione non possit tolerari.

IX. *Atheismus practicus* committitur per quæcunque peccata, quibus non solum summum Dei Dominium, sed etiam omnes Virtutes atque Opera divina, quibus illud innititur, abnegantur. Hic *Atheismus* potissimum quidem per testimonium actionum committitur; sed tamen eatenus in ipso judicio sedem habet, quoniam peccator, ut eo liberius concupiscentiis impuris inservire possit, ipsarum Virtutum illarum divinarum, quæ bellum iis indicunt, fulgorem obtenebrare contendit Ps. L. 21.

X. *Incredulitas* contra *Revelationem* est vel eorum, qui extra pomœria Ecclesiæ vivunt, vel eorum, qui inter membra ejus reputari volunt. Qui *foris* sunt, vel *totam* Scripturam simpliciter rejiciunt, vel *partem* ejus, si non *negant*, saltem in sensum pravum *detorquent*.

XI. Prius fit per illos, qui plane ipsum Christianorum nomen respuunt, *Gentiles* 1. Cor. VII. 12. *Judæos* Rom. VII. 3. XI. 20. Hebr. III. 19. *Turcas*, quos per emphasin *Infideles* nuncupamus. Addantur *Naturalismi* crassioris sectatores.

XII. Posterius stricte HÆRESIS dicitur 1.

Cor. XI. 19. Gal. v. 20. 2. Petr. II. 1. per quam intelligimus *obfirmatum judicii circa veritatem fundamentalem errorem.* Quatenus autem illa veritas, circa quam impingitur, vel *theoriam* vel *praxin* ſpectat, eatenus *Hæreſin* vel *theoreticam* vel *practicam* diſtinguere licet.

XIII. Vitium hoc inter graviſſima utique eſt ponendum, unde tractatur in ſacris ut peculiare objectum divinæ iræ. 1. Cor. III. 17. Luc. VI. 39. Abominandum etiam piis eſſe debet Rom. XVI. 17. Gal. I. 7. Phil. III. 2. 2. Joh. Vſ. 10. 11. Quare *indifferentia* circa illud utique vitioſa eſt. Nihilominus *prudentia* ac *moderatio* requiritur

(1) In vitio hoc dignoſcendo, ne ſub prætextu odii contra *Hæreſin* ipſe in *Schisma* aut ſaltem ita dictam *Hæretificationem* incidas.

(2) In diſtinctione inter Hæreſiarchas *ſeductores* & Hæreticos *ſeductos.* Hos quærere, ut corrigas, illos fugere, ne ipſe labem contrahas, paſſim ſecurius eſt.

(3) In *pœna decernenda* nihil indignius eſt Republica Chriſtiana, quam civilibus, quin *capitalibus, ſupplicis* Hæreſin extirpare velle.

XIV. Inter ipſos externos veræ Religionis Confeſſores

(1) *Atrocius* impingitur per IRRISIONEM, qua ſcommata contra veritates Evangelii proferuntur, ſive ut Sapientiæ opinio apud alios captetur, ſive ut quis contra vim veritatis ſe obduret. Unde *irriſiones* ejusmodi frequentiores eſſe ſolent, quando conſcientia per præconium veritatis fortius impulſa & concitata eſt. Talis *irriſio* aſperrimam

rimam *derisionem Dei* provocat Prov. III. 34. Confer Prov. . 22. Gal. v . 7.

(2) *Subtilius* rei sunt *Incredulitatis*, quin licet testimonio Evangelii assentiantur, in falsum tamen sensum illud *detorquent*, carnis præjudiciis ut faveant. Tales ἄπιστοι notantur Tit. I. 15. Hebr. III. 12. . 19. 2. Petr. III. 16.

XV. Vitium hoc revera est *maximum*. Nam

(1) Nascitur ex animo non solum Conversionis experte, sed etiam eam respuente & contra eam pugnante.

(2) Radix est omnium reliquorum vitiorum, quæ *semen Atheismi* supponunt.

(3) Honorem, quem Deo testanti creatura ejus debet, proculcat, eumque *mendacem* facit 1. Joh. v. 10.

(4) *Relate* ad Evangelium & maxima contra Deum in eo gratiam offerentem ingratitudo, & turpissimus propriæ salutis neglectus est.

XVI. *Reliquiæ* Incredulitatis in ipsis *fidelibus* supersunt, atque tam in casibus ordinariis quam extraordinariis deteguntur.

(1) Ad *extraordinarios* referimus illos, qui cum revelatione quadam immediata conjuncti fuerunt, in qua amplexanda tardiores fuerunt sive dubitantes de ejus veritate, ut Thomas Joh. XX. 27. & reliqui discipuli Luc. XXIV. 11. 41. sive de rei, quæ revelabatur, possibilitate, ut Zacharias Luc. I. 18. 20. & Sara Gen. XVIII. 12.

(2) In *ordinariis* casibus fidelium Incredulitatis locum habet.

(a) Quando generatim non audent gratiam & omnisufficientiam Dei & Redemtoris sibi ap-

plicare, quorum imago occurrit Marc. IX. 24. in orante : *Succurre meæ incredulitati.*

(b) Quando hæsitant in quibusdam gravioribus tentationibus circa auxilium divinum, quod ὀλιγοπιστία *Fides parva* audit Matth. VI. 30. VIII. 26. XIV. 31. &c.

(c) Quando non satis a communione cum infidelibus sibi cavent, & aliquando ad aurem perniciosis eorum dogmatibus præbendam nimis faciles sunt, quod dicitur ἑτεροζυγεῖν ἀπίστοις *jugo cum infidelibus jungi* 2. Cor. VI. 14.

XVII. FIDES vera, cujus indolem exprimunt voces, tam Græca Πίστις, designans *persuasionem de veritate*, quam Hebraica אמונה / denotans *fiduciam, quæ in alicujus veritate & fidelitate ponitur* ; est *ille Habitus a Spiritu sancto per verbum Dei in voluntate regeniti productus, quo Testimonium Evangelii de salute peccatoris per obedientiam Filii Dei assensu practico tam efficaciter apprehendit, ut secundum illud UNICE ac TOTALITER servari velit.*

XVIII. *Objectum* adeoque Fidei est

(1) *Testimonium Dei*, in quo solo Fides vera nititur.

(2) Specialius Testimonium illud, quod in *Evangelio* exhibetur Rom. I. 17.

(3) Nec tamen omnes veritates absque discrimine, quas Verbum Evangelii comprehendit, sed speciatim fundamentum istud fundamentorum, centrum illud, scopusque totius Scripturæ, quod *Jesus sit Christus, & quod, qui credit in eum, salvandus sit* Joh. XX. 31. 1. Joh. V. 11.

XIX. Testimonium hoc non est *immediatum*, quo-

quoniam *Fides* a *visione* differt 2. Cor. v. 7. sed *mediatum*, quod dupliciter exhibetur, partim *externe* in Scriptura Sacra, partim *interne* per *illuminationem* Spiritus sancti. Hæc *gradus* suos habet. *Imperfectior* subsistit in convictione de certitudine hujus salutis quoad omnes, qui salvari cupiunt. *Perfectior* per criteria indubitata animam persuadet, quod ipsa hujus salutis compos facta fuerit. Et hæc *graduum illuminationis* distinctio fundamentum est *graduum* in ipso *actu* fidei, in quo notandum, tum quid *supponat*, tum quid *involvat*.

XX. Præsupponi *Cognitionem* mysterii salutis res ipsa loquitur, quoniam impossibile est, Testimonium per Fidem recipere, & tamen ejus argumentum ignorare Rom. x. 17. Joh. iv. 10. Potest tamen Cognitio hæc aliquando admodum modica esse.

XXI. Id quod Fides involvit, est *Actus voluntatis*. Nam *credere* & *velle* alternant Apocal. xxii. 17. Sed est talis Actus, qui *totam* voluntatem occupat, multasque actiones sinu suo amplectitur. Generatim dicitur *Receptio Christi*. Illa autem fit

(1) Per *judicium* voluntatis, quo Testimonium Dei Triunius de Filio, tanquam absolutissimo mundi Redemtore, ut verissimum Deoque decentissimum agnoscit & approbat, Joh. iii. 33. 1. Cor. xv. 1. 1. Joh. v. 9—11. 1. Tim. i. 15.

(2) Per inclinationem ac *determinationem* voluntatis, secundum illud judicium, qua Filium Dei, ut unicum suum Redemtorem propter tale Testimonium & *juxta ejus præscriptum* apprehendit,

dit, seque ei redimendum tradit Joh. 1. 12. v. 43. Col. 11. 6.

XXII. Actus ergo principalis Fidei est *Unio fœderalis* cum Filio Dei, per quam anima convicta de meriti ejus sufficientia, deque necessitate communionis cum eo, ut illius meriti particeps evadat, se ei *desponsat per fidem* Hos. 11. 20. Talis autem desponsatio nequit sincera esse, nisi Christus recipiatur illa lege, qua Sponsa in fœdus conjugale transit; adeoque

(1) UNICE, cum abnegatione sui ipsius & omnium creaturarum ipsum pro solo omnis veræ salutis Authore agnoscendo Ps. LXXIII. 25. 26.

(2) TOTALITER atque indivise, secundum omnes illas relationes, quas Filius Dei in Opere salutis ad peccatorem accepit, ut *perfectam salvationem* præstaret Cant. v. 15. Matth. XI, 28. 29.

XXIII. Ut autem pateat, quam late hic *actus formalis* Fidei se extendat, eapropter quid in eo concurrat, & quo ordine, observandum est, idque eo magis, quoniam Fides vera, æque ac reliquæ virtutis Christianæ, incrementi capax est, uti suo loco videbitur. Unde bene distinguenda, quæ *semper* Fidei insunt; ab illis, quæ in *Fide* magis *confortata* locum habent.

XXIV. Maxime generalis Fidei affectus est sincerum communionis cum Christo & per illum cum Deo DESIDERIUM, quod sub *famis, sitisque* spiritualis nomine proponitur Matth. v. 6. Apoc. XXII. 17. ut vehementia sinceri desiderii eo clarius pateſcat. Desiderium hoc licet

pri-

primum Fidei initium constituat, nunquam tamen per totam vitam cessare debet ; quamdiu aliquis unionis cum Christo gradus supereſt, quem anima nondum obtinuit, Pſ. XLII. 1. 2. Quin toties novam requirit intensionem, quoties unionis cum Christo sensus per varias tentationes obscuratur Pſ. LXIII.

XXV. Ubi est desiderium sincerum; ibi ex eo immediate conatus re desiderata potiundi gignitur. Est ergo in Fide porro *quæsitio Jehovæ* seu *faciei ejus* Pſ. XXIV. 6. XXVII. 8. Prov. VIII. 17. Jeſ. LV. 6. idque *ex toto corde* 2. Chron. XV. 12. Et quando supponitur, quod Deus se in Evangelio detexerit, tum Fides occupata est in *veniendo*, quod alternat cum *credere* Joh. VI. 35. & frequentissime usurpatur. Jeſ. LV. 1. Matth. XI. 28. &c. Phrases hæ sunt generales, & petitæ ex cultu Dei in *Festis* Israëlis, in quibus *se conferre* ad locum Sanctuarii, atque ibi *Faciem Jehovæ quærere* debebant ; unde illæ totum exercitium Fidei per cultum rationalem aliquando involvunt.

XXVI. Specialior est actus *Confugii* Hebræis חסה Pſ. II. 12. XXXVI. 8. XCI. 4. quatenus Fides in *arce* obedientiæ Christi *latibulum* contra hostes & tempestates quærit Pſ. XCI. 2. 9. Jeſ. IV. 6. Prov. XVIII. 10. Quo præcipue faciunt ardentes *Preces*. Confugium hoc quamvis supponat, quod in unione Fidei cum Christo a nostra parte aliquid deficiat, revera tamen unionis illius initium est, & quatenus spe non vana potiundi Christo sustentatur, semina *Fiduciæ* in se continet.

XXVII. Atque inde nascitur ipse ille nobilissimus *Fidei* actus, qui FIDUCIA appellatur, Hebræis בטח vel מבטח, Græcis πεποίθησις, per quam designatur *ille habitus a Spiritu sancto infusus, quo quis ex indubitatis argumentis de sua cum Deo reconciliatione certior redditus conscientia tranquillata fruitur.* Distinguendum hic erit inter *fundamentum* Fiduciæ, ejusdemque *exercitium.*

XXVIII. *Fundamentum* requiritur & *certum* & *clarum.* *Certitudo* semper adest, *claritas* non item.

Certitudo fundamenti æque ac ipsa *salutis certitudo*, quam inter Bona Gratiæ, quæ electis jam in hac vita dispensantur, locum habere alias demonstramus, nititur duplici testimonio, nunquam dirimendo, *extrinseco* & *intrinseco.*

(a) *Extrinsecum* est testimonium Spiritus sancti in *Evangelio*, tum de sufficientia Dei ad salutem præstandam Jes. XL. 28. Eph. III. 21. tum de veracitate ac fidelitate ejus in promissis suis implendis Hebr. VI. 17. 18. quæ utraque conjungit Fiducia Abrahami Rom. IV. 20. 21. Sic omnis Fiducia terminatur in Jehova, Deo fœderato Ps. XXV. 2. XXXII. 10. CXII. 7. Jerem. XVII. 7. Unde ratio patet, cur nomen יהוה in memoriale suum constituerit.

(b) *Intrinsecum* est testimonium Spiritus sancti in *conscientia*, de donata gratis remissione peccatorum & vita æterna per meritum Christi certificantis Rom. VIII. 16. ac certitudinem salutis obsignantis Eph. IV. 30. sive id fiat *tantum mediate* per *fructus Spiritus*, ex quibus Fides cognoscitur

scitur Jac. II. 18. sive etiam simul *immediate* per extraordinarias operationes & charismata 2. Cor. XII. 9.

XXIX. *Claritas* fundamenti, in quo *Fiducia* requiescit, sæpe deficit, etiam ubi fundamentum ipsum adest, in variis tentationibus animam obscurantibus Ps. LXXVII. 8—10. Jes. XL. 27. XLIX. 14. L. 10. Et tamen pro modulo claritatis ipsum Fiduciæ exercitium gradus varios habet.

XXX. *Exercitium* hoc Fiduciæ veræ consistit in illa jucunda conscientiæ operatione, quæ *Actus reflexus* dici solet, quando illa intimo reconciliationis cum Deo per Christum sensu animam perfundit, eique quasi *gustandam bonitatem Jehovæ* exhibet Ps. XXXIV. 9. Cant. II. 3. idque tam in Operis Gratiæ initio, quam in ejus progressu. Hæc experientia tanti boni non potest non *intime* conjuncta esse cum tenerrimis affectibus *admirationis*, *lætitiæ*, & *securitatis*; & illico se exserere per *filialem parrhesiam*.

XXXI. ADMIRATIONEM gignit Bonum *novum*, tam *indigno* exhibitum, & eousque *magnitudine* sua & captum omnem & exspectationem superans. Hæc est rationalis & sanctissima fidelium *Ecstasis*, dum hinc profunda suæ indignitatis agnitione quasi liquefiunt Ps. CXXIV. 3. inde abysso amoris divini absorbentur Ps. XXXI. 20. XXXVI. 8. CXVI. 12. 1. Joh. III. 1.

XXXII. LÆTITIÆ semina, quæ in conversionis initio cap. præced. §. 30. jam observavimus, matureſcunt, quando fiducialis salutis certitudo in conscientia producitur, quæ per emphasin *Lætitia in Spiritu sancto* dicitur Rom. XIV. 17. Sic no-

minatur *ille animi habitus per Spiritum sanctum productus, quo plene de certitudine communionis suæ cum Deo per Christum reconciliato ac spei vitæ æternæ persuasus intime ea propter deliciatur.*

XXXIII. *Objectum* hujus *lætitiæ generale* est conscientia communionis cum Deo. Adeoque terminatur in ipso *Deo*, quoniam Bonum, in quo lætandum est, ipse Deus ejusque gloria est, quatenus in redemtione peccatoris se revelat. Hinc dicitur *Lætitia in Domino* Pf. XXXIII. 1. 21. Jes. LXI. 10. Habac. III. 18. Exclusis enim omnibus creaturis Dei solius veritatem pro fundamento, atque omnisufficientiam ejusdem pro objecto habet.

XXXIV. Accedunt *objecta specialiora*, quæ aut *media* ad Lætitiam in Deo promovendam, aut *pars* ejus sunt.

(1) Omnia *beneficia spiritualia*, quæ aut antea concessa memoria recoluntur, aut in præsentia exhibentur, aut in futurum exspectantur. Sic gaudium renovari debet

(a) Quoad *præteritum* recordatio remissionis peccatorum Pf. LI. 10.

(b) In *præsenti* sensus amoris divini Cant. I. 4.

(c) In *futurum* exspectatio certa adventus Domini & promissæ gloriæ, de qua Cap. sequenti agetur.

(2) Omnia *beneficia corporalia*, quæ adjuvant animam in exercitio communionis cum Deo Act. XIV. 17. Psalm. XXX. 12. Eccles. v. 19. 20.

(3) Omnes *occasiones*, per quas de manifestata Dei gloria in operibus Creationis & Providentiæ divinæ admonemur.

(4) Bene-

(4) Beneficia per Dei gratiam *aliis impensa*, sive toti Ecclesiæ Psalm XIV. 7. CXXXVII. 6. sive singulis fidelibus Rom. XII. 15. 2. Cor. VII. 13. Philem. vs. 7.

XXXV. *Actus* hujus lætitiæ non solum consideratur ut bonum fidelibus promissum Joh. XVI. 22. sed etiam ut officium Ps. XXXII. 10. 11. Phil. III. 1. In illo ita versari debent, ut lætitiæ hujus promoveant.

(1) *Puritatem*, abstinentes a lætitia in re temporali, multoque magis vana & peccaminosa.

(2) *Vehementiam*, quoniam propter Boni præstantiam superare debet quæcunque alia gaudia Ps. IV. 7. 8.

(3) *Constantiam* non excepta ipsa nocte afflictionum Jac. I. 2. Habac. III. 17. 18.

XXXVI. Comes Lætitiæ est SECURITAS seu *Confidentia sancta*, θάρσος, alias quoque expressa per symbola *Quietis & Sabbatismi*, designans heroicum illum *credentium habitum*, quo *communionis suæ cum Deo & veritatis promissionum divinarum constantiæque fœderis ejus certi, omni cura, timore atque alio affectuum anxiorum tumultu expulso, tranquille se totos Regimini divino permittunt.*

XXXVII. *Objectum* seu *fundamentum* talis *Confidentiæ* ferme coincidit cum objecto Lætitiæ. Ad *actus* ipsius descriptionem illustrandam pertinet locus Hebr. XI. 1. ubi Fides consideratur ut ὑπόστασις *eorum, quæ sperantur*, & ἔλεγχος *eorum, quæ non videntur.* Ad hunc gradum obtinendum fideles frequenter animantur, quando jubentur *confidere* Matth. IX. 22. Joh. X. v. 33. & *non timere* Gen. XV. 1. Jes. XXXV. 4. Luc. II. 10. Unde simul

simul liquet maxime hanc virtutem in adversis exerceri Job. XIX. 25.

XXXVIII. Quo magis affectus hi sunt excitati, eo magis promovetur PARRHESIA, quam Apostolus inter proximos Fidei fructus refert Ephes. III. 12. quæque involvit illam *Fidei actualitatem, qua quis plene persuasus de sua cum Deo in Christo reconciliatione suæque Fidei sinceritate, ita quod inde accepit, ad demonstrandam persuasionis suæ certitudinem coram Deo & hominibus exercet.*

XXXIX. *Fundamentum* Parrhesiæ *remotius* est persuasio de sua cum Deo reconciliatione; *proximius* autem persuasio de suæ Fidei sinceritate, quæ *obscurior* sæpe per novas imbecillitates & lapsus evadit, *clarior* autem redditur per conscientiam *Fidelitatis* in negotio suscepto exercitæ, & *bonæ caussæ*, ad quam fideles aliquando provocandi jus habent Ps. XVII. 1. 2.

XL. Exercetur autem hæc Parrhesia a Sacerdotio mystico potissimum *coram Deo* 1. Joh. V. 14.

(1) Per pias *Meditationes*, per quas fideles *sibi benedicunt* Jes. XLV. 25. agnoscentes magnitudinem prærogativæ, quam in communione cum Deo exercent.

(2) Per *Preces* Hebr. IV. 16. X. 22. *restipulationem bonæ conscientiæ* exercentes 1. Petr. III. 21. quæ ab una parte promissis divinis & merito Christi Psalm XXVII. 8. ab altera parte testimonio sinceritatis Job. XXIII. 10--12. nititur.

(3) Per usum *Sigillorum* Fœderis gratiæ, tanquam *pignorum* veracitatis Dei.

XLI. Eadem *coram hominibus* declaratur.

(1) Di-

(1) Dictis, quibus & libera confessio veritatis 1. Petr. III. 15. exhibetur absque pudore, & insimul certitudo animi de favore Dei atque confidentia in justitia caussæ significatur, quæ est *gloriatio in Domino* Jerem. IX. 23. XVII. 14. 1. Cor. I. 31.

(2) Factis, quando contemto mundi opprobrio caussa Dei mascule defenditur, ad *Parrhesiam in die judicii* conservandam 1. Joh. IV. 17. 2. Cor. V. 9—11.

XLII. Maximum Fidei *momentum* primo ex relatione liquet, quam ad reliquas virtutes habet.

(1) Relate ad *Conversionem* ejus primus effectus intime cum illa unitus est. Qui enim in Filium credit, ille actu a creatura ad Deum se convertit, quia non alio fine in eum credit, quam ut ex vinculis peccatorum liberatus in communionem cum Deo restituatur. Hinc unum sœpe alterum involvit.

(2) Relate ad omnes sequentes virtutes consideratur ut *Radix* earum Col. II. 7. Matth. XIII. 6. 21. Jud. vs. 12. Nam

(a) In ordine temporis antecedit, quoniam est *primus actus*, in quo *Conversio* se exserit, & qui per Verbum tanquam *semen Regenerationis* producitur.

(b) Per Fidem regenitus proxime cum Christo est unitus, eique tanquam unicæ caussæ vitæ spiritualis inhæret Ps. XXVII. 1. Joh. XV. 4. 5. quo pacto illa *medium* evadit ad illud robur acquirendum & conservandum, per quod Bona Opera efficiuntur.

(c) Reli-

(c) Reliquæ omnes Virtutes & Bonæ actiones ex Fide originem trahunt Hebr. XI. 6. 1. Tim. I. 5. Rom. XIV. 23. Nam

(α) Fides illas *in sinu* suo continet & ex se gignit 2. Petr. II. 5. Jac. II. 14. id quod per nexum, quem singulæ cum Fide habent, uberius demonstrabitur.

(β) Fides *calcar* est, per quod studium Bonorum operum intenditur, quoniam argumenta maxime stringentia ex doctrina Evangelii sub oculos ponit.

(γ) Fides veram operibus omnibus *formam* dat. Nam ubi illa est, ibi Virtutes Cardinales itidem adsunt: quoniam desiderium salutis veræ animam ad *legitimum scopum* convertit; & apprehensio meriti Christi est *inflexio* unicæ illius *vitæ*, quæ ad hanc scopum ducit: unde fides *cor purificare* dicitur Act. XV. 9.

XLIII. Sed & summam Fidei in se spectatæ *necessitatem* Scriptura inculcat Marc. XVI. 16. 17. Joh. III. 36. Hebr. X. 38. XI. 6. Quin eam considerat ut *unicum medium* ad justificationem, exclusis omnibus Operibus, & ut *unicam conditionem* in Fœdere Gratiæ, quamvis non sine efficaci Spiritus S. operatione, præstandam. Argumenta specialiora præter summam *fœditatem* & *periculum* incredulitatis §. 15. ostensa desumuntur

(1) Ex *natura Dei*, unde liquet, quod Lex Fidei sit Lex sanctissima, quoniam per sanctitatem suam communionem se decentem cum peccatore non potest exercere, nisi intercedente Mediatore, quocum Fides unit.

(2) Ex *natura nostra:*

(a) Quo-

(a) Quoniam omnia alia media ad justitiam & vitam, quæ caro suppeditat, non sufficiunt Mich. VI. 8.

(b) Quoniam hoc medium sufficiens esse ex illis apparet, quæ modo sunt allata, ut Fidem esse Virtutem primam radicalem probetur.

(c) Quoniam cum natura nostra convenit. Nihil enim est *æquius*, quam Deo honorem omnisufficientiæ in Christo ad nostram salutem demonstratæ dare. Nihil est *jucundius*, quam cum Authore omnis salutis se unire. Nihil magis ad *impotentiam* peccatoris accommodatum est, quam omne proprium opus abnegare, alienam justitiam apprehendere, alteri se tradere, ut, quæ ipsi non possumus, in nobis præstet.

XLIV. Fas quoque est, ut, qui habet prima Fidei initia, ad *fiducialem* Fidei *perfectionem* eniti quærat. Nam

(1) Ad *gloriam Dei* pertinet, ut magnitudo illius Boni, quod Fidei objectum est, & cujus possidendi plenum jus a primo Fidei momento adest, rite agnoscatur.

(2) *Fundamentum* Fiduciæ, Lætitiæ, Parrhesiæ a primo Fidei initio jam actu adest.

(3) A Fidei minore aut majore gradu dependet totius Novi Hominis omnisque actuositatis bonæ aut languor aut sanitas.

XLV. Quo clarius autem Beneplacitum Dei de salute per Christum in N. T. & executioni datum & in Evangelio revelatum est, eo magis *Fides confortata* requiritur. Veracitatis Dei illustrior demonstratio *Fiduciam*, Magnalium ejus annunciatio *Admirationem*, Operis redemtionis

tionis consummatio *Tranquillitatem*, Bonorum N. T. uberrima mensura *Lætitiam*, blandior per Evangelium post velum carnis Christi ruptum ad communionem cum Deo invitatio *Parrhesiam* Sacerdotalem intendit. Hinc πληροφορία Fidei inter attributa fidelium N. T. principem locum occupat Col. II. 2. Hebr. VI. II. X. 22. & effectus Fiduciæ, quos recensuimus, alias ut singularia Novi Testamenti officia considerantur. Confer prophetias Ps. LXXXIX. 16. XCV. 1, 2. c. 2. Jes. XXXV. 3. 4.

XLVI. Momentum maximum Fidei diligens requirit *scrutinium* 2. Cor. XIII. 5. quo pertinet, ut Fides *genuina* per certa *criteria* secernatur a *spuria*, quæ ut Fides *hypocrita* 1. Tim. I. 5. & *mortua* Jac. II. 17. describitur, & rejicitur.

XLVII. Illa in primordiis Christianismi sub se comprehendebat *Fidem miraculorum* 1. Cor. XIII. 2. quæ exemplum erat, quousque illusio in materia de Fide progredi queat. Communis autem omnibus temporibus est *Fides imaginaria*, seu mavis *Credulitas*, quam iterum distinguere licet in *extraordinariam* & *ordinariam*. Ad credulitatem *extraordinariam* referre licet *Enthusiasmum*, qui prope accedit ad *Fidem miraculorum*, quia itidem operationibus immediatis nititur, sive illæ sint fictæ, & mere hypocriticæ, sive phantasiæ corruptæ abortus.

XLVIII. *Credulitas ordinaria* iterum diversos gradus habet, prout aut *nullo* plane fundamento, aut *imperfecto* atque fallaci nititur. *Nullum* plane fundamentum habet Fides veritatis salutaris cognitione destituta, qualis non solum est *carbonaria*, quæ dicitur, Pontificiorum, sed etiam

etiam omnium, qui in principiis veræ religionis non sunt instituti, & tamen propter nomen quod gerunt se inter credentes adscribunt.

XLIX. *Fallax* fundamentum præbet *Fides historica* eorum, qui in cognitione veritatis eatenus sunt instituti, ut *assensum theoreticum* ei præbeant, qui tamen ipse admodum mancus est, quoniam passim in generalibus tantum veritatibus subsistit, & non curat, ut verum omnium veritatum in Evangelio ad salutem revelatarum nexum veluti fas erat, perpendat.

L. Hæc Fides diversos plane effectus habet, prout cognitionis diversa mensura in ea occurrit.

(1) Ubi plenior adest veritatum salutarium intellectus, ibi conscientiæ *terrores* varii incutiuntur, exemplo *Diabolorum* Jac. II. 19.

(2) Ubi nexus veritatum magis confunditur aut detorquetur, illic *stolida Fiducia* nascitur, quia illi se misere decipiunt, qui præconium Evangelii percipientes, absque ullo sinceritatis Fidei suæ examine, sibi persuadent, Christum pro se esse mortuum, atque huic pulvillo secure indormiunt.

LI. Utrumque Fidei genus potest *Fides temporaria* appellari. Quamvis enim externa specie ac sigillatim prætensæ Fiduciæ firmitate Fidem genuinam sæpe exsuperet, perdurare tamen nequit; quoniam quicquid aut *nullo* aut *ruinoso* fundamento nititur, stabile non est. Hoc probatur per immissas tentationes, quæ *Fidem radicem non habentem* detegunt Matth. XIII. 21. & veram splendidiorem reddunt 1. Petr. I. 7. Et plene omnem falsam gloriationem adventus Do-

mini in ultimo judicio deteget Luc. XIII. 25. 26. Matth. XXV. 44. 45.

LII. Sunt tamen *criteria*, ex quibus aliquis in seipso Fidei suæ certitudinem potest adipisci.

(1) Ex natnra *formalis actus* Fidei sequitur:

(a) Quod sincera Fides illa tantum sit, quæ Christum *solum* amplectitur, quod locum non habet, nisi nobis ipsis & omnibus creaturis renunciemus.

(b) Quod vera Fides Christum *totum* apprehendat, adeoque non solum ut Sacerdotem, sed etiam ut Prophetam & Regem summum.

(2) Ex natura *initii*, unde Fides se exserere incipit, fluit, quod desiderium unionis cum Christo fortius esse debeat, quam ullius rei in toto mundo.

(3) Ex natura immediatorum Fidei *fructuum* conficimus, quod non sit genuina Fides, nisi quæ per amorem est efficax.

CAPUT QUARTUM.

De Conversione a servili Timore ad Spem certam promissionum Dei.

ARGUMENTUM.

Post transitionem, *quæ nexum indicat* §. 1. *de-scribitur*

I. TI-

I. TIMOT SERVILIS 2---10.
A. *Quoad* irregenitos 2---9.
1. Definitio *ejus* 2---8.
a. *Proponitur* 2.
b. *Deducitur* 3---8.
α. Objectum *ejus exhibetur* 3. 4.
β. Actus *secundum diversos gradus distinguitur* 5---8.
א. Levior 5.
ב. Gravior 6---8.
a. *In se consideratus* 6.
b. *In effectis suis* 7. 8.
2. Gravitas *ejus exaggeratur* 9.
B. *Quoad* regenitos 10.
II. SPES VIVA 11---22.
A. *In se considerata* 11---20. *Ejus docetur*
1. *Indoles vera* 11---16.
a. *Per* definitionem 11.
b. *Per ejus* deductionem 12---16. *in qua occurrit*
α. Objectum *Spei* 12.
β. Actus *ipse* 13---16. *ejusque*
א. Fundamentum 13. 14.
ב. Modus 15. 16. *comprehendens ejus*
a. Formam 15.
b. Gradus 16.
2. Momentum *hujus Virtutis demonstratur* 17---20.
a. *Relate ad alias virtutes* 17. 18.
b. *In se ejus considerando decentiam* 19. 20.
B. *Collata cum* Spe spuria 21. 22. *qua*
1. Definitur 21.
2. Criteria *addantur* 22.

I.

Cum ex dictis pateat, quomodo Fides totam *Voluntatem* occupet, manifestum inde evadit, quod aliam formam singulis ejus operationibus inducat, adeoque tum *Judicium*, & præcipue *Conscientiam*, quæ in eo testatur, tum *Propensionem* ejus innovet. Quoad conscientiam opus Conversionis per Fidem promovetur, quando loco *Timoris servilis*, qui a natura eam occupavit, *Spem vivam* producit, quæ oppositum plane omnium reliquarum actionum fundamentum ponit. Timor alias *Conscientia mala*, Spes *Conscientia bona* dici solet, quoniam ex his caussis proxime diversi hi animi motus derivantur.

II. Metum servilem nominamus, ad eum distinguendum a *timore filiali*, de quo infra agetur, *perversum illum animi habitum, qui Deum ut Hostem & Judicem considerat, a quo nihil aliud quam vindictam exspectat, quam aut effugere, aut falsis mediis avertere contendit.*

III. *Objectum* Metus hujus adeoque est Deus, consideratus *ut Hostis*, qui per peccatum læsus est, & ut *Judex* severus, qui ad pœnam infligendam paratus est; idque tum in *judicio extremo*, Job. xxiv. 17. Ps. lxxiii. 19 tum in variis *judiciis specialioribus*, quæ sæpe immittit. viii. 12. In his autem non tam *immediate* Dei timetur ira, quam *mediate*. Nam

(1) *Creaturæ* & speciatim *homines timentur*, quorum ministerio Deus ad judicia sua immittenda utitur, Jes. li. 12. 13. Matth. x. 28. 1. Petr. iii. 14.

(2) In-

(2) Insolita prodigia & somnia exemplo Belsazaris Dan. v. 6. Job. IV. 14. 15.

(3) Quin sæpe *umbra* tantum & *strepitus foliorum* Lev. XXVI. 36. quoniam, qui Deum adversum habet, nihil alicunde boni exspectare potest.

IV. Objectum hoc non semper æque clare menti obversatur. Sunt enim, qui sopore *securitatis* obruti periculum, in quo versantur, non animadvertunt, uti visum est Lib. I. cap. 3. §. 18. Nihilominus *fundamentum* hujus *timoris* in illis ipsis non solum adest, & quoties vel leviter tantum expergiscuntur, detegitur, sed etiam conscientia ipsa tales impellit, ut omne sui ipsius examen evitent, quia non dubitant, si istud suscepturi essent, quod inquietudinem sibi inde essent caussaturi.

V. Ubi autem objectum hoc clarius innotescit, ibi diversi *Metus* hujus gradus observari possunt. *Levior* timor illos occupat, qui in salutis suæ *incertitudine* versantur, neque tamen tanto implentur terrore, quantum periculi magnitudo requirit, quamdiu vana Spes aut vitæ longioris aut Conversionis futuræ Timorem temperat.

VI. *Vehementius* autem *timor servilis* se prodit & cum *anxietate* est conjunctus, quando conscientia per imminens judicium Dei aut *temporale* aut *æternum* fortius excitata periculum impendens efficacius ob oculos ponit Jes. XXXIII. 14. Prov. 1. 27. Certo respectu hic *Timor* non est rejiciendus. Nam per se est æquissimum, ut ira Dei timeatur Nah. 1. 6. Et *terror Domini* est medium a

Conversionem 2. Cor. v. 10. Diversis effectis hæc anxietas mentis proditur.

VII. Sunt, qui *effugere iram Dei* tentant, instar Protoplastorum Gen. III. 8. idque diversimode

(1) Quoad *judicia temporalia* per confugium ad brachium carnis Apoc. VI. 15. 16.

(2) Quoad *judicium æternum* aut per vana carnis *effugia*, quibus induratio adaugetur, uti visum est Cap. I. §. 16. sq. aut per *desperationem*, uti Kainus, Judas, ipseque Diabolus Jac. II. 19.

VIII. Alii falsis mediis placare iram Dei adnituntur, aut per meram *pœnitentiam externam* instar Achabi & regis Ninivitarum, aut per *Superstitionem*, cujus vera mater hic Timor est. Nam *primus in orbe Deos fecit Timor.*

IX. Quanta sit hujus vitii *gravitas*, liquet

(1) Quia effectus & certum *criterium* est *Incredulitatis.* Cum enim Fides Deum consideret, veluti in Christo propitius peccatori esse vult, hanc veritatem abnegat, qui Deum simpliciter ut *Judicem severum* sibi proponit.

(2) Quia *radix* est cæterorum vitiorum, dum *expellit amorem* 1. Joh. IV. 8.

(3) Quia nihil aliud est, quam perversa *philautia*, quæ illas catenas mordet. quibus a plena concupiscentiæ pravæ exsatiatione impeditur, neque veram cum Deo pacem sed liberationem tantum a molesta pœna pro scopo habet.

X. Ex ipsis fidelibus non semper expulsus est, qui ab eo revocantur Gen. XV. 1. Jes. VIII. 12. XLIII. 1. Joh. XIV. 1. Reliquiæ enim *incredulitatis*, quas Cap. præcedenti §. 16. descripsimus, efficiunt

ciunt in ipsis reliquias *Timoris servilis*, quamvis omnium minime convenientes cum Oeconomia N. T. in qua cum *timore mortis Spiritus timoris* est ablatus Hebr. II. 14. Luc. I. 74. Rom. VIII. 15. 2. Tim. I. 7. Subolitur autem facile hic Timor

(1) Quando de Fidei suæ sinceritate dubitant.

(2) Quando in tentationibus & afflictionibus hujus vitæ nimis animum despondent, exemplo Jobi IX. 34. XIII. 21. XXX. 15.

(3) Quando Adventum Domini formidant 2. Thess. II. 2.

(4) Quando ad insolitos quosdam eventus & prodigia nimium perhorrescunt, sive veros, quemadmodum Daniel cap. VIII. 17. Petrus Luc. V. 8. 9. & Joannes Apoc. I. 17. sive imaginarios, veluti discipuli *spectrum se videre* putantes Matth. XIV. 26. Luc. XXIV. 37.

XI. SPES, quam inter principales Virtutes Scriptura recenset, Græcis ἐλπὶς, προσδοκία, Hebræis תקוה *exspectatio* dicitur. LXX. eam aliquando ponunt pro בטח vel מבטח *fiducia* & pro מחסה *refugium*, quoniam his Fidei actibus intime innexa est. Denotat autem hic non nudum affectum transeuntem, qualem Boni cujuscunque, quod exspectatur, consideratio producit, sed per emphasin *illum animæ habitum per Spiritum sanctum in credentibus productum, quo de summa beatitudine ab ipsis in communione cum Deo possidenda per promissiones divinas certiores facti, in ejus exspectatione rite versantur.*

XII. *Objectum* Spei sanctæ est bonum futurum.

Nam spes si cernatur, non est spes: quod enim quis cernit, cur speret? Rom. v 11. 24.

(1) In hac vita fideles sperare possunt:

(a) In genere augmentum & conservationem Bonorum Gratiæ, quæ ipsis concessa sunt.

(b) In specie aut sibi ipsis redemtionem ex præsenti afflictionis statu, aut Ecclesiæ glorioſum statum post hostes devictos Mich v11. 2. Jes. xxv. 9. xxvi. 8.

(2) Potissimum Spes tendit in Bonum futuræ vitæ 1. Cor. xv. 19. & sigillatim in resurrectionem mortuorum Act. xxiii. 6. xxxiv. 15. in adventum Christi Tit. ii. 13. 1. Petr. i. 3. in vitam æternam Tit. i. 1. iii. 7.

XIII. Actus *spei* cum consistat in exspectatione & quidem *certa* Hebr. vi. 11. quæ *non pudefacit* Rom. v. 5. ante omnia *fundamentum* ejus meretur considerari, quod Deus esse debet. Hinc Spes hæc describitur ut *exspectatio Jehovæ* Ps. xxvii. 14. xxxix. 8. xlii. 12. xliii. 5. lxxviii. 7. Et *Jehova* dicitur *exspectatio suorum* Psal. lxxi. 5. cxlvi. 5. Jerem. xvii. 13.

XIV. Dupliciter autem in Deo est fundamentum Spei:

(1) Quoniam Bonum promissum *potest* dare per suam omnisufficientiam, & per vim *meriti Christi*, quod facit, ut etiam decenti modo id dare possit. Unde Christus *Spes illa gloriæ* dicitur Col. i. 27.

(2) Quoniam id *vult* dare propter Testamentum pacis, cujus tenor tam per *testimonium extrinsecum*, quam *intrinsecum* innotescit.

(a) *Extrinsecum* extat in verbo Evangelii Psal. cxix.

CXIX. 114. 116. Col. I. 23. Rom. XV. 4. & sigillatim in luculentissimis promissionibus, quibus carentes Gentiles *spem non habebant* Ephes. II. 12.

(b) *Intrinsecum* est Spiritus sancti in cordibus credentium testantis, quod ad Boni hujus hæreditatem vocati sint Ephes. I. 17. 18. IV. 4. Et huic *duplici* fundamento innixam *Spem* Apostolus considerat *ut anchoram tutam ac firmam, ingredientem intra velum.* Hebr. VI. 19.

XV. *Exspectatio* autem, quæ formalem Spei actum constituit, involvit:

(1) Plenam animi de Boni, propter cujus absentiam fideles statum suum ut imperfectum considerant, *certitudinem* Rom. IV. 18. 20.

(2) *Lætitiam* inde prognatam, quam non solum *præsens*, sed etiam *futurum Bonum* producere potest pro *magnitudinis* ac *certitudinis* suæ mensura. Prov. X. 28. Joh. VIII. 56. Rom. XII. 21. Sic lætitia piis *seritur* Ps. XCVII. 11.

(3) *Desiderium*, quod magnitudo Boni futuri cum præsenti miseria collati efficit 2. Cor. V. 1. 2.

(4) *Patientiam* in voluntate Dei, quæ Bonum nondum actu sistit, sed in futurum reponit & ad ejus possessionem per afflictiones præparat, acquiescentem Rom. XV. 4. 1. Thessal. I. 3. Jes. XXVIII. 16. Patientia hæc cum desiderio intime conjuncta illud temperat Rom. VIII. 23 -- 25. 2. Petr. III. 12. Quo facit elegantissimum emblema *agricolæ exspectantis pretiosum fructum terræ* Jac. V. 7.

XVI. Cœterum *gradus* in Spe, æque ac in Fide

distingui possunt. Cum enim *testimonio divino* itidem innitatur, prout illud minus magisque innotescit, ipsa etiam Spes minor majorve est. Fundamentum quidem Spei in omnibus credentibus adest, sed non æque clare animadvertitur.

(1) *Obscurior* adeoque est

(a) In illis, qui hactenus nonnisi testimonio *extrinseco* nituntur, quoniam intrinsecos Spiritus sancti effectus nondum pro talibus agnoscunt.

(b) In illis, qui *dubitationum* novarum fluctibus sub tentationum tempestatibus jactantur.

(2) *Clarius* Spei apparet fortitudo in illis, qui totum testimonium Dei tam in verbo quam in cordibus suis percipiunt. Præcipuum hujus Spei robur apparet in afflictionibus exemplo Abrahami Rom. IV. 11. & Jobi Cap. XIII. 15.

XVII. Singulare catenæ Virtutum Christianarum robur hæc Spes conciliat. Nam

(1) *Effectus* est tum veræ Conversionis, seu Regenerationis in genere 1. Petr. I. 1. tum in specie *Fidei* Tit. 1. 1. Rom. XV. 13. 2. Thess. II. 16. unde inter *criteria* status Gratiæ insignem usum habet.

(a) Eadem est *radix* omnium virtutum sequentium.

(a) Bonum enim, quod exspectat, est summus veræ sanctitatis gradus. Hinc *hæreditas incontaminata* 1. Petr. 1. 4.

(b) Quare etiam ut fidelis ejus compos, atque ad ejus possessionem idoneus reddatur, ad sanctificationem promovendam illum impellit. *Quisquis*

quis hanc spem habet in Deo, illo seipsum purificat, sicut & ille purus est 1. Joh III. 3. Quam in rem eundem excitat, ut oculos mentis in præmii seu brabei propositi splendorem defigat, cujus magnitudo non potest non currenti calcar addere Rom. VIII. 18. Hebr. XI. 26.

XVIII. Ordo hic inter *Spem* & cœtera *officia* differt ab ordine, qui in Fœdere Operum obtinuit. Cum enim in eo exspectatio vitæ æternæ a conditione sancti Legis implementi suspensa esset, *Spes Amorem* sequebatur. Hic autem illum antecedit, quia peccator, ut eo clarius agnoscat, quod nihil per vitam sanctam promereatur, non tam ut sperare queat, *amare*, quam ut amare queat, *sperare* jubetur. Eatenus tamen *Spes* reciproce per *Amorem* juvatur, quoniam ex Amoris Incremento de Spei soliditate experimentum capitur.

XIX. Exercitium hujus Virtutis corrumpunt *Pseudo-Mystici*, qui omnem præmii exspectationem rejiciunt. Sed in Scriptura exerte mandatur 1. Tim. VI. 17. Et decentia ejus facile probari potest.

(1) A parte Dei, ipse sapienter Legem suam præmii promissione sanxit, non ut vitioso hominis affectui palpum obtruderet, sed ut habitum sanctum in eo produceret.

(2) Ipse tali Spe *honoratur*; *tum* quia omnisufficientia, veracitas, aliæque Virtutes divinæ per illam agnoscuntur; *tum* quia Bonum, quod speratur, est ipsa Dei glorificatio. Est *spes gloriæ Dei* Rom. V. 2.

(3) Huic Spei a nostra parte desiderium summi

mi Boni, quod voluntatem hominis a natura occupavit, analogum est.

(4) In illa singularis dignitas Christianorum versatur, quo facit emblema *galeæ* Eph. VI. 17. coll. 1. Thess. V. 8.

(5) Accedunt exempla, tum ipsius *Servatoris* Hebr. XII. 2. tum aliorum Sanctorum, qui etiamsi prope ad metam in stadio sanctitatis perlati, hac Spe fulciebantur. Sic Abrahamus Hebr. XI. 10. Sic Paulus 2. Cor. IV. 17. 18. 1. Tim. IV. 10.

XX. Obligatio ad hanc Virtutem non parum intenditur in Novo Testamento.

(1) *Objectum* Spei longius remotum erat, quoniam Servator primo in carnem venire debebat. Hinc fideles V. T. describuntur ut προσλπικότες Ephes. I. 2. *exspectantes Præconem cunctantem* Habac. II. 3. & *Regnum Dei* per illum erigendum Luc. XXIII. 51. XXIV. 51.

(2) *Fundamentum* spei erat *obscurius*, quoniam promissiones vitæ æternæ erant *pauciores*, sub externorum bonorum Canaanis involucro latentes ac sæpe per timorem mortis interruptæ. Hinc considerantur ut *victi Spe* Zach. IX. 12. cum fideles N. T. per meliorem spem ad Deum accedant Hebr VII. 19. 2. Cor. III. 12.

XXI. Sed datur etiam *Spes spuria*, quæ dicitur *Exspectatio impiorum* Job. VIII. 13 Prov. X. 28. collata eleganter *herbæ paluſtri* Job. VIII. 11. 12. 13. & *domui aranearum* Ibid. vs. 14. cui opposita est *Spes viva* 1. Petr. I. 3. *bona* 2. Thess. II. 19. & *certa* Phil 1. 20. Spes hæc *spuria gradus* diversos habet.

(1) Quidam Spem fovent *obscuriorem*, nempe qui

qui agnoscunt, quod solidæ Spei fundamento hactenus careant, neque tamen diffidunt, se illo aliquando potituros esse. De his actum est Cap. 1. §. 21 ---25.

(2) Altiores radices egit Spes illorum, qui inter vere conversos & credentes se collocant Ibid. §. 28. sq. Unde officium suum esse putant, ut optima quæque sperent, atque illis succensent, qui fabulosum ejus fundamentum ostendunt.

XXII. Conferenda ergo accurate *Spei solidæ Criteria*: quæ inter pertinet.

(1) Quod *præsupponat sinceram Conversionem & Fidem veram* quæ sunt *origo* hujus Spei & quarum Criteria Cap. I. §. 9. & Cap. III. §. 52. hic redeunt.

(2) Quod *objectum* purum requirat, *non in auro* Job. XXXI. 24. nec in *divitiis incertis*, aut brachio carnis, aliisque prærogativis externis, sed solo *Deo vivo* 1. Tim. VI. 17.

(3) Quod *fundamentum* solidum adesse debeat, nempe testimonium Spiritus sancti, qui per operationes suas internas est *arrhabo hæreditatis nostræ* Eph. I. 14.

(4) Quod *effectu* debeat probari, qui est tum generatim sanctificationis promotio, tum speciatim contemtus omnium rerum præsentium & caducarum esse debet. Qui enim tantam spem in futura æternitate, in cujus limine versatur, repositam habet, ille *non ad visibilia*, sed *ad invisibilia respiciet* 2. Cor. IV. 18. & nec malis præsentibus valde turbabitur, nec bonis hujus vitæ multum afficietur.

CAPUT

CAPVT QVINTVM.

De Conversione ab Amore illegitimo, *qui reapsa impurum* Odium *est ad* Amorem legitimum Dei, Nostri ipsius & Proximi, *in quo vera* Sanctitas *consistit.*

SUMMARIUM.

Post Indicatum Capitis hujus cum præcedenti nexum §. 1. agitur

I. *De* Odio perverso 2---12 *Illius ostenditur*

A. *Natura* 2---11.

1. *Per definitionem* 2.

2. *Per ejus deductionem* 3 --- 11. *quæ enarrat*

a. Objectum *hujus* odii 3. 4.

b. Actum *ejus* 5---11. *qui consideratur*

α. *In se* 5. 6.

β. *Relate ad diversa objecta* 7 --- 11.

א. *In abstracto* 7.

ב. *In concreto* 8---11. *quo pertinet*

a. Odium Dei 9.

b. Odium Sui ipsius 10.

c. Odi-

c. Odium Proximi 11.

B. *Iniquitas* 12.

II. De AMORE RATIONALI 13 --- 52. *cujus itidem docetur*

A. *Natura* 13 --- 46.

1. *Per definitionem* 13.

2. *Per ejus deductionem* 14 --- 46. *quæ ostendit*

a. Objectum *hujus amoris* 14 --- 20. *spectatum*

α. *In abstracto* 14.

β. *In concreto* 15 --- 20.

b. Actum *ejus* 21 --- 46. *qui consideratur*

α. *In se* 21 --- 25.

א. *Per descriptionem* 21.

ב. *Per illustrationem ejus*, quatenus consistit in SANCTITATE 22 --- 25. *Hujus*

a. *Definitio datur* 22. 23.

b. *Deductio definitionis additur* 24. 25.

β. *Relate* ad diversa objecta 26 --- 46. *Illa conferuntur*

א. *In abstracto* 26.

ב. *In concreto* 27 --- 46. Hic

a. *Singula objecta percensentur* 27. --- 45. *Unde resultat*

α. AMOR DEI 27 --- 37. *Illius*

† *Definitio proponitur* 27.

†† *Latius deducitur* 28 --- 36. *in hac deductione*

* UNIO

* UNIO ut formalis actus *consideratur* 28 --- 30.
** Actus specialiores, *quos ille involvit, adduntur* 31--36.
» Communes 31 - - 33.
»» *Secundum* gradus *distincti* 34 — 36.
††† Criteria *adduntur* 37.
b. AMOR SUI IPSIUS 38 -- 40. *cujus datur*
† *Definitio* 38.
†† *Deductio* 39.
††† *Per* criteria *distinctio* 40.
c. AMOR PROXIMI 41 --- 44. *cujus*
* *Definitio datur* 41.
** *Deductio* 42. 43.
*** *Limitatio* 44.
d. AMOR ALIARUM CREATURARUM 45.
b. Nexus eorum ostenditur 46.
B. *Momentum* 47 --- 52.
1. *Relate ad totam virtutum catenam* 47.
2. *In se* 48 --- 52. *sive consideretur*
a. *Actus amoris in abstracto* 48.
b. *Sive secundum singula objecta* 49 -- 52.

I.

Posteaquam *Conscientiæ* novam *Lucem* vera Conversio mediante *Fide* intulit, quando illam ex *mala bonam* reddidit, ad intimum porro animæ fundum quasi penetrat, atque ipsam Voluntatis

tatis propensionem sanat, dum *odio*, quo laborat, tanquam *igne infernali*, extincto, *Ignem* cœlestem atque purum recti *Amoris* ei infert.

II. Quamvis Lib. I. cap. 8. §. 9. sq. heterogeneo quodam Amoris genere, *Philautia* nempe, quam inter Vitia Cardinalia adnumeramus, *Voluntatem* peccatoris a natura occupatam esse supponamus; nihilominus, quoniam ita se amando, sui ipsius infensissimus reapse hostis est, formam Voluntatis, qua illa ante Conversionem est deturpata, ODIUM, sive ἐχθρὰν *inimicitiam* Eph. II. 14. Col. I. 21. esse censemus. Cum autem *Odium* etiam *legitimum* dari §. 46. moneamus, hic *odium impurum* intelligimus, quod denotat illum *voluntatis in peccatore habitum, quo ab omni vero bono abhorrens, unice in id, quod malum est, tendit.*

III. Objectum *Odii irrationalis* in *abstracto* consideratum est, quicquid sub nomine *veri Boni* proposuimus, tam *Summi* Lib. I. cap. 7. §. 6. sq. quam *subordinati* §. 20. sq. Hinc peccator est *osor boni* Amos. III. 2. & *lucis* Joh. III. 20.

(1) Odit *Bonum summum*, quia veræ atque æternæ beatitudinis curam abjecit. Licet enim aliqua ratione eam videatur, diligere, falso tamen ejus conceptu laborat, & Bonis nauci eam postponit, quod reapse est *odisse*.

(2) Odit etiam *media*, quæ *subordinati Boni* rationem habent, quoniam est *osor disciplinæ* Pf. L. 17. *scientiæ* & *eruditionis* Prov. I. 22. 29. V. 12. adeoque illius Legis, quæ unicam viam ad Bonum, ac veram mediorum ad summam felicitatem ducentium catenam exhibet Joh. VI. 60.

Et quamvis *Bona* saltem *temporalia* in pretio apud eum videantur esse, illa ipsa tamen *odit*, quia pessimo abusu corrumpit.

IV. Eousque Odium hoc exarsit, ut in *concreto* quoque contra illa *subjecta* feratur, quæ Boni hujus proximæ caussæ sunt, unde triplex *odium* capitale, *Dei*, *Sui ipsius*, & *Proximi*, nascitur.

(1) *Odium Dei* Scriptura peccatori tribuit Exod. xx. 5. Num. 10. 35. Deut. xxxii. 41. Ps. lxviii. 2. Ps. cxxxix. 21. Rom. viii. 7.

(2) Ut *osorem Sui ipsius* considerat, dum *læsionem animæ suæ* ei imputat Prov. viii. 36.

(3) *Odium Proximi* objicitur Tit. iii. 3. Gal. v. 20.

V. Actus ipse hujus *Odii* duo comprehendit, & *aversionem* voluntatis a vero Bono, & *defixionem* ejus in Malum, quod sub specie Boni obversatur. Hinc Scriptura cum *rejectione Boni*, electionem & *sectationem Mali* sœpe conjungit Amos. iii. 2. Ps. cix. 17. Matth. vi. 24. Quod etiam cum natura voluntatis convenit, quæ semper actuosa est. Cum autem omnis actuositas requirat objectum, circa quod occupatur, hinc sequitur, quod qui *non vult Bonum*, necessario *velit Malum*.

VI. Hoc vult Scriptura, quando peccatori tribuit Impuritatem, טמאה, Ακαθαρσίαν, Μιασμὸν, Μολυσμὸν, qua חול, פגול, κοινὸς, *communis* redditur. Vocibus enim his ex impuritate typica sacrorum ante Christum petitis talis separatio a cultu divino designabatur, qua quis & per avulsionem a Deo extra communionem

cum

cum eo rejectus, & communione cum oppositare immunda inquinatus est.

VII. Relate ergo ad Bonum *in abstracto* consideratum *odium* hoc involvit:

(b) Quoad *Bonum summum*, quod peccator abhorreat ab eo, in quo essentia ejus consistit, nempe a *glorificatione Dei*, qua nihil magis invisum carni est, & propendeat in tales actiones, quibus Gloria Dei obscuratur Joh. VIII. 44.

(2) Quoad *Bona subalterna*,

(a) Quod refugiat ab omnibus Bonis tam spiritualibus quam corporalibus, quæ ac *quatenus* media ad glorificationem Dei esse queunt, sigillatim a *Lege Dei*, quam ut jugum intolerandum abominatur, unde dicitur *non amare veritatem* 2. Thess. II. 10. Adde Job. XXI. 15. Exod. V. 2.

(b) Quod illa præcise amet, & in iis delicietur, quæ magis magisque ineptum ad Gloriam Dei reddere possunt, *suas vias* eligendo atque in illis seipsum *benedicendo* Deut. XXIX. 18. 19.

VIII. Quoniam autem Bonum *in concreto* peccatori obversans triplicem Odii ejus faciem constituit, hinc sigillatim perpendendum, quousque *Odium Dei*, *Sui ipsius* & *Proximi* peccatorem deturpaverit.

IX. *Odium Dei* quamvis a quibusdam extenuetur, nihilominus vere peccatorem implevit. Nam

(1) Hæc prima omnis perversitatis in peccatore Radix. Caussa enim Odii, quo fertur in quamcunque rem, non est alia, quam quoniam illa relationem ad Deum habet. Posset sane pec-

cator amare *salutem* suam, nisi illa in glorificatione Dei consisteret; *Legem*, nisi illa Deum supra omnia amandum esse suaderet; *seipsum*, nisi Dei gloriæ suam postponere deberet; *proximum*, nisi imaginem Dei in ipso deberet diligere; denique & *multa alia Bona*, nisi eatenus tantum inter Bona reputari mererentur, quatenus ad gloriam Dei idonea reddunt.

(2) Qui Deum *non amat*, ille eum odio habet Matth. XII. 30. Luc. XI. 23. Jam vero, quis ausit inficiari, quod peccator Deum *non amet*?

(a) Scriptura exerte dicit. quod *Deum non velit* Ps. LXXXI. 12. & quod *amor Dei in eo non sit* 1. Joh. II. 15.

(b) Quomodo Deum amaret, cujus cogitationes procul a Deo sunt, qui *Dei obliviscitur* Ps. L. 22.

(c) Vincula pacis & communionis cum Deo rupta sunt, unde *sine Deo* vivit Ephes. II. 12.

(d) Nihil desiderabile in Deo invenit, quamdiu eum ut reconciliatum in Christo considerat, sed potius ut iratum Judicem.

(e) Nihil ex sincero Dei amore ad ejus gloriam unice agit Matth. XXV. 45.

(3) Dum Legem Dei odit, Deum ipsum odit.

(4) Quicquid actus hujus *odii*, comprehendere potest, id omne in peccatore occurrit.

(a) Aversatur summam perfectionum divinarum gloriam, per quas Deus amabilis & Summi Boni Fons est, sigillatim *Sanctitatis*, quæ summam Dei decentiam constituit, idque tum mente verum de Deo conceptum pervertens Ps. XIV. 1. L. 21. tum factis honorem Dei abnegans

Rom.

Rom. II. 23. 24. tum aliquando verbis profanis Deo repugnans Jes. III. 9. VIII. 21.

(b) Maximo impetu id appetit, quod gloriæ divinæ contrariatur, *tenebras magis diligens, quam lucem* Joh. III. 19. *amans fatuitatem* Prov. I. 22. *mundum* 1. Joh. II. 15. &c.

(5) Non solum immediate Deum in se odit, sed etiam mediate in aliis. Nam

(a) Aversatur illos, in quibus *imago Dei* relucet Joh. XV. 18. 19.

(b) Amat *osores Dei* 2. Chron. XIX. 2. *amicitiam cum mundo* exercet, quæ est *inimicitia Dei* Jac. IV. 4.

X. *Odio sui ipsius* est impletus. Illud enim *aversatur*, sine quo nullam spem veræ Beatitudinis fovere potest, quia extra Deum nihil est, quod perficere peccatorem potest. Illud ab altera parte appetit, quod tam *physice* quam *moraliter* omnem ejus perfectionem destruit, adeoque cum summa ejus infelicitate conjunctum est Ps. CIX. 17. Prov. VII. 36.

XI. Quod *Proximum* itidem *odio habeat*, ex eo liquet, quia *hinc* abhorret a communione tali cum Proximo, qua & *animam* Proximi *lucrari* & ab eo auxilium in *glorificando Deo* exspectare potest; *inde* autem talem cum Proximo intendit *societatem*, qua Proximum, proculcata vera ejus dignitate, suæ pravæ concupiscentiæ subjiciat, atque hoc pacto aut se cum Proximo, aut alterutrum *æternum infelicem* reddat. Quod quum obtinere plene nequit, in odia atque inimicitias externas prorumpit, eo enitens, ut si non *animam*, saltem *corpus* proximi perdat. Unde facile

le est dijudicatu, quid de *apparente* Proximi *dilectione*, quæ in irregenitis sæpe occurrit, censendum sit.

XII. Quam horrenda sit hæc Voluntatis humanæ cataſtrophe, liquet;

(1) Quoniam naturæ Dei; nostri, rerumque omnium adeo contraria est, ut omnem rerum ordinem relate ad nos plane evertat.

(2) Quoniam vera est *Diaboli imago*, cui per tale *odium* in πονηρίᾳ *malitia* per emphasin similes peccatores evadunt.

(3) Quoniam maxime omnium cum Statu gratiæ directe pugnat. Aliorum vitiorum radicalium semina in ipsis credentibus supersunt; hoc non item. *Tepor* quidem in Amore obrepere; sed *odium Lucis*, qua talis, residuum manere non potest.

(4) Quoniam sic idem etiam exitus indubitato omnes manet, quoniam hostium suorum Deus quoque *hostis* est Deut. xxxii. 43. Jes. lix. 17. 18. Nah. i. 2. &c.

XIII. Amor, Ἀγάπη, quam vocem Scriptura præfert, quoniam proxime Hebræo אהב & אהבה convenit, licet sensum medium habeat, adeoque & circa objectum perversum versari possit, in N. T. tamen, etiam ubi absolute ponitur, sensum bonum fundit, atque de objecto legitimo est intelligendus Rom. xiii. 10. 1. Cor. viii. 1. xiii. 1. 13. Eph. i. 4. 1. Tim. i. 5. 1. Joh. iv. 7. 8. Ratio ex præcedentibus liquet, quia quicquid a vero objecto Amoris abludit, odium est, & hominem infelicem reddit. Intelligimus ergo per *Amorem* hic *illum Spiritus sancti efficacia in credenti-*

dentibus productum habitum, quo in communione cum vero bono rite seu acquirenda seu exercenda & conservanda sunt occupati.

XIV. *Objectum* ergo Amoris sancti & proprie dicti abstracte consideratum nonnisi *verum Bonum* est. *Quærite Bonum : amate Bonum* Amos. v. 15. Confer Mich. VI. 8. Psalm XXXIV. 13. Unde etiam tam late se dividit hic *Amor*, quam late patet *Bonum*, quod ostendimus Lib. I. cap. 7. §. 5. sq. Adeoque

(1) Primo & per se amandum est *Bonum summum* idque illo Amoris gradu, qui nonnisi Bono summo debetur.

(2) Porro tamen & *Bona subordinata* sunt amanda, non propter se, sed propter relationem, quam ad Bonum summum habent, & in eo ordine, in quo occurrunt. Omnia ergo *Media* salutis huc pertinent, inter quæ excellit *Lex Dei*. Ps. CXIX. 97. 113. 163. 164. Unde simul liquet, quomodo hic Amor in ipsum Bonum summum recidat.

XV. In *concreto Fons* primus atque universalis *omnis Boni* est solus *Deus* l. cit. §. 7. 8. Et qua talis obversari debet unicuique ipsum amanti. Crude enim meditantur, qui Deum propter summam ejus *Excellentiam*, nullo respectu ad ejus *Bonitatem* habito, amare jubent.

XVI. Specialius illum, quem Verbum Dei *amandum* præscribit, vocat יהוה אלהיך *Jehova Deum tuum* Deut. VI. 5. X. 12. &c. & illud, quod in eo amandum est, appellat *nomen Jehovæ* Psalm. V. 12. LXIX. 37. Jes. LVI. 6. inde colligimus.

(1) Quod Deus hic debeat considerari ut talis, qui se maxime amabilem in opere salutis peccatori exhibet.

(2) Quod *Amor Dei* omnes personas SS. Trinitatis pro objecto habeat, quibus fideles per fidem sunt desponsati Jes. LIV. 5. Hos. II. 19. 20. Hinc laudatur

(a) Amor Patris Rom. VIII. 28.

(b) Amor Filii, qui omnium frequentissime sigillatim inculcatur. Hic est, *quem anima Sponsæ diligit* Cant. I. 7. III. 1. 2. Adde 1. Petr. I. 8. Eph. VI. 24. &c.

(c) Amor Spiritus sancti Eph. IV. 30.

XVII. Cum autem Deus per sapientiam suam creaturas suas constituerit in *Fontes secundarios* subordinatorum Bonorum, quatenus nempe per illas media ad Amorem Dei promovendum & confirmandum possunt suppeditari, eatenus illæ etiam objectum Amoris fieri possunt. Catachrestice hic Amor ad creaturas irrationales extenditur, quoniam illæ nihil sponte sua præbent, nulliusque communionis cum mente rationali, adeoque nullius *Amoris reciproci* capaces sunt. Quare *Amor* hic *secundarius*, quem ipsum facile liquet in Amorem Dei totum resolvi, in solis *creaturis rationalibus* terminatur.

XVIII. Inter creaturas rationales egomet *Proximus mihi ipsi sum.* Quare cum Amore Dei nihil magis immediate cohæret, quam AMOR SUI IPSIUS, qui in Amore Proximi ab ipso Legislatore supponitur Matth. XXII. 39. Quamvis enim homo non solum sit *creatura nuda* &

ina-

inanis, sed etiam *corrupta*, nihilominus objectum aliquod amoris in se invenit.

(1) Quoniam *omnis creatura* in se spectata *bona est* 1. Tim. IV. 4.

(2) Quoniam a seipso adminiculum proximum post Deum ad Bonum Summum obtinendum exspectare potest, sive *non sit regenitus*, per facultates naturales ad recipiendam imaginem Dei idoneas Gen. IX. 6. sive *sit regenitus*, quod hic supponitur, per *imaginem Dei*, quæ est imago Entis pulcherrimi omnique amore dignissimi, cujus in homine productio omnia opera Dei *valde bona* reddidit Gen. I. 31.

XIX. Extra nos occurrunt alia subjecta rationalia, tam *remotiora*, *Angeli boni*, quos non solum existere, sed etiam commercii nobiscum ad gloriam Dei capaces esse, ex Revelatione constat, tum *propinquiora*, *Homines*, quos ut *Proximos* nobis considerare debemus. Et hinc objectum novum Amoris nascitur, quod AMOREM PROXIMI nominamus Levit. XIX. 18. 34. Idoneum hic iterum objectum est, tum quod a nobis ametur, quia nobis similis est, tum quia per commercium, quod nobis cum Proximo per sensuum linguæque usum intercedit, Proximum excitare & ab eo reciproce incendi ad Deum glorificandum possumus.

XX. Latissime autem hoc objectum patet, quoniam & *omnes species*, omnesque in singulis ordinibus *partes* certo ordine amplectitur.

(1) Quoad omnes *species* hic comprehenduntur

(a) *Amici* æque ac *inimici* Matth. V. 46.

(b) Inter amicos tam illi, quibuscum in *cognatione carnali* sive naturali sive acquisita; quam illi, quibuscum in *cognatione spirituali* sumus constituti. Gal. VI. 10. 1. Thess. III. 12. 2. Petr. I. 7.

(2) Quoad singula *individua* tam anima quam corpus objectum Amoris est; proprie tamen *anima* tantum Proximi, *corpus* autem nonnisi propter animam, cui domicilium præbet.

XXI. *Actus Amoris veri* totam voluntatem occupat. Neque enim *velle* reapse aliud est, præterquam *amare*. Quare sub se comprehendit

(1) Quoad *judicium*,

(a) Ut *Bonum verum* pro tali reputetur, omnibusque Bonis apparentibus præponatur.

(b) Ut justum tam Bono summo, quam subordinato pretium statuatur, convenienter ordini, in quo est positum.

(2) Quoad *propensionem*, ut convenienter huic judicio procedatur, quod fit, quando fertur *in unionem* cum Bono, sive *acquirendam*, quando & quatenus adhuc abest, ac nihilominus legitime possideri potest; sive *possidendam* ac *conservandam*, quando & quatenus jam est exhibitum. Cum autem omnis *unio* sit *reciproca*, hinc ad *Amoris* veri exercitium pertinet, ut per illam unionem non solum in Bonum *amantis* sed etiam *rei amatæ* tendat; ut adeoque non solum nostram perfectionem per Bonum, in quod ferimur, promoveamus, sed ipsius quoque illius Boni perfectioni studeamus, & hoc pacto, quod ab illo accipimus, ei reddamus.

XII. Universum hujus Amoris exercitium Scri-

Scriptura generali nomine קדש, Αγιότητα, Αγιωσύνην, SANCTITATEM appellat, voce a *separando* dicta & ad separationes Legales alludente. Colludit vox טהרה, Καθαρότης, *puritas*, a qua prope abest Αγνότης, *castitas*. Magis proprium significatum habet חסה ὑσιότης, *studium bene faciendi*, צדק, δικαιοσύνη *justitia*, ישר, ἐυθυτης, *rectitudo*.

XXIII. Tot nominibus insignitur Virtus illa, in qua summum decus mentis rationalis consistit, quæ constat *firmo voluntatis proposito per Spiritum sanctum secundum imaginem Dei mediante Evangelio producto, ad volendum atque operandum convenienter naturæ, quam a Deo accepit & per regenerationem recepit, nec non ordini in quo a Deo est posita*; quo pertinet, ut ab una parte Deum tanquam summum Bonum supra omnia amet, reliqua autem nonnisi in subordinatione ad Deum, ab altera parte se separet a quibuscunque, quæ hunc ordinem turbare, ac ab hoc fine avertere possunt.

XXIV. Quod productionem hujus *Sanctitatis* concernit, opus singulare Dei est, qui inde Israëlis *Sanctus* & *Sanctificator* audit Exod. xxxi. 13. Levit. xx. 8. xxi. 8. &c. & sigillatim *Spiritus Dei* 1. Petr. 1. 2. 1. Cor. vi. 11. qui inde epitheton *sancti* per emphasin gerit. Idem Deus est summum exemplar Sanctitatis Levit. xi. 44. xix. 2. Verbum autem Evangelii non solum ejus norma, sed etiam instrumentum est Joh. xvii. 17.

XXV. Virtus ipsa latissime primo quoad *subjecta* per varias actiones se exserit.

(1) Incipit ab internis animæ facultatibus

&

& *cor* reddit *purum* Matth. v. 8. Pſ. lxxiii. 1. atque inculpatum in *ſanctimonia coram Deo*, hinc ab amore peccati & odio veri Boni avocando, indè intellectum cognitione, judicium æſtimatione, voluntatem deſiderio veri Boni implendo.

(2) Porro ſe diffundit per omnes actiones externas, ſeu *totam converſationem* 1. Petr. i. 19. ſic ut *purificatio manuum* purificationi cordis jungatur Pſ. xxiv. 4. Jac. iv. 8. & ipſum *vas* corporis in *Sanctificatione* poſſideatur 1. Theſſ. iv. 4. Confer Rom. xi. 19. xii. 1. 2. Cor. vii. 1.

XXVI. Inde jam apparet, quam late *objectum* Sanctitatis pateat. Cum enim reſtitutio peccatoris in priſtinum Sanctitatis decus nequeat fieri, niſi inſtituatur ſeparatio ab illo Fine, circa quem per ſpurium Amorem creaturæ versabatur, hinc involvit

(1) Quoad præcedentem corruptionem omnis Amoris heterogenei exſtirpationem, ſive ille falſum Bonum pro vero ſectatus erat, ſive in verum Bonum ordine perverſo tetenderat.

(2) Quoad novam formam, quam voluntati inducit, ſeriam atque conſtantem cum vero Bono in juſto ordine unionem. Et hoc pacto id, quod *Amor Dei*, *noſtri ipſius* ac *proximi* appellatur, nonniſi diverſi Sanctitatis rami ſunt, quibus pro objectorum varietate diverſimode actuoſa eſt.

XXVII. Amor Dei abſolvitur tali *actuoſitate voluntatis, qua in unionem cum Deo Triuno acquirendam conſervandamque tendit.* Miſſis ergo diſtinctionibus amoris *concupiſcentiæ* & *complacentiæ*,

nec

nec non *amicitiæ & obedientiæ*, similibusque, totam actuositatem Amoris Dei, quæ reliquas omnes involvit, consideramus ut *Amorem unionis*: atque eapropter hic distincte exponendum erit, tum quænam sit *Unionis* credentium cum Deo indoles, tum quomodo *Amor sanctus* circa illam versetur.

XXVIII. UNIO credentium cum Deo convenienter naturæ *mentium* in sacris describitur ut *Status Amicitiæ*, nec non *Confœderationis*; & quoniam propter lapsum ille succedit *Statui inimicitiæ*, eapropter pressius consideratur ut Status *Reconciliationis* & *Pacis*, ad quem duo referimus, *Similitudinem naturæ & actualem Communionem.*

(1) *Fundamentum* Unionis est, quod caussa omni inimicitiæ per Sanguinem & Spiritum Christi sublata per collatam *Imaginem* adeoque reductam *Similitudinem Dei* pristina gloriâ hominis, quæ ad Communionem cum Deo idoneum reddidit, sit restituta.

(2) *Forma* autem Unionis hujus absolvitur per *reciprocam Communionem*, quæ cum Similitudine conjungitur 1. Joh. 1. 7. *Si in luce ambulamus, sicut ipse Lux est, communionem habemus mutuam.* Communio hæc concernit tam *Bona*, quia Deus peculium credentium est, & credentes Dei peculium sunt; quam *Officia amoris*, per quorum præstationem Deus in ipsis, & ipsi in Deo manent 1. Joh. IV. 15. 16. Sic Jehova est *suis in Deum*, & illi *ipsi* sunt *in populum.*

XXIX. Nec tantum Unio hæc relationem habet ad Deum in genere consideratum, sed etiam ad *Trinitatis* singulas personas. Speciatim Scriptura

ptura commemorat *communionem cum Patre & Filio* 1. Joh. 1. 3. Joh. XIV. 20. 21. 23. XVII. 26. quæ eadem est *communio Spiritus sancti* 2. Cor. XIII. 13. quia Spiritus Sanctus hujus communionis cum Patre & Filio *author* & *conservator* est. Cæterum per hoc ipsum in ejus quoque communione fideles versantur. Sic singulæ personæ thesauros suos ad salutem peccatoris conferunt, & qua tales a fidelibus agnoscuntur atque celebrantur.

XXX. Porro *gradus* in hac Unione distingui possunt. Perfecta erit in futura vita, ubi *Deus erit omnia in omnibus* 1. Cor XV. 28. Imperfecta est in hac vita, diversosque iterum profectus habet.

(1) Quoad totam Ecclesiam Communio arctior est in N. T. quam fuit in V. T. Ps. XXV. 14. LXV. 5. Cant. 1. 4. 2. Cor. VI. 16 -- 18. Ephes. II. 18. 19.

(2) Quoad singulos fideles incipit a prima fidei productione, & cum progressu operis gratiæ crescit, quoniam tota occupatio regeniti est perpetua *ambulatio cum Deo* Gen. V. 22. VI. 9.

Hinc sequitur, quod fideles certo respectu Unionem suam cum Deo ut jam *factam*; sed alio, ut porro *perficiendam* considerent.

XXXI. Circa hanc Unionem ergo Amor Sanctus ita versatur, ut voluntatem impellat ad omnia, quibus illa, quatenus jam est obtenta, *conservari*, quatenus autem adhuc exspectatur ac desideratur, *obtineri* atque ita *arctior* indies *reddi* potest. Hinc

(1) Supponit *in intellectu cognitionem* Dei ut

ama-

amabilis in Christo, in quo mundum sibi reconciliavit, & *Summum Bonum* peccatoris esse vult.

(2) Involvit in voluntate

(a) Quoad *judicium*, HONOREM, qui Deo dandus 1. Sam. II. 30. Apoc. IV. 11. ut Deus tanquam summe amabilis *æstimetur*, omnibus creaturis præferatur, atque summa beatitudo nostra in ejus communione collocetur.

(b) Quoad *propensionem* ejus, DILECTIONEM in sensu arctissimo sumtam, atque immediate in Unione sui cum Deo defixam; quo pertinet, ut, quatenus ad hanc unionem se vocatam aut initialiter introductam sentit, summis incedat *lætitiis*; quatenus autem adhuc debet aut curare, ne sensum hujus unionis perdat, aut ulteriorem ejus gradum desiderare, omnia *media* adhibeat, quæ eo faciunt.

XXXII. Horum *mediorum exercitium* latissime patet. Nam

(1) Comprehenditur sub his *Mediis* conservatio omnium præceptorum Dei. *Hic est amor Dei, ut præcepta ejus observemus* 1. Joh. V. 3. Confer II. 5. Joh. XIV. 15. 23. 24. Hinc hæc duo conjunguntur Exod. XX. 6. Deut. X. 12. XI. 1. XXX. 16. 19. 20. Dan. IX. 4. Id tantum observari debet, quod quædam Media sint *proxima*, quædam *remota*. Ad illa spectant omnia specialiora officia, per quæ Amor Dei demonstratur. Hæc autem officia etiam nobis & proximo debita involvunt.

(2) *Usus* autem illorum Mediorum omnes facultates mentis & corporis occupat, secundum illud Deut. VI. 5. *Diliges Jehovam Deum tuum ex tota anima tua* ובכל מאדך *& ex toto tuo valde*, cujus

jus paraphrasin Servator dedit Marc. XII. 30. Luc. X. 27.

XXXIII. His officiis sincerus *Dei Amor* quoad singulas personas SS. Trinitatis defungi debet. Cum enim uno obtutu sibi singularum gloriam nostra mens finita proponere nequeat, & ipsa Scriptura distincte earum relationes atque operationes enumeret, hinc Patrem, Filium, Spiritum Sanctum, quamvis non divisim, distincte tamen contemplari, singulis gloriam dare, in singulis deliciari, cum singulis se unire, singulis se in obsequium tradendo, non solum fidelibus incumbit, sed etiam maximi privilegii loco ab illis habendum est.

XXXIV. Quoad *gradus Amoris Dei* notari debet, illos non tam in ipso voluntatis *proposito*, quam in ejus *effectu* occurrere. Qui Deum sincere amat, non potest plus, minusve velle, quam ut cum Deo *solo*, ruptis omnibus aliis vinculis carnis, unitus, *totum* pro modulo creaturæ Deum possideat, & *totus* a Deo per totius voluntatis ejus implementum possideatur. Sed effectus sunt aliquando *minores* aliquando *majores*.

XXXV. *Minores*, ab utraque parte apparent.

(1) *Active*, quando sive *interne* non experitur debitam inter objecti magnitudinem & amoris vehementiam proportionem; sive *externe* actionibus congruis illam non manifestat, quo pacto anima videtur Dei *oblita esse* Deut. VI. 12. Psalm. XLIV. 18. & ubi id obtingit, quando jam uberior Amoris mensura adfuit, *amoris primi omissio* Apoc. II. 4. nuncupatur.

(2) A parte Dei, quando aut sensus divini amoris

moris *interne* per *propinquitatem* ejus & Spiritus ejus in cordis motus influxus, præcipue inter exercitia pietatis, non animadvertitur, aut reminiscentiæ divinæ experimenta in afflictionibus tam corporis, quam animæ desunt, quod tanquam *oblivio Dei* Ps. XIII. 2. LXXVII. 10. Jes. XLIX. 14. & *occultatio faciei ejus* Ps. LXXXIX. 47. & *longinqua* ejus ab anima *remotio* Psal. XXII. 2. consideratur.

XXXVI. *Majores* effectus occurrunt in illis:

(1) Qui *active* per vehementiam Amoris erga Deum ita sunt impleti, ut *ægroti amore sint* Cant. II. 5. atque eo *constringantur* 2. Cor. V. 14. quæ cordis dispositio ubi adest, illic etiam κόπος τῆς ἀγάπης *labor amoris* externe apparet Hebr. VI. 10. & *ultima abundantiora prioribus* redduntur Apoc. II. 19.

(2) Quibus datur *passive* in sensu præsentiæ divinæ in anima gaudere atque favoris Dei signa evidentiora per sustentationem opem & solamina ejus experiri, qua in re *propinquitas* Domini consistit Psalm. XXXIV. 19. LXXIII. 28. CXLV. 18.

XXXVII. Cœterum minimus Amoris Dei gradus ita se habet, ut per *criteria* certa ab *Amore spurio* possit distingui. Ad similitudinem Amoris sinceri hic sæpe appropinquat, non solum per externa amoris exercitia Matth. XXV. 44. 1. Cor. XIII. 3. sed etiam per aliquod desiderium Unionis cum Deo, quin etiam per votum incrementi in Sanctitate, ut medii ad communionem cum Deo. Nihilominus ab iis veri Amatores Dei distant.

(1) Quia non coacte sed cum summa lubentia Deum amant.

(2) Quia eapropter intime affliguntur, quando in amando Deo tot defectibus se laborare animadvertunt.

(3) Quia Sanctitatem non solum ut Medium ad Summum Bonum possidendum, sed ut ipsum Bonum super omnia per naturam suam amabile considerant.

XXXVIII. AMOR SUI IPSIUS *legitimus*, naturali contradistinctus, est *ille habitus regeniti*, quo *se tanquam creaturam singulari excellentia & aptitudine ad Deum glorificandum præditam agnoscens, hanc veram sui ipsius præstantiam studiose conservare ac promovere vult.*

XXXIX. *Amor* hic *supponit*, ut quis ex sui ipsius cognitione, quid veram præstantiam suam constituat, quousque illius compos evaserit, quid ipsi desit, quid adhuc sperare possit, colligat. Involvit autem

(1) Judicium præstantiæ huic conveniens, seu *Honorem*, quem nobis ipsis debemus 1. Thess. 1 v. 4. ut creaturis rationalibus, præcipue, quando accedunt supernaturalia gratiæ divinæ dona; ex quo sollicitudo de vero animi thesauro acquirendo aut conservando gignitur.

(2) Propositum sincerum, per quod vult, ut sibi ipsi bene sit, atque pro ratione Boni, sive id tanquam *præsens*, sive tanquam *absens* consideret, operatur.

(a) Quatenus enim istud *præsens* animadvertit, sibi ipsi benedicit, in sinu suo gaudet, & quod possidet, pro virili conservare studet.

(b) Qua-

(b) Quatenus autem Bonum istud aut ex parte aut in totum *absens* & tamen *comparabile* considerat, Media legitima serio amplectitur, quæ ejus possessionem præstare vel promovere possunt.

XL. Et hæc *legitimæ Philautiæ* indoles illam abunde distinguit a *spuria*, quam Lib. 1. cap. VIII. §. 9. descripsimus. Addi tamen potest ordo, in quo occurrit. Nam *Philautia legitima* ex Amore Dei nascitur & in eo desinit, eique intime unita est, cum *Philautia vitiosa* Amorem Dei destruat & evertat.

XLI. AMOR PROXIMI est *habitus ille voluntatis sanctificatæ in regenito, quo in unionem cum eo, pro indole diversorum, quæ ipsi cum eo intercedunt, vinculorum tendit, ut conjunctis viribus sibi invicem ad Deum glorificandum adminiculum præbeant.*

XLI. In hoc Amore Proximi *supponitur.*

(1) Ut eum *similem mihi* agnoscam, unde non solum naturalis propensio ad eum amandum oritur, quia similis simili gaudet, sed etiam eadem facultas celebrandi Deum, quam in me ipso deprehendo, ei est adscribenda.

(2) Ut inde colligam, illum in eundem *Finem* mecum esse productum, adeoque quoniam vis unita fortior, facultate ejus conjuncta cum mea, communem illum *finem* eo certius pleniusque ab utroque obtentum iri.

(3) Ut ex hac & *facultatum* & *Finis* paritate inferam, *Amorem mei ipsius* esse veram normam, secundum quam *Proximus* diligendus est Matth. VII. 12.

XLIII. Quare id, quod *Amor Proximi* involvit, huc redit.

(1) Ut Proximum tantum *æstimem*, quantum me ipsum: & si forte præter eandem mecum naturæ indolem dona quædam singularia a Deo accepit, ut illa tanti in Proximo faciam, quanti in me ipso habiturus essem, si Deus mihi illa concessisset. Hic est *Honor*, qui præstandus *omnibus* præscribitur 1. Petr. II. 17. quamvis pro vario excellentiæ, in qua Deus unumquemque posuit, gradu, ille etiam diversimode se habeat.

(2) Ut sicut nos ipsos, ita & alios *ex mundo corde intense diligamus* 1. Petr. I. 22. illam dilectionem *opere ipso* demonstremus 1. Joh. III. 18. Quo pertinet

(a) Ut *eundem Finem* circa Proximum quæramus obtinere, quem nobis ipsis debemus, nempe Summi Boni in plena cum Deo communione possessionem.

(b) Ut *eodem Modo* pro Proximo hunc Finem sectemur, quo pro nobis ipsis, cum eadem tum *virium* circa mediorum usum *intensione* tum *constantia*, ita ut ne læsi quidem ab hac dilectione cessemus.

XLIV. Quod si tamen casus occurrant, in quibus aut nostra aut Proximi cura postponenda, in genere certum est, quod cura nostri ipsius præcedere debeat. In casibus autem specialioribus observanda erit illa subordinatio, quam Waldenses literis A. 1539. ad Oecolampadium datis ita expressérunt: *Charitatem sic ordinamus, ut supra omnia, etiam propriam animam, Deum unusquisque diligat: post quem supra cætera omnia animam*

mam propriam : post hanc vero proximi corpus magis, quam res proprias, unusquisque amet, docemus.

XLV. Inde jam porro conficitur, quid in se involvat AMOR ANGELORUM BONORUM, qui secundum Scripturam sacram fidelium conservi sunt, sed naturæ non solum magis *a nobis diviſæ*, verum etiam æque ac ANIMÆ CONSUMMATORUM JUSTORUM *excellentioris*. Eapropter & Amorem ab amore nostri & Proximi aliquantum differentem requirunt.

(1) Judicio majorem illis honorem debemus.

(2) Voluntate eousque in unione cum illis eniti fas erit, quousque per illa, quæ de natura eorum revelata sunt, fieri potest.

XLVI. Omnes hi Amoris gradus sibi invicem uniti sunt certo *ordine*. Nam Amor Dei Amorem creaturarum & *involvit* & *limitat*.

(1) *Involvit*, quia qui Deum amat etiam creaturas amabit, quas Deus amare jussit; idque eo magis, quoniam nihil aliud in creaturis amat, quam vestigia perfectionis divinæ, & quod per eas glorificatio Dei promoveri queat. Unde Amor Proximi est criterium Amoris divini Rom. XIII. 8. 1. Joh. IV. 7. 20. 21. & utrumque præceptum eatenus *æquale* est Matth. XXII. 39.

(2) *Limitat*, quia Amoris Dei præceptum est *primum* & *maximum*.

(a) *Primum*, quoniam creatura supponit Creatorem. Amor Creatoris adeoque Finis est Amoris Creaturæ. Unde in tantum Creatura amanda, in quantum ad hunc Finem facit. Et si quæ Creatura ad hunc scopum per naturam suam

nequit referri; illa non amanda, verum odio habenda est. Hinc legitimum est *odium Diaboli* & omnium improborum in terra & inferno, tanquam instrumentorum ejus, secundum inimicitiam in Paradiso positam Gen. III. 15. Psalm. CXXXIX. 21. 22. Quatenus tamen impii in terra adhuc converti possunt, odium hoc non tam, *personas*, quam *peccata* eorum concernit 1. Joh V. 16.

(b) *Maximum*, quia quanto Creator major est creatura tanto intensiorem affectum meretur.

XLVII. Sic ordinatus *Sanctus Amor* maximi in catena virtutum momenti est, & tanquam *vinculum perfectionis* considerari debet Col. III. 16, quod non solum res omnes existentes, Deum atque opus ejus, cœlum & terram, legitimo vinculo conjungit, sed etiam nexum solidum, firmumque inter omnes actiones legitimas singulorum individuorum facit.

(1) Cum *Conversione*, *Fide*, *Spe*, ita intime cohæret, ut earum formam constituat atque infallibile criterium exhibeat.

(a) Cum *Conversione*, quia nullus ejus actus sine *amore* esse debet, cum vel prima peccati in sua vera fœditate agnitio, & tristitia inde nata supponat primas redeuntis illius amoris scintillas.

(b) Quomodo substantia *Fidei* Amorem hunc involvat, ex dictis Cap. III. §. 24. 42. liquet.

(c) Sed nec *Spes* nisi per hunc Amorem est legitima, quia Bonum, quod desiderando exspectat, nihil aliud, quam perfectior unionis cum Deo gradus est.

(2) Quomodo autem hic idem *Amor* tanquam

alma

alma radix per omnia reliqua officia se pandat, ex ipsis diversis ejus *ramis* liquet, quos enarravimus. Adde quod nulla possit esse Virtus Cardinalis, quæ singularum actionum bonarum essentiam constituit, nisi Amore hoc sit imprægnata. Neque enim *Finis legitimus* est, nisi Summum illud Bonum, in quod hic Amor tendit, neque *Via legitima* ad illum obtinendum, nisi per *Media*, quæ hic Amor suppeditat.

XLVIII. Et certe si *officium* hoc sancti Amoris in se spectetur, argumentis id suadentibus non solum Ratio, sed etiam Scriptura in omnibus paginis abundat. *Ex eo pendent Lex & Prophetæ* Matth. XXII. 40. Adde Rom. XIII. 10. 1. Tim. I. 5.

(1) Nihil est *justius* ratione *Dei*. Cum enim Amoris legitimi exercitium *Sanctitatem* veram conficiat, hinc omnia, quæ *Sanctitatem* commendant, tanquam maxime essentialem partem imaginis divinæ, & ad Deum glorificandum necessariam, & beneficiis gratiæ præsertim sub Oeconomia Novi Testamenti omnino convenientem, pro hoc *Amore* perorant. Conf. argumenta, quibus Conversionis necessitatem adstruximus Cap. II. §. 52. sq.

(2) Nihil est *æquius*, quoad nos *ipsos*. Neque enim voluntati humanæ aliquid præscribi potest, quod magis cum natura ejus conveniat; & quod jucundius sit, quam *amare* id, quod *amabile* est. Unde ex nulla re magis liquet, quam *suave jugum* Evangelium imponat, quam quod hunc Amorem præcipiat. Sic revera *funibus amoris* Deus populum suum *trahit* Hos. XI. 4.

XLIX. Sigillatim fas est super omnia *amare Deum in Christo reconciliatum.*

(1) A parte Dei hoc inculcant

(a) Omnia argumenta, quibus Lib. 1. cap. 8. probatum est, Deum esse *Summum Bonum.*

(b) Speciatim *Beneficiorum* divinorum in nos collatio *Gratitudinem* exigit, cujus prima Lex est, ut eorum Author redametur Joh. IV. 19. Horum Beneficiorum & *multitudo* & *magnitudo* nos constringit.

(α) *Multitudo* omnem numerum exsuperat, quando percensentur Beneficia tam *Naturæ*, quam *Gratiæ*; quibus comprehenditur, non solum quicquid ad *acquisitionem salutis* ab æterno & in tempore, sed etiam, quicquid ad *applicationem* ejus in cordibus credentium præsertim sub N. T. Oeconomia pertinet.

(β) *Magnitudo* omnem ingenii aciem transcendit, quando & Collatoris *Majestas*, & eorum, quibus indulgentur, *indignitas*, & ipsorum Beneficiorum *pretium*, & *modus*, quo comparata sunt, perpenditur.

(2) A parte nostra crescit obligatio, quoniam amando Deum, maximum Amorem nobis ipsis exhibemus.

L. Jam vero & *se ipsos amare* fideles sunt obstricti.

(1) Quamvis a natura in seipsis nihil deprehendant, nisi quod odio dignum est, ex quo tamen prima *scintilla sinceri desiderii* in ipsis suscitata fuit, Deo hunc honorem debent, ut illam in se æstimare, seque propter illam ut novum initium imaginis divinæ diligere incipiant.

(2) Ni-

(2) Nihil *æquius*, quam ſuam veram perfectionem promovere, eousque, ut qui illam negligit, inter ſtultos, quin veſanos reputandus ſit.

LI. His ſuppoſitis facile eſt probatu, quod quascunque *alias creaturas* rationales, quibuscum ad gloriam Dei uniri poſſumus, *amare* debeamus. *Amor Dei* exigit, ut veſtigia Dei in illis maximi faciamus. *Amor noſtri*, ut & *media*, per quæ promoveri perfectio noſtra poteſt, in uſum noſtrum convertamus, & *beneficia*, quæ per illa media in nos derivantur, amore reciproco compenſemus.

LII. Præ aliis tamen *Proximus amandus eſt.*

(1) Ita poſtulat ſanctiſſimus ille Dei ordo, quo ex *uno ſanguine* totum genus humanum propagari voluit.

(2) Eo incitat exemplum tum Dei 1. Joh. IV. 7. tum Chriſti Eph. V. 2. 25. Joh. XIII. 14. 15. 34. Utrique paria in hoc amore facere nunquam poſſumus 1. Joh. IV. 10. 11. Joh. XV. 12. 13. 1. Joh. III. 16.

(3) Quare vel maxime eo nos invitat Oeconomia N. T. in qua Amoris, quem Deus erga hoſtes ſuos exhibuit, maxima ſpecimina ſunt exhibita, omnisque *inimicitia* cum cauſſa ejus ſublata, & muro intergerino gentium deſtructo, interiit.

(4) Proximum propius, quam alias creaturas cognoſcimus; & ad commercium cum eo habendum natura noſtra magis eſt accommodata. Merito erga ille primas in amore noſtro partes præ omnibus creaturis habet.

CAPVT SEXTVM.

De fructibus Amoris Dei, seu Impietatis fuga, & oppositæ Pietatis exercitio. II.

SUMMARIUM.

I. *Vitium, quod* Amor Dei *expugnat est* Impietas §. 1 --- 18. *quæ*
A. *Definitur* 1.
B. *Præcipuæ ejus species enarrantur* 2 --- 18.
1. Profanitas 2 --- 13.
a. *Quatenus dominatur in irregenitis* 2 --- 12.
α. *Describitur* 2.
β. *Per partes deducitur* 3 --- 11.
א. Interna 3.
ב. Externa 4 --- 11.
a. Verbis 5 --- 9. *quo refertur*
a. Blasphemia 5. 6.
b. Juramenta impia 7.
c. Exsecratio 8.
d. Irreverentia 9.
b. Factis 10. 11, *quo spectat*
a. Apostasia 10.
b. Magia 11.
γ. *Qualitas ostenditur* 12.
b. *Quatenus reliquiæ sunt in regenitis* 13.
2. Superstitio 14 --- 18.

a. *Quatenus dominatur in irregenitis* 14--17.
α. *Definitur* 14.
β. *Species ejus enumerantur*, idololatria & iconolatria 15. 16.
γ. *Fœditas demonstratur* 17.
b. *Quatenus reliquiæ sunt in regenitis* 18.

II. *Virtus opposita est* PIETAS 19---92. *cujus consideratur*

A. Habitus 20---29. *qui duas partes comprehendit*

1. Pietatem in sensu strictiori 20--- 23. *quæ*
a. *Describitur* 20---22.
b. *Commendatur* 23

2. TIMOREM DOMINI 24---29. *qui*
a. *Describitur* 24---27.
α. *In se* 24---26.
β. *In oppositione* timoris servilis 27.
b. *Commendatur* 28. 29.

B. Actuositas *per* CULTUM DEI 30--- 92 *Hujus*

1. *In genere proponuntur* 30. 31.
a. *Nomina* 30.
b. *Divisio* 31.

2. *Partes speciales pertractantur* 32--- 92.
a. Officia ordinaria 32 --- 87.
α. PRECES 32---56. Earum
א. *Definitio datur* 32.
ב. *Attributa enumerantur* 33 --- 54.
a. *Quoad* objectum 33---35.
b. *Quoad* actum 36---54.
α. Materia *precum* 36---42.
β. Forma *precum* 43--54. *comprehendens*

† In-

† Internam dispositionem 43
--- 47.
, Fidem 44.
,, Devotionem 45 --- 47.
†† Externas circumstantias
48 --- 54.
ג. *Necessitas demonstratur* 55. 56.
ב. Meditatio 57. --- 70. *Hic iterum*
א. *Definitio datur* 57.
ב. *Classes enumerantur* 58 --- 69.
a. Meditationes ordinariæ 58.
--- 68. *sunt*
α. Fixæ 58 --- 65.
† *Per* Scripturæ Lectionem
58 --- 62.
†† *Per* Auditum verbi 64.
††† *Per* libros pios 65.
β. Liberæ 66 --- 68.
b. Meditationes extraordinariæ 69.
ג. *Momentum indicatur* 70.
γ. Colloquia Sancta 71.
δ. Cantus 72.
ε. Sacramenta 73 --- 87. *quorum*
א. *Usus describitur* 73 --- 84.
a. Baptismus 73 --- 79. *Hic proponuntur officia*
a. *Eorum*, qui baptizantur
73 --- 75.
b. Parentum 76 --- 78.
c. Susceptorum 79.

b. Sa-

b. SACRA COENA 80---84.
quæ requirit
a. Officia interna 81---83.
b. Officia externa 84.
ב. *Necessitas demonstratur* 85--87.
b. Officium extraordinarium, JURAMENTUM 88---92.
a. *Quod* Deo *exhibetur per* vota 88.---90.
β. *Quod* hominibus *præstatur* 91. 92.

I.

Ubi *Amor Dei* cor occupat, ibi cum *Odio Dei* omnes pravi habitus expelluntur, quos illud progenuit. Generale nomen, quod hos habitus comprehendit, est IMPIETAS, Græcis Ασέβεια, quæ apud Hellenistas respondet Hebraico רשע & פשע, & *illud vitium voluntatis* denotat, *quo peccator a vero Dei cultu abhorret, illumque aut* directe *aut* indirecte *evertit.* Directa ac *subtilior* cultus divini eversio fit per *Profanitatem*, indirecta & *subtilior* per *Superstitionem.*

II. PROFANITAS est illud crimen, quod Hebræi appellant בזה *contemnere Deum* 1. Sam. 11. 30. Mal. 1. 6. & חלל *profanare nomen ejus*, quod fit a βεβήλοις Hebr. XII. 16. quando peccator *excussa reverentia Deo debita in tales cogitationes, dicta & facta pronus est, quibus honor summæ ejus perfectioni debitus proculcatur.*

III. *Interne* in *cogitationibus* radix *Profanitatis* hæret, quando cor *timoris divini expers* est Gen. XX. 11. Luc. XXIII. 40. Id accidit

(1) *Ne-*

(1) *Negative*, quando Deus procul abeſt a cogitationibus, neque *curatur, ut in notitia habeatur* Rom. 1. 28.

(2) *Poſitive*, quando impii conceptus de Deo aut foventur, aut non oppugnantur. Hinc cogitationes malæ abominationi ſunt Jehovæ Prov. xv. 26.

IV. *Externa* Profanitatis indicia itidem ſunt vel negativa vel poſitiva.

(1) *Negativa* in illis, qui aut altum de laudibus divinis ſilentium ſervant; aut officia ad cultum pertinentia ſigillatim *Preces*, *Verbi Lectionem* & *Auditum* Pſ. xiv. 4. plane intermittunt; aut tali modo obſervant, quo perfectiones divinæ abnegantur, unde qualiscunque in cultu divino defectus *profanatio nominis ejus* dicitur Levit. xxii. 2. 32. Mal. 1. 12.

(2) *Poſitiva*, committitur *latius* per quamcunque *prævaricationem* contra Deum, מעל, ſive malitioſam proæreſin in peccando contra quodcunque præceptum Dei 1, Tim. 1. 9. Nos autem *ſtrictius* hic eam conſideramus, quatenus exercetur.

(a) Per quæcunque verba impia, quibus *lingua contra Jehovam eſt* Jeſ. iii. 9. Pſ. lxxiii. 9.

(b) Per quæcunque facta, quæ *elata manu* contra Deum committuntur. Utrumque in antediluvianis conjunctum occurrit Judæ vſ. 15.

V. Verba impia profunduntur per Blasphemiam, quæ eſt aut *directa* aut *indirecta*. Directe nomen Dei blaſphematur per *talia dicta, quibus virtutes atque opera Dei abnegantur*. Exempla occurrunt in Pharaone Exod. v. 2. Rabſake

Jeſ.

Jes. XXXVI. 20. Idumæis Ezech. XXXV. 14. Nebucadnezare Dan. III. 15. Huic crimini Deus juste pœnam *lapidationis* posuit Levit. XXIV. 10. sq.

VI. Summus ejus gradus est *Blasphemia contra Spiritum Sanctum* Matth. XIII. 31. 32. Ejus nomine præcise designatam censemus illam *calumniam Pharisæorum, qua opera Filii Dei per efficaciam Spiritus sancti edita contra conscientiam Diabolo tribuebant, ut Ministerii Christi fructum interciperent.* Unde apparet, quamvis idem specie crimen secundum omnes circumstantias nequeat ab aliis committi, proxime tamen cum eo convenire *Pseudo-Prophetis* ac *Seductoribus*, qui doctrinam Christi blasphemant, veluti Pharisæi opera Christi blasphemabant, ut ad apostasiam a Christo pelliciant. Quæ proculdubio ratio est, cur Antichristianissimi speciale crimen sit *Blasphemia* Dan. VII. 25. 2. Petr. II. 2. Apoc. XIII. 1. 5. 6. XVI. 9. 11. 21. XVII. 3.

VII. Ad *Blasphemiam* magis *indirectam* alia linguæ peccata contra Deum referri possunt, qualia sunt quæcunque JURAMENTA IMPIA, quorum iterum diversæ classes existunt.

(1) *Perjurium* est mendacium qualecunque solenni juramento confirmatum, quo *nomen Domini* per emphasin *profanatur* Levit. XIX. 12. Unde severæ minæ in illud pronunciantur Zach. VII. 4. Mal. III. 5.

(2) *Juramentum temerarium*, quod laborat

(a) In *materia*, quando quis se obstringit ad rem aut extra facultatem positam, ut Jephta, aut

aut illicitam Jud. xxi. 1. 1. Sam. xxv. 22. qualis juramentum per se nullum est.

(b) In *forma*, sive quando juratur per creaturas Matth. v. 33. xxiii. 16. Jac. v. 12. sive quando vitium est in personis, per quas & quibus jusjurandum exigitur.

(3) *Dejeratio*, qua absque necessitate res levissimæ aut exsertis jurandi formulis aut asseveratione fortiori roborantur.

VIII. Prope ab hoc crimine distat Execratio, quæ sive nomine ipsius Dei, sive aliarum creaturarum, quæ instrumenta judiciorum divinorum esse solent, abutitur, ad malum aut sibi 1. Sam. xiv. 25. 44. aut aliis 2. Sam. xvi. 5. 8. imprecandum. Prius cum *dejeratione* conjunctum est; posterius insignem *malitiæ* contra proximum ostendit gradum.

IX. Addantur quæcunque *verba*, quæ *irreverentiam* contra Deum manifestant.

(1) Pertinacia in asserendis erroribus contra doctrinam Scripturæ pugnantibus, ex quo capite Paulus sese inter blasphemos adnumerat 1. Tim. i. 13. 20. Huc pertinent *profanæ fabulæ* 1. Tim. iv. 7. & *profani de rebus inanibus clamores* 1. Tim. vi. 20. 2. Tim. ii. 16.

(2) Ignominiosa piorum ex odio pietatis traductio Jac. iii. 9.

(3) Scandalum contra veritatem Evangelicam levi de caussa susceptum Rom. ii. 24. Tit. ii. 5.

(4) Temeraria sanctissimi nominis Dei usurpatio.

(5) Ver-

(5) Verborum Scripturæ Sacræ ad sannos aliosque usus profanos detorsio.

(6) Quæcunque in tractandis per colloquia rebus divinis levitas atque incogitantia.

X. Facta profana cum verbis conjunguntur per APOSTASIAM seu *defectionem a professione veritatis.* Hujus rei erant, qui inter Judæos vestigia Esavi premebant, unico edulio jus suum primogeniti vendentis Hebr. XII. 16.

(1) *Crassius* istud fit per publicam fidei abnegationem Hebr. VI. 4. 2. Thess. II. 3.

(2) *Subtilius*, tum per *dissimulationem* veritatis, ubi illa asseri debebat, tum per rituum quorundam idololatricorum *simulationem*, ad quam perfidiam excusandam nequicquam exemplum Naamanis 2. Reg. v. 18. producitur, quoniam quomodocunque dictum hoc interpretemur, semper supponitur, Naamanem agnovisse peccatum in illo facto, cujus *condonationem* petiit.

XI. Atrocius est crimen MAGIÆ, quæ plenius intellecta designat *defectionem a vero Deo ad Diabolum, ut per ejus auxilium concupiscentia mala impleatur.* Hoc perpetratur

(1) Magis directe

(a) Immediate per pactum cum Diabolo, quale supponitur esse in *Pythonibus, Engastrimythis, Incantatoribus* Deut. XVIII. 11. 12. Lev. XX. 27. sive fraude impia deludentibus, sive veris; quod licet possit esse *imaginarium*, omnem tamen atrocitatem exsuperat.

(b) Mediate per consultationem talium Jes. VIII. 19.

(2) Sed & sunt species quædam *Magiæ*, quas itidem verbum Dei prohibet, licet directe nulla communio cum *Diabolo* intercedat. Huc referri licet varia *divinationum* genera, quæ περιεργίαι nomine comprehenduntur Act. XIX. 19. Talia sunt *Astrologia* & quæcunque *auguria*, nec non *artes Kabbalisticæ*, quamvis illæ a Magia crassiori plane excusari nequeant, quæ omnia itidem Deut. XVIII. 10. damnantur.

XII. Quam horrendum crimen sit *Profanitas*, inde liquet.

(1) Quoniam odii contra Deum maxime immanis species est, ex qua cognoscere licet, ad quem malitiæ gradum peccator sibi relictus eniti queat.

(2) Quoniam actiones, quas illa sub se comprehendit, partim inter peccata irremissibilia adnumerantur, partim propius, quam aliæ, ad illa appropinquant.

XIII. Facile ergo intelligitur, quod Vitium hoc præ aliis a Statu gratiæ sit alienum. Nihilominus aliquando ipsi regeniti periculi omnis ab eo non sunt expertes.

(1) Quando ante Conversionem ex prava consuetudine *dejerationibus*, *abusibusve nominis divini* ita adsueti sunt, ut nisi ad verba sua, præsertim affectibus quibusdam incitati, debite attendant, facile incogitantibus talia excidire possint, quibus scandalum caussantur.

(2) Quando commercia cum hominibus profanis lucri caussa nimium cõlunt, neque serio illos corripiendo ostendunt, quantopere omnem profanitatis speciem detestentur. Quod eo minus

nus excusari potest, quoniam a liberis genuinis illi tolerari neqneunt, qui parentes eorum despectui habent, aut convitiis proscindunt.

XIV. SUPERSTITIO, δεισιδαιμονία, est *vitium, quo Deus ex mero timore servili tali cultus genere afficitur, qui perfectionibus & verbo ejus repugnat.* Distingui autem potest vel *crassior*, vel *subtilior.*

XV. Crassior Superstitio involvit

(1) *Idololatriam* seu Polytheismum gentium, quæ serviebant illis, qui natura non erant Dii Gal. IV. 8. Act. XIV. 15. XVII. 29.

(2) *Iconolatriam*, in quam olim Judæi admodum proni erant contra præcepta Exod. XX. 4. 5. Deut. IV. 15. 20.

XVI. Subtiliora Superstitionis peccata possunt considerari vel ut *Idololatria*, vel ut *Iconolatria* subtilior.

(1) *Idololatria subtilior* in sacris attribuitur illis, qui inter Deum & mundum cor quasi dividunt, per *Dipsychiam* Lib. I. cap. VIII. §. 29. sq. Ex hoc capite ut idololatria consideratur

(a) Concupiscentia oculorum Col. III. 5. Eph. V. 5.

(b) Concupiscentia carnis Phil. III. 19.

(c) Fastus vitæ Hab. I. II. 16. quo quidam impleti sibi ipsis ausi sunt divinos honores tribuere Dan. IV. 27. Act. XII. 22. 23.

(2) *Iconolatria subtilior* comprehendit

(a) ἐθελθοησκείαν Col. II. 23. tam illam, quæ solis mandatis hominum nititur Matth. XV. 6. 9. quam illam, quæ mandata divina in sensum carnalem detorquet Col. II. 21.

(b) Quemcunque cultum mere externum P[s]. L. 8--13. Jes. I. 11--15. Jerem. VI. 20.

XVII. Hujus Vitii turpitudo quamvis non ex- æquet, ut quidam tentarunt defendere, noxam *Atheismi*, in se tamen summa est. Quod de- monstrari potest

(1) Quia causæ primæ Superstitionis sunt *ignorantia* Act. XVII. 23. & *timor servilis*.

(2) Ex quo sequitur, quod *odium Dei* in eo contineatur, quod cum eo alternat Exod. XX. 5.

(a) Quem enim ut durum Dominum timemus, illum non amamus. Unde iconolatræ in eodem loco *amantibus Deum* opponuntur.

(b) Accedit variarum perfectionum in Deo ac præcipuæ spiritualitatis, sanctitatisque ejus abne- gatio, honorisque ejus in creaturas collatio, qua- propter ut spiritualis *scortatio* consideratur Jes. LVII. 7. 8. Jer. III. 6. 9. &c.

(3) Fœdissimos habet effectus;

(a) Quia sub prætextu religionis atrocia sæpe crimina tegit, quæ inter est dominandi in con- scientias libido, & Spiritus persecutionis, qui homines in belluas transmutat Joh. XVI. 2.

(b) Quia, qui cultu externo superstitiose Deum placare quærit, justitiæ propriæ imagina- tione inflatus est.

(c) Idem de interno cultu & frænandis malis concupiscentiis non erit sollicitus.

(d) Unde pertinacia summa in præconcepta de falso cultu opinione nascetur, & superstitio æque martyres suos enumerabit ac vera religio.

(4) Quare gravissimas Deus minas singulis superstitionis generibus intentat Exod. XX. 5. & sigil-

sigillatim crassiori Deut. IV. 23--26. subtiliori Jes. XXIX. 13. 14. Amos V. 20--23. utrique Deut. XXX. 18--20.

XVIII. Longissime ergo ab hoc crimine se debent separare credentes, & cavere:

(1) Ne ipsi in creaturis nimium confidentes subtilioris *idololatriæ* rei evadant 1. Joh. V. 21.

(2) Ne in externis officiis cultus divini plus diligentiæ impendant, quam in occulta cum Deo communione promovenda.

(3) Ne ritibus quibusdam, v. gr. distinctioni dierum, similibusque nimis scrupulose inhærentes libertati N. T. præjudicent. Gal. IV. 9. 10. 11.

(4) Ne in partibus quibusdam cultis divini negligentius versantes videantur verum de majestate summa Dei sensum exuisse. Id sigillatim fit per quemcunque *teporem*, qui in precando, audiendo, legendo, Sacramentis utendo obrepit.

XIX. Contrarios plane effectus producit *Amor Dei* genuinus, qui communi phrasi per SANCTIFICATIONEM *nominis* ejus designatur sive *habitum* ipsum, sive *actuositatem* inde profluentem consideremus. *Habitum* per Amorem Dei productum Scriptura appellat *Pietatem* & *Timorem Domini*, nominibus ferme synonymis & quæ sæpe unum alterum involvuut, nisi quod illud pressius exprimat studium Deo placendi, hoc simul denotet sollicitudinem in cavendis impedimentis. *Actuositas* autem, quæ ex hoc habitu proficiscitur, omnia officia *Cultus divini* comprehendit.

XX. PIETAS Εὐσέβεια, vox respiciens ad tale amoris genus, quod superiori debetur, designat illum *habitum a Spiritu sancto in credentibus productum, quo ad cultum Deo placentem ei ferendum sincero desiderio propensi sunt, atque in eo actu se exercere quærunt.*

XXI. *Supponit* ergo *Pietas*, ut Deus tanquam *objectum*, quod sibi proposuit, rite cognoscatur. Unde totum Evangelium est *mysterium Pietatis* 1. Tim. III. 16. 1. Tim. VI. 3. Tit. I. 1. Sigillatim *Pius* Deum, ut dignum cultus objectum, considerat, atque in illis perfectionibus divinis est defixus, quibus ad honorem Deo dandum maxime obstringitur, & ex quibus colligere potest, quomodo cultus Deo placens sit instituendus.

XXII. Circa hoc objectnm *Pius* ita *versatur*

(1) Ut nonnisi convenientes summæ perfectioni cogitationes de Deo & cultu ejus formare sustineat.

(2) Ut intimo sensu tantæ præcellentiæ impletus esse contendat, propter quam Deum maximi æstumat, in eo deliciatur, atque ad honorem Deo dandum, & sensum hunc pro virili quacunque occasione suppetente declarandum paratus est.

(3) Ut quam maxume tum, quum in officiis cultus divini occupatus est, hujus excellentiæ divinæ impletus sit agnitione Eccl. IV. 13. quod solet alias *devotio* appellari.

XXIII. Impense illam virtutem Scriptura commendat. Nam

(1) In catena virtutum ab una parte intime

cum

cum *Amore* & *Fide* cohæret 1. Tim. VI. 11. & ab altera parte reliquarum ſpecialium qualiumcunque *radix* eſt, quas ſinu ſuo amplectitur 2. Petr. I. 3. III. 11. unde ad *omnia utilis* 1. Tim. IV. 8.

(2) Sed & quando in ſe conſideratur:

(a) Maxime immediate præ aliis honorem Deo debitum offert.

(b) Remunerationem ampliſſimam hujus & futuræ vitæ exſpectandum habet 1. Tim. IV. 8.

(c) In emphaſi convenit Oeconomiæ N. T. ubi Deus ſe tanquam σεβασὸν efficaciſſime revelavit. Apoc. IV. 11. V. 9. XV. 4.

XXIV. TIMOR DOMINI, יראת יהוה ſeu יראת אלהים figurata quidem, ſed tamen frequentiſſima in ſacris phraſis eſt, ad deſignandum *internum animi in cultu divino rite occupati habitum, quo regentius perſuaſus de arctiſſimis relationis ſuæ ad Deum ſanctiſſimum æque ac benigniſſimum vinculis, deque ſua ſumma in vitium proclivitate, ſollicita cura diſtringitur, ne qualibuscunque peccatis reverentiam Deo debitam obſcurantibus Deum ſibi placatum denuo offendat.*

XXV. *Objectum* ergo hujus *Timoris* duplex eſt.

(1) A *parte Dei* ſupponitur *agnitio* tum perfectionum relationumque ejus ad populum ſuum in genere conſideratarum; tum ſigillatim immenſæ ejus Gratiæ, *paternique amoris*, cujus vel minima læſio & neglectus turpiſſimum ingratitudinis cauterium inurit. Exemplum eſt in Joſepho Gen. XXXIX. 9. Prius ſupponunt loca, in quibus generatim *Timor Dei*; poſterius loca, in quibus preſſius *Timor Jehovæ* & *nominis ejus* com-

memoratur. Hinc qua *Pater*, objectum est *timoris* Pſ. CIII. 13. Mal. I. 6. quem quo magis *amabilem* credentes deprehendunt, eo magis *timendum* cenſent Pſ. XXXIII. 18. CXXX. 4. Jerem. XXXII. 39. 40. Mal. III. 16.

(2) Accedit *a parte fidelium* experientia imbecillitatis carnis inter tot tentationes, quibus ſunt expoſiti; unde in præſentiſſimo ſemper periculo declinandi a via recta, Deumque offendendi verſantur, niſi per gratiam Dei ſuſtentati vires ad placendum Deo acceptas cum ſingulari ſollicitudine impendant. Ex hoc capite cenſemus, quod *Tremor* quandoque cum *Timore* conjungi ſoleat Pſ. II. 11. Jeſ. VIII. 13. Phil. II. 12.

XXVI. In *exercitio Timoris Jehovæ* concurrunt diverſæ actiones.

(1) Attenta *Gloriæ divinæ* conſideratio, quatenus ſive per *Verbum Domini*, ſive per *Vias* ejus innoteſcit. Utrimque Timor Jehovæ novum identidem pabulum accipit.

(a) Ex *Verbo*, quia in eo Gloria hæc delineatur. Hinc dicitur *Timor propter verbum ejus* Jeſ. LXVI. 5.

(b) Ex *Viis* Dei, quia per illas demonſtratur. Hinc Timorem renovant tam judicia divina Deut. XVII. 12. 13. 1. Chron. XIII. 10. 12. Pſ. CXX. 120. quam beneficia nova 1. Sam. XII. 18. Jerem. V. 24.

(2) Alta ac perpetua omnipræſentiæ divinæ meditatio, quæ eſt *Timor a facie Dei* Eccl. III. 14. VIII. 11.

(3) Accurata Legis divinæ ſecundum omnes

ejus

ejus partes observatio, quæ præsertim in præceptis gravioribus, ut effectus Timoris Jehovæ consideratur Gen. XXII. 12. XLII. 18. Levit. XIX. 32. Ps CXII. 1. 5. 9.

(4) Sollicita cujuscunque peccati Deo displicentis, quantumvis minimi, fuga, quæ etiam involvit seriam resipiscentiam, quando Deus improvide denuo læsus est Job. XXVIII. 28. Prov. VIII. 13. XIV. 27. XVI. 6. Nehem. V. 15.

XXVII. Facile ergo hic *Timor* distinguitur a *Timore servili* Cap. IV. §. 2. sq. descriptio. Hic enim

(a) Nec Deum ut Patrem considerat, quoniam quicunque irregenitus nihil nisi iram divinam expectare potest.

(b) Nec propriam perversitatem reformidat, ad cujus agnitionem peccator non contremiscit.

(c) Nec in Verbo Dei Timoris veri incitamenta, sed tantum solaminis falsi prætextus quærit.

(d) Nec ex Beneficiorum divinorum magnitudine, sed tantum ex Judiciorum ejus imminente periculo excitatur.

(e) Nec a minimis, sed tantum a majoribus peccatis cavet, quæ magis conscientiam perturbant.

(f) Nec pro scopo honorem Dei, sed tantum gehennæ evitationem habet.

XXVIII. Maximum Timoris genuini in *catena* Virtutum Christianarum *momentum* inde apparet, quoniam sæpe in sensu adeo generali occurrit, ut omnia postulata fœderis gratiæ sub se comprehendat

hendat Eccl. xii. 15. Deut. v. 29. unde generalis fœderatorum Dei nomen est, ut *Timentes Jehovam* passim appellentur. Et summo cum jure.

(1) *Timor* hic sepes est *Pietatis*. Neque enim Deum rite fidelis honorare potest, nisi contra cordis sui in vitia, quæ gloriam Dei obscurant, proclivitatem hoc *timore* se muniat.

(2) *Amoris* Dei fructus est. Quo magis enim Filius Patrem diligit, eo magis offensam ejus timebit.

(3) *Fidem* ac *Spem* supponit. Dum enim regenitus *timet*, ne *ingratus* sit, agnoscit Beneficiorum magnitudinem, quæ per communionem cum Deo in Christo partim possidet, partim exspectat.

(4) Ad omnium præceptorum Dei observationem exstimulat Deut. vi. 1. 2. v. 35. 2. Cor. vii. 1.

XXIX. Et certe pretiosum hic Timor animæ fidelis ornamentum est,

(1) In genere propter officii æquitatem Jer. x. 6. 7. Nam nullum magis respondet humili a Deo dependentiæ, in qua fœderati sunt constituti.

(2) Porro *frænum aureum* est, quo domantur affectus, qui pacem cum Deo turbare possunt Prov. xxviii. 14.

(3) Speciatim autem incumbit fidelibus N. T. quibus hæc qualitas appropriatur ut conditio, a qua omnium reliquorum Bonorum collatio suspenditur Ps. xxv. 12. sq. xxxiv. 8. 10. cxii. 1. Malach. iv. 1. &c. Nam

(a) In N. T. sublatum est, quicquid Timorem filia-

filialem impedire, eique formam quandam Metus servilis induere poterat, *Spiritus servitutis* Rom. VIII. 15. *Timor Legis*, *Mortis*, *Patrum carnis* Luc. I. 74. Hebr. II. 15.

(b) Major Bonorum splendor & cumulus sollicitudinem in eorum custodia auget.

XXX. CULTUS DEI ex hoc habitu oriens variis nominibus insignitur. Frequentissime audit עבודה δουλεία, *Servitus*, qua ex speciali obstrictione *imperata* efficiuntur. Respondet etiam Hebraicæ voci Græcorum Λειτουργία, Θρησκεία, & præcipue Λατρεία, quod synonymum esse τῷ Δουλεία cum ratione dubitari nequit. Specialiorem notionem habent verba שרת, *ministrare*, השתחוה, προσκυνεῖν, *adorare*, קרא, προσκαλεῖν, *vocare*, *invocare*, *genuflectere* &c. quæ tamen sæpe per Synecdochen pro toto *Cultu Dei* ponuntur.

XXXI. In sensu sane latissimo *Cultus Dei* plurima involvit officia, eaque tum *ordinaria* tum *extraordinaria*. Inter *ordinaria Officia* referimus, tam quæ privatim æque ac publice incumbunt, *Preces*, *Sanctas Meditationes*, *Colloquia de rebus divinis*, *Cantum*, quam quæ magis ad publicum cultum sunt restricta, *Usum* scilicet *Sacramentorum*. Ad *Officia extraordinaria* Cultus divini spectant quæcunque *Juramenta* sive ad *Deum* per *Vota*, sive *ad homines* in *Judicio* directa.

XXXII. PRECUM diversa nomina emphatica stylus sacer habet. Primaria sunt תפלה, quod respondet Græco προσευχή, solumque precibus ad Deum directis proprium est, & תחנה, pro quo LXX. frequenter habent δεησις. Prius magis *filialem parrh siam*, posterius *humilem timorem* precantis respi-

respicit. Specialiora sunt שאלה , שועה רנה , *rogatio*, *vociferatio*, *clamor*; & in N. T. ἱκετηρία *supplicatio*, ἔντευξις *precatio*. Partes quasdam precum exprimunt αἴτημα *petitio*, נדר, εὐχὴ, *votum*, תודה, ὁμολογία *confessio*, ברכה, εὐλογία, εὐχαριστία, *Benedictio, gratiarum actio*: Sub his nominibus Scriptura commendat *Sanctam illam animæ fidelis a Spiritu sancto impulsæ occupationem, qua Deo Triuno in Christo desideria sua rite exponit, sive illa ad Deum pro obtentis beneficiis glorificandum, sive ad beneficiorum novorum impetrationem sint directa.*

XXXIII. *Objectum* Precum est solus Deus Psal. L. 15. Apoc. XIV. 7. Nam preces sunt potissima pars cultus religiosi, qui nemini nisi soli Deo debetur Jes. XLII. 8. Jerem. XVII. 13. Matth. IV. 10. Et sigillatim ei hæc gloria vindicatur, quod *exaudiat orationem* Ps. XXXIX. 18. LXV. 3. quoniam solus eas perfectiones possidet, quæ ad exaudiendum requiruntur. Quare ne quidem cum illis facere possumus, qui *humanitatem Christi* in abstracto consideratam inter objecta *adorationis* numerant.

XXXIV. Pressius autem Deus precanti considerari debet secundum illam Gloriam, quam in *opere Redemtionis* manifestavit. Huc pertinet

(1) Ut precanti illæ virtutes divinæ potissimum obversentur, quarum vinculum in illo opere est demonstratum. Illæ sunt hinc, summa Dei *majestas*, *sanctitas*, & *justitia*; inde ejusdem *omnisufficientia*, *misericordia* & *veracitas*. 1. Reg. VIII. 23. Dan. IX. 4. Eo præcipue spectavit typus *columnæ nubis & ignis*.

(2) Ut Deus spectetur tanquam *Triunus*, id quod

quod sequitur ex argumentis, quibus singulis personis divinis adorationis honor vindicatur.

XXXV. Duplici autem modo singulæ personæ SS. Trinitatis a precante debent considerari.

(1) Quatenus propter essentiæ divinæ unitatem, non solum *æqualis*, sed etiam *unus* idemque honor omnibus ac singulis personis datur.

(2) Quatenus propter Oeconomiam gtatiæ fideles relate ad opus justificationis preces suas Patri offerunt Ephes. III. 14. 15. *in nomine Filii* Joh. XVI. 23. 24. & *per efficaciam Spiritus sancti* Rom. VIII. 26. Gal. IV. 6.

XXXVI. *Materia* Precum dividi potest tum secundum *personas*, pro quibus, tum secundum *res*, quas oramus. Quoad *personas* aut pro nobis aut pro aliis intercedimus. Quoad *res* aut *gratias agimus* pro beneficiis acceptis, aut nova *expetimus* 1. Tim. II. 1. Phil. IV. 6. Col. IV. 2.

XXXVII. Primum, in quod desideria ferri debent, est *glorificatio nominis divini* propter beneficia accepta, quod EUCHARISTIA dicitur. Hanc requirunt quæcunque Bona accepta Psal. CIII. 2. Ephes. V. 20. 1. Thess. V. 18. potissimum spiritalia Eph. I. 3. Col. I. 12. verumtamen & corporalia Ps. CV II. Rom. XIV. 6. 1. Tim. IV. 3. Involvit autem legitima Gratiarum actio

(1) Agnitionem magnitudinis beneficiorum collata nostra indignitate 2. Sam. VII. 17. seq. Genes. XXXII. 10.

(2) Eorundem commemorationem conjunctam cum virtutum Dei enarratione Ps. XXVI. 6. 7. LXXI. 23. 24.

(3) No-

(3) Novam sui ipsius in hostiam gratitudinis oblationem Rom. XII. 1.

XXXVIII. PETITIO novorum beneficiorum extendit se ad omnia, quibus indigemus Phil. IV. 6. & quæ Deus vult dare 1. Joh. v. 14. Sic excluduntur miracula, & quæcunque Deus non promisit. Involvuntur autem beneficia tam *spiritualia* quam *corporalia*. Circa utramque classem & *deprecatio* & *precatio* distingui potest.

XXXIX. Beneficiorum *spiritualium* respectu

(1) *Deprecari* debemus peccati culpam, absque quo nulla exauditionis spes est Jes. LIX. 1. 2.

(2) *Precari* debemus opposita bona, idque tum ad *sanctificationem* Eph. III. 14. sq. Col. 1. 9. Hebr. XIII. 21; tum ad *consolationem* pertinentia 2. Thess. II. 16. 17. magis tamen priora, quia maxime directe voluntati divinæ congruunt.

XL. Sed & *beneficia corporalia* petere debemus, sive calamitates & judicia temporalia *deprecando*, sive illa, quæ ad sustentationem corporis pertinent, *precando*.

(1) Mandatum hujusmodi petitionum occurrit 1. Tim. II. 2. 3. Matth. XXIV. 20. Jac. v. 16--18.

(2) Deus corporalia Bona promisit & largitur Matth. VI. 26. 33. 1. Tim. VI. 17.

(3) Adsunt exempla Sanctorum non solum frequentia ante Christum, sed etiam sub N. T. Act. XII. 5. Jac. v. 16. 2. Cor. IX. 10.

(4) Ad Dei Gloriam spectat, illum considerare, ut vitæ ipsius omniumque ejus mediorum Fontem.

(5) Ipsa Bona corporis sunt media subordi-

nata

nata promovendæ Gloriæ Dei & noſtræ proximique ſaluti.

XLI. In *modo* tamen petitionis beneficiorum indole ſua adeo differentium diſcrimen debet obſervari.

(1) *Bona corporis* in *ordine* legitimo deſideranda ſunt.

(a) Non ut *Finis*, ſed ut *Media*, adeoque & poſt *Bona ſpiritualia*, & propter illa.

(b) Non in menſura major, ſed quantum *ſufficit* ad Finem. Superflua ne quidem *velle* licet 1. Tim. VI. 9.

(2) *Conditionate*, ſi ita cum Beneplacito Dei conveniat, & nobis ad Finem ſublimiorem inſervire poſſit. Quæ conditio non ſolum in petitione *Bonorum* hujus vitæ, ſed etiam *vitæ* ipſius pro fundamento ſemper ponenda erit.

XLII. Eodem tramite progrediendum eſt INTERCESSIONE *pro aliis*, quæ *pro quibusvis hominibus* injuncta eſt 1. Tim. II. 1. *Diræ* enim a Spiritu Chriſti in hoſtes Dei & Eccleſiæ pronunciatæ in exemplum non ſunt propoſitæ. Neque 1 Joh. v. 16. interceſſio quoad certas *perſonas*, ſed quoad certum *peccatum*, vetatur. Cæterum & *partes* & *gradus Interceſſionis* diſtingui poſſunt. *Gradus* ex indole diverſarum relationum, quas ad diverſas perſonas, alias aliis propinquiores, habemus, fluunt. Ad *partes interceſſionis* referimus

(1) *Gratiarum actionem* pro beneficiis, præcipue ſpiritualibus, quæ Deus aliis indulſit Rom. 1. 8. Epheſ. 1. 15. 16. 1. Theſſal. II. 13.

(2) *Pe-*

(2) *Petitionem* & apprecationem Bonorum tam ſpiritualium Epheſ. III. 14. ſq. Col. IV. 2. quam corporalium Actor. XII. 5. 11. XV. 40. Jac. V. 16.

XLIII. Ad *formam* Precum ante omnia pertinet *Interna precantis diſpoſitio*, per *ſuffitum* in cultu umbratili olim egregie adumbrata. In hac ſupponitur, quod *precans* ſit vere *regenitus*, ut *per Spiritum ſanctum orare* poſſit Jud. VI. 20. Eph. VI. 18. Quamvis enim & *irregenitus* ad precandum ſit obligatus Lib. II. Cap. I. §. 34. in ſolos tamen regenitos cadunt *requiſita*, quæ preces coram Deo acceptas reddere, & ad duo capita, nempe *Fiduciam* & *Timorem filialem*, referri poſſunt. Illam *Bonitatis*, hanc *Majeſtatis* & *Sanctitatis* divinæ ſenſus gignit Pſalm. V 8. Illa *Fidei*, hæc *Devotionis* exercitium involvit. Poſterius magis erit in *Spiritu*, prius *in Veritate* adorare Joh. IV. 23.

XLIV. Primarium requiſitum *Fides* eſt Matth. XVII. 20. XXI. Jac. I. 6. In Fide autem oratur

(1) Quando juſtitia Chriſti apprehenditur ut cauſſa meritoria non ſolum juris ad Deum accedendi, ſed etiam omnium Bonorum, quæ Filius Dei ſanguine ſuo acquiſivit & interpellatione pro fidelibus a Patre poſtulat. Sic oratur *in nomine Jeſu* Joh. XVI.

(2) Quando oratur *ſecundum voluntatem Dei* 1. Joh. V. 14, non ſolum reſpectu diſpoſitionis in *orante*, ſed etiam *rei ipſius*, de qua ex verbo Dei conſtare debet, quod Deus illam dare velit. Sic precans innititur illis promiſſis, quæ Deus dedit,

per

per ἐπερώτημα τῆς ἀγαθῆς συνειδήσεως sive *restipulationem bonæ conscientiæ* 1. Petr. III. 21. Ps XXVII. 8. 2. Sam. VII. 25--29.

(3) Quando contenditur, ut *parrhesia Fidei* magis confortatæ excitetur & exerceatur Hebr. IV. 16. X. 22.

XLV. Accedere debet *Devotio*, sive *Adoratio in Spiritu*, quæ involvit *Humilitatem*, *Prudentiam* & *Amoris Sinceritatem*. *Humilitas* in precibus exercetur

(1) Quando Majestas Dei, qui invocatur, cum orantis indignitate confertur Gen. XVIII. 27.

(2) Quando ex agnitione imporentiæ ad precandum auxilium Spiritus sancti imploratur.

(3) Quando Sapientiæ divinæ permittitur, quantum, quomodo, & quam cito dare velit.

XLVI. Ad *Prudentiam* precantis referimus

(1) *Præparationem* Job. XI. 13. Psal. LVII. 8. tum per pias *meditationes*, tum præcipue per *Scrutinium* status, in quo versamur, ut inde constat, quid ei conveniat, ut orando proponamus Eccles. V. 1.

(2) *Attentionem* tum ad verba, tum ad alias orationis circumstantias, ne quid in illis occurrat Deo displicens. Ad illam *attentionem* promovendam requiritur

(a) *Avocatio* cogitationum ab omnibus objectis alienis, quæ devotionem distrahunt.

(b) *Vigilantia* tam animi, quam corporis Luc. XXI. 36. Col. IV. 2. 1. Petr. IV. 7.

(3) Exspectationem patientiem exauditionis Ps. LXXXV. 9. Mich. VII. 7.

XLVII. *Sinceritas amoris* est *ignis* suffitum sacrum incendens. In illa concurrunt.

(1) Omnium impurarum cupiditatum ac moliminum ejectio Jac. IV. 2. 3. Ps. LXVI. 18. Job. VIII. 6.

(2) Ut scopus precantis sit *purus* Jac. IV. 8. 1. Timoth. II. 22. nempe *gloria Dei* Levit. X. 3. Unde prima petitio est, ut *Sanctificetur nomen ejus.*

(3) Desiderium secundum boni valorem intensum Deut. IV. 29. Ps. XXXVIII. 10.

(4) Fervor Ps. CXLV. 18. Jac. V. 16. exemplo Christi Luc. XXII. 44. & Ecclesiæ Act. XII. 5. quod dicitur *clamare* & *pulsare.*

(5) Conjunctio Precum cum mediorum usu Ps. XXVII. 4. Prov. II. 3. 4. 5.

XLVIII. Alterum, quod ad *formam* Precum spectat, est externarum *Circumstantiarum Sanctum moderamen.* Ea fini distinguendum inter *Preces ejaculatorias* & *largiores.* Ad priores pertinent quæcunque subitaneæ mentis ad Deum elevationes in variis occasionibus Nehem. II. 4. eæque expressæ, sive per στεναγμοὺς *suspiria* Psalm. VI. 7. XXXVIII. 10. sive paucis verbis Actor. VII. 59. Luc. XXIII. 46. quæ aliquando sunt ἀλαλητὰ *ore non prolata* Rom VIII. 26. *Largiores* tamen Preces permittente temporis spatio ac corporis constitutione debent fundi, ubi peculiares regulas circumstantiæ *verborum*, *gestuum*, *temporum*, *locorum* requirunt; circa quas tamen major libertas obtinet, quando soli, quam ubi cum aliis oramus.

XLIX.

XLIX. Quoad *verba*, qui soli orant, tacite ea proferre possunt, ut Hanna 1. Sam. 1. 13. quin aliquando debent, ne *hypocrita* videaris Matth. VI. 5. Sunt autem illa aut *Formulis adstricta*, aut *libera*.

L. *Formulæ* sunt aut *divinæ* aut *humanæ*.

(1) *Divinas* inter eminet *Oratio Dominica*, cujus usus, uti *permissus*, ita singularem prudentiam requirit.

(2) Quod concernit *Formulas humanas*,

(a) Quædam sunt *necessariæ*, quando cum aliis oramus, quos nostris verbis adstringimus, unde & secundum eorum conditionem debent esse formatæ 1. Cor. XIV. 16.

(b) Quædam sunt *utiles*, quando illas legimus, ut per eas precibus prudenter formandis adsuescamus.

(c) Quædam *connivendo* sunt permittendæ propter imbecillitatem hominum & Spiritus precum defectum.

LI. In *libera verborum* formatione

(1) Cavenda est βαττολογία & πολυλογία Matth. VI. 7. 8. quibus nominibus dissuadetur tum inanis eorundem verborum *repetitio* 1. Reg. VIII. 26. tum verborum grande sonantium *accumulatio*.

(2) Commendatum sit, ut adhibeantur

(a) *Verba emphatica* & aptissima, qualia sunt potissimum, quæ Scriptura Sacra suppeditat.

(b) Ut *ordine* decenti collocentur, qui insigne attentionis & zeli in Precibus adminiculum est. Ad hunc ordinem præcipue pertinet, ut sœpe Preces fidelium habeant instar *renovationis Fœderis*

deris cum Deo, seu *Confessionis*, ὁμολογίας Fidei, qua

(α) Confitemur *beneficia* divina ad ejus gloriam.

(β) Confitemur nostra *peccata* ad nostram humiliationem.

(γ) Confitemur *confugium Fidei* ad Christum, cum novo voto & proposito ei adhærendi conjunctum.

(δ) Confitemur nostram *impotentiam*, in voto solvendo, roburque Filii apprehendimus, & gratiam Sp. S. imploramus.

LII. *Gestus* pro re nata varius a precantibus est adhibitus. Sedentes, stantes, ambulantes, se incurvantes, genua flectentes, humi procumbentes, oculis aut in cœlum sublatis aut submissis, manibus extensis, complicatisve, orasse Sanctos deprehendimus. Cum tamen aliquos gestus adhibuerint, imitari eos pro re nata debemus.

(1) Abstinendum a gestibus aut *affectatis* Matth. VI. 16. aut *superstitiosis*, qualis aliquando fuit conversio ad orientem, aut *devotionem impedientibus*, qui sive corpus fatigant, sive somnolentiam promovent.

(2) Tales gestus usurpandi, qui testantur de *reverentia* erga Deum & *humiliatione* interna cordis.

LIII. Tempus *precibus ejaculatoriis* non est fixum, per quas *omni tempore* orandum Luc. XVIII. 1. & *indesinenter* 1. Thess. v. 18. Verum uberioribus vacare fideles debent, non solum, quas cum aliis *mane*, *vesperi* & ad *mensam* fundunt,

dunt, sed etiam per quas privatim communionem cum Deo exercent. Hic monemus

(1) Ne libertas Christiana constringatur superstitioso temporis selectu, uti per *Horas Canonicas* in Papatu fit.

(2) Ut separetur tempus, in quo & corpus est idoneum & minora impedimenta adsunt. *Noctis silentia* hic Dominus amavit Luc. VI. 12.

(3) Ut fixum semel tempus tam præstanti negotio fideliter servantes neque parce impendamus, neque facile per negotia mundana nobis eripi patiamur.

LIV. *Locus* in V. T. erat Sanctuarium, quod aut adeundum Luc. XVIII. 10. aut saltem facies eo convertenda erat I. Reg. VIII. 29. 44. Dan. VI. 11. Hanc loci differentiam ratio N. T. sustulit Jerem. III. 16. Act. VII. 48. 49. Joh. IV. 21. I. Tim. II. 8. In Precibus autem, quas seorsim fundimus, præprimis commendata esse debet *solitudo* Matth. VI. 1. quam ipse Servator quæsivit Matth. XIV. 23. IX. 18.

LV. *Necessitatem* officii Precum, quam quidam ratiunculis nauci extenuare nequicquam adnituntur, relatio earum arctissima ad Vitam spiritualem ostendit. Sunt enim *homini interno*, quod *respiratio* est *externo*.

(1) Sunt *indicium*, quod nova creatura vivere inceperit Act. X. 11. quin præcipuum Fidei exercitium conficiunt, quæ per Preces ad Deum confugit, Deum apprehendit, cum eo se unit, in illo se confortat.

(2) Sunt insimul *medium*, per quod identidem novæ vires acquiruntur, quæ ad conservandam

dam augendamque vitam ſpiritualem pertinent idque propter vinculum, quod Deus inter *Preces* & omnia reliqua officia Pietatis poſuit Joh. XXII. 21. 27. 28. Zach. XII. 10. XIII. 9. Matth. VII. 7. Joh. XVI. 24. &c.

LVI, Sed & in ſe conſideratæ omnibus omni tempore commendatiſſimæ ſuntó.

(1) Hunc honorem Deo Creatori ac Redemtori Patrique benefico debemus Pſ. LXV. 3.

(2) Eaſdem requirit & *imbecillitas* & *impotentia* fidelium. Propter illam reconciliari identidem cum Deo, propter hanc vires ad ſubſiſtendum in ſingula momenta per Preces quærere debent.

(3) Precandi facultas ſingularis eſt fidelium *prærogativa*, quam exerceri ab illis fas eſt.

(a) Hæc præcipua eſt *Sacerdotii* eorum ſpiritualis pars, quod familiariter ad Deum accedere audeant.

(b) Effectus præſtantiſſimi immediate cum exercitio Precum ſunt conjuncti Jac. V. 14. præcipue cum per illas ipſe Deus ſe ſancte conſtringi velit Pſ. L. 15. Jeſ. LXV. 24. Luc. XI. 8. XVIII. 7. 8. v. gr. certitudo fiduciæ, ſimilitudinis & unionis cum Deo promotio, adunatio cum omnibus reliquis membris Eccleſiæ tam triumphantis quam militantis in eodem corpore, cujus Caput eſt Chriſtus.

(4) Potiſſimum hoc exercitium decet fideles N. T. poſteaquam cœlum apertum, nomen Jeſu Chriſti, in quo precandum, plene revelatum, diſtinctio perſonarum ſublata, Spiritus precum effuſus eſt. Hinc illi per emphaſin in Prophe-

tis

tis nominantur *invocantes nomen Jehovæ* Joel. II. 32. Ps. CXVI. 13. & *Domus Jehovæ est domus orationis* Jes. LVI. 7.

LVII. MEDITATIONES SACRÆ, quas alii *Contemplationes* nominant, Hebræis הגיג, הגיון, a radice הגה, μελετᾶν, *meditari*, dictæ, designant *sanctum illud credentium negotium, quo cogitationes suas a rebus mundanis abstractas in Deum ejusque perfectiones & opera defigunt, & in penitiorem cognitionem Dei intromitti conantur, ea fini, ut ad commercium cum Deo colendum, gloriamque ejus promovendam aptiores evadant.* Distinguui hæ possunt in *ordinarias* & *extraordinarias.*

LVIII. *Ordinarias* piorum Meditationes distinguere licet in *fixas* & *liberas.* Et tum ad priorem classem referimus omnes sanctos conceptus, qui per ordinariam *Lectionem* & *Auditum Sacræ Scripturæ* aut aliorum librorum oriuntur, quando animus in his pietatis exercitiis rite est occupatus Ps. I. 2.

LIX. Ad *privatam* SCRIPTURÆ LECTIONEM, si non in ipsis *Fontibus*, saltem in melioribus, quæ haberi possunt, *Versionibus*, Meditationibus sacris excitandis congruam, ante omnia animus rite compositus est adhibendus. Ad id *prærequiritur:*

(1) *Desiderium* Verbi ut cibi animæ nostræ salutaris atque jucundi 1. Petr. II. 2.

(2) *Scopus*, non inanis mysteriorum divinorum scientia, quæ inflat, sed *ut ad salutem sapientes reddamur* 2. Tim. III. 15.

(3) *Reverentia*, quæ Verbo Dei debetur 1. Thess. II. 13. Jes. LXVI. 2. quæque præjudiciis

carnis obicem ponit, & vanas cogitationes expellit.

(4) Imploratio Spiritus sancti Ps. cxix. 18.

LX. *Sub Lectione* Verbi commendatum sit.

(1) Ut illam afferamus *attentionem*, quam requirunt verba non solum *Testimonii*, sed etiam *Testamenti divini*, quo omnes credentes hæredes maximorum bonorum scripti sunt Act. xvi. 15. Joh. v. 39.

(a) *Mora* ergo necessaria afferatur, ac tempus *non parce* impendatur Col. iii. 16. Act. xvii. 11.

(b) Adminicula adhibeantur, quæ *totum sensum* Scripturæ illustrant.

(2) Ut abstineamus a nimia curiositate, neque *supra id, quod scriptum est, sapiamus* 1. Cor. iv. 6.

(3) Ut rationi corruptæ silentium imponentes testimonium Dei lubenter vera fide recipiamus 1. Tim. i. 15.

LXI. *Subsequatur* Lectionem

(1) *Ruminatio* altior veritatum, quas didicimus Job xxiii. 12.

(2) Diligens sui ipsius secundum Scripturam *scrutinium* Hebr. iv. 12.

(3) *Preces* ad Deum, ut per Spiritus sancti efficaciam aptiores evadamus, ad vitam nostram cum norma Scripturæ Sacræ conformandam.

(4) Frequens verborum Domini *recordatio*, præcipue in casibus, quibus illa applicari debent, quod per emphasin *custodia eorum* designat Deut. v. 10. 29. Joh. viii. 51. 52. xvii. 6. &c.

LXII.

LXII. Summum hujus officii momentum est. Qui enim ita versatur in *Lectione Scripturæ*,

(1) Ille per amorem, quem verbo Dei exhibet, probat, quantopere Authorem illius verbi amet Joh. XIV. 23. idque eo magis, quoniam Deus hoc medio ad regenerationem usus est 1. Petr. I. 23. 2. Thess. II. 13. Jac. I. 18.

(2) Ille medio salutari utitur ad promovendam universam sanctificationem suam Joh. XVII. 17. 2. Tim. III. 15--17. 1. Petr. II. 2. quoniam per meditationem verbi & cognitio Domini augetur & norma simulac calcar continuum ad Deum celebrandum exhibetur.

LXIII. Id sane est, quod Deus jure exigit in cultu suo, quicquid caro obstrepat Apoc. I. 3.

(1) Deum loquentem creatura debet audire.

(2) Præcipue, quando is, qui loquitur, est Deus reconciliatus, & quæ loquitur, sunt *verba vitæ æternæ*: unde nihil iis *dulcius* est palato fidelium Ps. CXIX. 14. sq. 70. 72. 103. Jerem. XV. 16.

(3) Hoc quam maxime congruit doctrinæ Evangelii, quæ longe clarius revelata, & œconomiæ N. T. quæ omni cathedra humana abrogata Θεοδιδακτὸς requirit.

LXIV. Ad AUDITUM VERBI DIVINI eadem ferme observanda sunt, quæ *Lectio* requirit. Cum autem *homiliæ*, quæ in Verbum Dei recitantur, humanam duntaxat & fallibilem Scripturæ Sacræ contineant illustrationem & applicationem, requiritur præterea judicium discretionis, secundum quod *omnia exploranda*, &

quod bonum retinendum est 1. Theſſ. v. 2. 1. Cor. x. 16. Quoniam etiam vox audita citius perit, adminicula memoriæ afferenda ſunt, ut audita *in corde aſſerventur* Luc. 1. 66. 11. 19. Non inſuetum fuit jam in veteri Eccleſia, ut calamo dicta exciperentur. Præcipue tamen conducit eorum, quæ audita ſunt, privata repetitio. Quantopere autem obligati ſimus ad hoc officium obſervandum, infra oſtendetur, quando relatio auditorum ad Doctores Eccleſiæ edocebitur.

LXV. Sed & *Meditationem* dirigere poteſt LECTIO LIBRORUM PIORUM, ex quibus aut uberior myſteriorum fidei cognitio hauriri, aut praxis pietatis promoveri poteſt. Hic

(1) *Selectus librorum* commendandus. Præferendi enim quoad *priorem* claſſem, qui veritatem pure ſine admixtis erroribus docent; & quoad *poſteriorem*, qui clare atque emphatice opus Dei in cordibus electorum ſecundum præſcriptum Evangelii ſive *præceptis* ſive etiam *exemplis* explanant.

(2) In ipſa *Lectione* recurrunt eadem officia, quæ *Auditus ſacrorum ſermonum* requirit, ex quorum collatione liquet, quod non tam multa legere, quam quæ leguntur, Meditatione ſubigere & in ſuccum ac ſanguinem convertere fas ſit.

(3) Diſpiciendum etiam, ne ejusmodi Librorum Lectio Scriptutæ Sacræ Lectioni præjudicet. *Dulcius ex ipſo fonte bibuntur aquæ.*

LXVI. MEDITATIONES LIBERÆ ſunt *ſanctæ mentis elevationes ex variis occaſionibus natæ, per quas in quarundam veritatum divinarum accu-*

ratiori

ratiori consideratione versatur ad suam ipsius aut aliorum ædificationem.

LXVII. *Objectum* talium contemplationum generale est *Deus* Ps. CIV. 34. speciale autem, quicquid in Deo est & ad Deum ducit. Unde tam late patent, quam doctrina Theologica.

(1) Magis *obviæ* sunt, quæ per sensus & occasiones externas intellectui sistuntur, qui ad duplicem *contemplationem* invitant;

(a) *Operum divinorum* eorumque, tam *naturæ*, quam *gratiæ*. Prioribus ansam dant, quæ in mundo visibili videntur & contingunt Job. XII. 7. 8. 9. Matth. VI. 26. 28. posterioribus viæ atque *judicia* Dei in Ecclesia, in aliis credentibus, in nobis ipsis. Ubique sancta Meditatio ad vestigia perfectionum divinarum attendit, & per visibilia ad invisibilia identidem attollitur. Exempla talium meditationum occurrunt Ps. VIII. XIX. XCII. CIV. CXXXIX.

(b) *Operum humanorum*, ad cordis humani malitiam, omniumque rerum extra Deum vanitatem inde agnoscendam. Hic præit Ecclesiastes Salomonis.

(2) Magis *abstractæ* sunt, in quibus excutiuntur

(a) Ipsæ *perfectiones divinæ* in propria luce, qua radiant, quantum humana imbecillitas patitur, spectatæ.

(b) *Veritates morales*, quibus norma fidei & veræ sanctimoniæ continetur, quo etiam referri potest meditatio exitus, qui homines manet, mortis, æternitatis, beatitudinis & damnationis æternæ.

(3) Sin-

(3) Singulare argumentum *Meditationibus sacris* præbent *Beneficia divina* tam corporalia, quam spiritualia, quibus Deus Amorem suum & antea declaravit & in præsentia declarare pergit. Hæ *Meditationes* maxime essentialem *Gratitudinis* Deo debitæ partem constituunt, & semper locum habent, etiam in maximis tenebris, cum neque præsentia mala pretium bonorum antecedentium deleant, & ipsa, quatenus castigationes paternæ sunt, pro beneficiis haberi debeant Ps. CVII. 43.

LXVIII. In campo hoc latissimo *Meditatio sancta* diversimode se exercet, tam *interdiu*, quam *noctu* Ps. 1. 2. Interdum enim magis in transitu, media inter vitæ negotia, interdum pressius inhærendo, quando justum tempus ad meditandum in *solitudine* ac *silentio* separatur. Circa posteriorem classem observandum:

(1) Quod *scopus* earum debeat esse duplex, & noster & aliorum in cognitione atque aptitudine ad gloriam Dei profectus.

(2) Ad hunc scopum obtinendum requiritur *ordo* naturæ objectorum, de quibus meditamur, conveniens. Sic in *prima* & *tertia* classe cogitando ab objectis in sensus occurrentibus *ascendimus* ad altiora, in *secunda* autem *descendimus*. Cum tamen non omnes hujus ordinis capaces sint, illi neminem adstringere volumus.

(3) Non negligendæ aliquando sunt expressiones harum Meditationum, quæ aut *verbis* aut *scripto* fiunt, per modum *Soliloquiorum* Ps. LXXVII. 7. sq.

(4) Optimum habitum dabit *frequens usus* con-

jun-

junctus cum illis officiis, quæ Meditationi cum Lectione communia sunt.

LXIX. *Extraordinarias* appellamus illas *Meditationes*, in quibus fideles magis *passive* se habent, *quando Deus pro liberrimo suo amore animas in contemplatione virtutum ejus se exercentes altius evehit, quam proprio nisu evadere potuissent*; sive facultates mentes *magis mediate* confortando, ut progressus citatiores in cognitione & prudentia spirituali faciant; sive *magis immediate* ad gloriam suam contemplandam admittendo, exemplo *Mosis* Exod. XXXIII. XXXIV. *Stephani* Act. VII. 55. 56. *Pauli* 2. Cor. XII. 2--5. *Joannis* Apoc. I. 9. 10. ex quorum locorum collatione etiam confici possunt tum *occasiones*, in quibus hac prærogativa suos donare Dominus solet, tum *officia*, ad quæ per illas obligantur.

LXX. Nos has *posteriores* dispositioni divinæ relinquentes, *priores*, per quas quidam in posteriorem gradum enisi sunt, impense suademus.

(1) Nam *in relatione* ad cœtera officia hæ Meditationes scintillæ fidei atque amoris divini genuinæ sunt, & dum cognitionem Domini adaugent, ad eum tota vita glorificandum aptiorem reddunt.

(2) *In se* autem consideratæ

(a) Approbationem Dei in exercitio tam sancto & directe ad gloriam ejus tendente provocant Ps. XIX. 15.

(b) Animo alas reddunt, ut in supracœlestia extollatur, propinquus Deo sit, & in ejus communio-

munione lætetur Pſ. civ. 34. Huc præcipue collimabat ambulatio Sacerdotum in *luce faciei* Jehovæ, eorumque per panes facierum cibatio.

LXXI. Quæ per *Meditationes*, *Precesque* in occulto anima eſt lucrata, illa per Colloquia sancta in aliorum impendit uſum Matth. xii. 34. Hæc autem dividere poſſumus in *ſtata* & *libera*. Utraque vel inter *domeſticos* vel in *conſortio* cum aliis inſtituuntur. Unde ſparſim de iis inter officia Proximo in diverſis relationibus debita agetur.

LXXII. Inter exercitia ſacra, quæ utrobique, & in ſolitudine & in converſatione, locum habent, referendus eſt Cantus. Ille reapſe eſt certa quædam tam *Precum* quam *Meditationum ſacrarum* modificatio, & ad *numeros*, *modosque Muſicos adſtrictio*, ea fini, ut ipſa devotio eo magis incendatur. Requiſita cantilenarum ſacrarum adeoque cum dictis ad modum coincidunt. Primaria exhibet Apoſtolus Epheſ. v. 19. Col. iii. 16. Exercitium hoc merito commendari liquet:

(1) Ex ipſius Domini exemplo Matth. xxvi. 30.

(2) Ex perpetua Eccleſiæ V. & N. T. praxi, quæ jam in familiis Patriarcharum viguit Exod. xv.

(3) Ex eo, quod inter artes homini conceſſas etiam Muſica eſt, quæ tum recte exercetur, quando ad gloriam Dei conſecratur.

LXXIII. Major ſolennitas ineſt Usui Sacramentorum, quem generatim hic ſupponimus pertinere ad *officia*, quæ ſolis fidelibus ſunt præſcripta, & per quæ ſolenniori modo beneficia

neficia gratiæ a Deo accepta commemorantur, fœdusque unionis cum Deo in Christo ab ipsis renovatur. Non jam immorabimur officio, quod illis incumbit, qui *Iridem* vim Sacramenti etiam in N. T. conservare censent, adeoque merito ad ejus conspectum in Meditationes sacras & Gratiarum actiones mentem elevare debent. Sufficiet breviter notasse, quomodo in ordinariorum Sacramentorum N. T. tam Baptismi, quam Sacræ Cœnæ perceptione versari debeamus.

LXXIV. BAPTISMUS quando *adultis* confertur

(1) Officia *antecedentia* baptizandorum hæc sunt:

(a) *Professio* libera & rationalis veritatis, quæ sufficientem institutionem & cognitionem supponit. Nam *docere* ante *baptizare* ponitur Matth. XXVIII. 19.

(b) *Scrutinium* sui ipsius, præcipue num quis in *Fide* sit, quæ necessario prærequitur Actor. VIII. 37.

(c) *Erectio Fœderis Gratiæ* sincera cum Deo.

(d) *Desiderium* Baptismi tanquam signaculi communionis cum Deo & Ecclesia.

(2) Sub Baptismi collatione requiritur conveniens devotio, quæ

(a) Per *Preces* humiles ad Deum, ut ille cum signo externo gratiam meriti & Spiritus Christi conjungat, Deo intime adhæret.

(b) Per *Meditationes* pias de nativæ corruptionis sordibus, misericordiæ Dei in lavacro hoc præstando abysso &c. a visibilibus signis ad invisibile mysterium ascendit.

LXXV.

LXXV. Quæ *post Baptismum* requiruntur, aut *infantibus*, qui ad annos discretionis perveniunt, cum *adultis* communia, aut illis propria sunt.

(1) Ad officia illis, qui infantes baptizati sunt, propria referimus:

(a) Ut mature recordentur, quod eapropter in prima ætate signum fœderis in illos sit collatum, ne ullum vitæ tempus ab ipsa pueritia Deo eripiant Eccl. XII. 1. Thren. III. 27.

(b) Ut propter peccata juventutis pœnitentiam agant Ps. XXV. 7.

(2) Utrisque autem incumbit,

(a) Jugiter scopum Baptismi in mentem sibi revocare. *In quid baptizati estis?* Act. XIX. 3.

(b) Inquirere, an cum signo participes rei signatæ, remissionis peccatorum & regenerationis, facti sint.

(c) Si minus, resipiscant, & absque procrastinatione anhelent fœdus cum Deo erigere.

(d) Si vero, gratos se Deo corde atque opere præstent, quod peculium Dei & membra mystici corporis Christi jam a pueritia evaserint Ps. LXXI. 17. 18.

LXXVI. Peculiaria in *Baptismo infantum* officia *Parentibus* incumbunt. Prærequiritur enim præparatio solennis tam *remotior*, quam *proxima*. Ad *remotiorem* præparationem referimus

(1) Ut jam *concepto* ac multo *magis nato* fœtu illum sinceris precibus Deo offerant.

(2) Ut scrutentur, an ipsi *in fide* sint. Deus promisit, se primo fore *in Deum Abrahamo*, ac deinceps *semini ejus* Gen. XVII. 7. Multæ promissiones datæ sunt liberis fidelium Ps. XXV. 13.

CXII. 1. 2. &c. nullæ liberis infidelium.

(5) Qui Fide adhuc carent, non solum per propriam sed etiam fœtus salutem obstringuntur ad maturandam suam conversionem.

(4) Qui initia Fidei possident, Baptismum nec superstitiose accelerare, nec frivole negligere debent.

LXXVII. Proxima præparatio in eo consistit

(1) Ut ab omni pompa mundi abstineant, quæ directe adversatur scopo Baptismi; quoniam per illum creatura miserabilis humillime a sordibus fœtidissimis lavanda ad pedes Dei deponitur.

(2) Ut ipsi illud Fœdus cum Deo renovent, in quod liberos suos secum adoptari cupiunt.

LXXVIII. In ipsa administratione Baptismi:

(1) Interne *Preces* pro salute infantum, *Meditationesque* tum de impuritate, in qua nati sunt ad humiliationem, tum de misericordiæ divinæ magnitudine, ad confortationem fidei, conjungi debent.

(2) Externe requiritur:

(a) Ut in publico cœtu a Patre præsente infans Baptizandus, non solum tanquam hostia Deo consecranda, sed etiam tanquam membrum communioni Ecclesiæ inferendum, sistatur.

(b) Ut epulæ natalitiæ, omnesque circumstantiæ devotionem illius diei interrumpentes, resecentur. Quæ autem post Baptismum Parentibus incumbunt, ad piam educationem infra explicandam referri debent.

LXXIX. *Susceptores infantum*, licet non sint

strictæ necessitatis, cum tamen certo respectu utiles sint, notandum est,

(2) Circa *Personas*, quod requirantur professione orthodoxi & vita inculpati.

(2) Circa *officia*, quod illis incumbat, educationem Christianam infantum, pro quibus spoponderunt, pro virili promovere, & post parentum excessum in curam eorum succedere.

LXXX. Officia ad USUM SACRÆ COENÆ spectantia latius quamplurimis libris asceticis pertractata hic brevissime expedimus. Pertinent illa partim ad *interna* pietatis exercitia a communicantibus impendenda, partim ad *externas* circumstantias.

LXXXI. *Interne* ante omnia incumbit sancta *præparatio*. Sic semper assueverunt Sancti solennioribus cultus partibus præmittere præparationem Gen. XXXV. 2. Exod. XIX. 10. 11. Ps. LVII. 8. Tempus ei conveniens definiri nequit. Quo sanctius viveretur, eo minori indigeremus. Partes autem ipsæ præparationis constant,

(1) Exploratione sui ipsius 1. Cor. XI. 21. Triplici examine illa potissimum absolvitur.

(a) An quis revera sit regenitus? Cibus spiritualis vitæ spiritualis initia, epulum fœderale fœdus ipsum supponit. Criteria in hanc rem cum criteriis veræ Conversionis & Fidei coincidunt.

(b) An decrementum aut incrementum gratiæ in se deprehendat? Hujus tamen *defectus* a sacra Synaxi non debet arcere, nisi in certis circumstantiis v. gr. quando aut instructio de necessariis fidei articulis deficit, aut scandalum ali-

quod

quod datum est, quod magis solennem pœnitentiæ professionem requirit.

(c) An anima sincero desiderio promovendi communionem cum Deo in Christo in ipso præparationis articulo se impletam sentiat?

(2) Renovatione Fœderis divini, quod per scrutinium hoc sœpe a nostra parte violatum esse apparebit.

(3) Excitatione animæ ad *recordationem Domini* ac beneficiorum ejus, qualis etiam in sacris V. T. obtinuit Exod. XII. 14. 26. 27. sigillatim per *annuntiationem mortis Domini* 1. Cor. XI. 26.

LXXXII. *Sub usu* sigillorum sacrorum requiritur,

(1) Elevatio cordis ad Dominum, quam olim Diaconi promovere contendebant, clamantes: *Sursum corda*, Ecclesia respondente: *Habemus ad Dominum*,

(2) Unio animæ cum Christo, quæ anima est S. Eucharistiæ 1. Corinth. X. 16. Illa est reciproca Apoc. III. 20.

(a) A parte Christi supponit suaves Spiritus sancti motus, quibus fideles de præsentia Domini sui obsignationisque suæ efficacia certi redduntur Cant. II. 5. 6.

(b) A parte fidelium requirit

(α) Applicationem Christi omniumque beneficiorum ejus per fidem Cant. II. 16.

(β) Appropinquationem cum parrhesia Hebr. X. 22. 23.

(γ) Sanctum stuporem ad magnitudinem prærogativæ, qua fruuntur 1. Sam. XXV. 40. 41. 2. Sam. IX. 7. 8.

(δ) Intensionem amoris, ut per illum sancte cum Christo colliquescant Cant. 11. 3. 4.

LXXXIII. Finita Cœna illico novum scrutinium suademus, ad indagandum, quid anima sua illa experta fuerit? ut, ubi Dominus se abscondidit, se humiliet ac nihilominus in exspectatione salutis ejus se consortet; ubi ille se præsentem exhibuit, cum indignitatis confessione lætitia & gratiarum actio conjungatur. Porro per totam vitam spiritualem confortatio ex epulo hoc sacro concepta se ostendere debet in luctæ spiritualis atque itineris versus patriam cœlestem constanti continuatione.

LXXXIV. Quoad externas circumstantias locus est *in publico cœtu* 1. Cor. x. 16. 17. x 1. 20. Unde *communionem privatam* non temere, nisi in *morbis chronicis*, indulgere consultum est. Sed & tunc, ut *communionis figura* exprimatur, plures ad epulum sacrum se conjungant. In reliquis, quæ ad *tempus*, *gestus*, *eleemosynas*, *agapas* pertinent, libertas ac decentia Christiana commendata esse debet.

LXXXV. Talis Sacramentorum usus quin singularis ponderis sit in exercitio vero Amoris divini, dubitari nequit. Cum enim & initia & sincerum desiderium promovendæ communionis cum Deo in illo supponantur, manifestum est, quod illic Amor Dei in corde hospitetur, ubi sigilla ejus in tanto pretio sunt. Porro ubi per hæc media *robur Jehovæ* apprehenditur. ibi illud in omnes facultates atque actiones hominis interioris se dividet.

LXXXVI. Dominus sane hunc usum exserte præ-

præscripsit Matth. XXVIII. 19. Luc. XXII. 19 Et Sacram Synaxin sigillatim sæpe repetendam esse innuit Apostolus 1. Cor. XI. 26. Huc ordini in hærendum est.

(1) Id requirit non solum authoritas ac sapientia sed etiam φιλανθρωπία illius, qui signa hæc fœderis sui accommodata imbecillicati nostræ instituit.

(2) Accedit multiplex usus, quem habent tum quoad Deum, memoriam gratiæ ejus conservando, tum quoad nos ad opus fidei & sanctificationis, tum quoad alios ad ædificationem Ecclesiæ & communionem cum corpore Christi mystico.

(3) Idem confirmat perpetua Ecclesiæ praxis.

LXXXVII. Harum rationum pondus non debilitant quorundam effugia *Enthusiastas* hic plane non audimus, quibus contemtus Sacramentorum ex abnegatione meriti Christi & justificationis fidei proficiscitur. Sed & ad *imbecillitates* pionum pertinet, quod aut plane a Sacramentis aliquando abstineant, aut non sine animi quadam reluctatione illa usurpent.

(1) Quidam prætexunt, quod opus Domini nondum in se sentiant. Hi reminiscantur, quod humilis ille animæ de se sensus cum desiderio gratiæ conjunctus sinceritatis index sit, quodque quo debiliora in se deprehendunt gratiæ semina, eo magis his adminiculis indigeant.

(2) Alii absterrentur per corruptionem Ecclesiæ, quæ maxime circa Sacramentorum administrationem animadvertitur. Hi perpendere deberent sapi-

sapientissimas rationes, propter quas Deus per omnia secula ad illam mixturam tritici cum zizaniis in agro Ecclesiæ connivere voluit.

LXXXVIII. Peculiaris quædam pars sanctificationis nominis Jehovæ sunt Juramenta. Illa Deo *mystice fiunt*

(1) Per omnes *actiones fœderales* animæ propositio sincero cum Deo se unientis 2. Chron. XV. 12--15. Jes XIX. 18. XLV. 23. LXV. 26.

(2) Per omnes *Preces*, quæ vocula *Amen* quasi obsignantur.

(3) Magis autem huc referri possunt Vota. Illa diverso sensu occurrunt.

(a) Quascunque declarationes propositi sancti solennius a piis animabus factas Scriptura *Vota* appellat Ps. L. 14. CXVI. 14. 18.

(b) Specialius ad ea referri possunt initiationes ad munus, præsertim ecclesiasticum, quæ analogiam quandam cum Naziræatu V. T. habent.

(c) Specialissime hic illa intelligimus, quatenus *obligationes coram Deo ad certa quædam officiorum genera in peculiaribus quibusdam circumstantiis exhibenda*, designant.

LXXXIX. Pro varietate *objectorum* ea sunt aut *ceremonialia* aut *moralia*. Priora ad nos non pertinent. Posteriorum nonnisi rarissima & obscurissima mentio, idque in solo loco Gen. XXVIII. 20. seq. occurrit, qui ipse *Votum ceremoniale* involvit.

XC. Quare circa talium Votorum necessitatem aut convenientiam cum cultu Deo placenti nihil definire possumus. Id duntaxat patet, si quis existi-

existimet, quod per quasdam occasiones notabiles invitetur ad Votum Deo præstandum, quod requiratur:

(1) Ut illud nonnisi Deo, exclusis sanctis, feratur.

(2) Ut res sit *in nostra potestate* sita, & sub generali quodam *mandato Dei* comprehensa.

(3) Ut *scopus* sit legitimus, promotio nempe nostræ atque aliorum sanctificationis.

(4) Ut suscipiatur *prudenter*, *humiliter*, in *fide* & *fideliter*.

XCI. JURAMENTA *hominibus* præstanda similes conditiones requirunt.

(1) Nonnisi in nomine Dei debent fieri Deut. VI. 13. Jos. XXII. 22. 23. Jerem. V. 7.

(2) Quoad *materiam* de re *nota*, *licita*, *ponderosa*.

(3) Quoad circumstantias *personæ* sint *idoneæ* ac *fide dignæ*; eædemque utantur *verbis* tam cum animo, quam cum re ipsa *convenientibus*, absque omni *ambiguitate*.

(4) Quoad *scopum*, ut honor Dei & salus proximi per veritatis manifestationem promoveatur.

(5) Quoad *juramenta obligatoria* speciatim, ut fides ex asse præstetur Num. XXX. 3. Psalm. XV. 1. 4. exceptis tamen casibus, quibus nos ad aliquid vitiosum aut impossibile obstrinximus. Ad peccatum enim nemo obligari potest. Quare nihil supereſt, nisi ut propter temerarium Juramentum seria pœnitentia agatur, & si quod damnum inde proximo accedere potest, pro virili restituatur.

XCII. Talia Juramenta aliquando non solum *licita* sed etiam *mandata* sunt Deut. VI. 13. Quod præceptum est sanctissimum:

(1) Quia facit ad honorem Dei, qui tanquam omniscius cordium scrutator ac summus Judex, veritatem amans & sancte vindicaturus, consideratur.

(2) Quia convenit corrupto hominis statui, ad quem in ordinem redigendum vincula ejusmodi necessario requiruntur Hebr. VI. 16.

(3) Quia id confirmant exempla

(a) Ipsius Dei Gen. XXII. 16. Ps. LXXXIX. 36. Hebr VI. 13--18.

(b) Christi, tam humiliati, toties *Amen*, *Amen* ingeminantis & ad adjurationem respondentis Matth. XXVI. 63. 64. quam exaltati Apoc. X. 6.

(c) Fidelium non solum Vet. sed etiam Nov. Testam. Rom. IX. 1. 2. Corinth. I. 23. XI. 31. &c.

CAPUT

CAPUT SEPTIMUM.

De officiis ex *Amore sui ipsius* fluentibus, per quæ propriæ *Salutis neglectui* ejus *promotio* succedit.

SUMMARIUM.

I. Vitia, *quæ verus* sui ipsius Amor *exstirpat, enumerantur* §. 1---33.
A. *Radix est* INCURIA propriæ Salutis 2. 3.
B. *Effectus hujus incuriæ* 4---33. *sunt*
1. Ignorantia sui ipsius 4. 5.
2. Pusillanimitas 6. 7.
3. INTEMPERANTIA 8---33. *quæ*
a. *Definitur* 8.
b. *Per partes deducitur* 9---33.
α. *Quoad irregenitos* 9---32.
א. *Origo ejus indicatur in* Confusione affectuum 9---11.
ב. *Exercitium ejus consistit in* obsequio affectuum 12---31. *quod*
a. *In genere proponitur* 12.
b. *Specialius delineatur* 13---31.
α. *Ratione* mentis 13.
β. *Ratione* corporis *per* ABUSUM CREATURARUM 14---31.

† *In* acquisitione 15.
†† *In* fruitione 16—31.
, *Nimis parca per* Avaritiam 16. 17.
„ *Nimis* laxa *per* Prodigalitatem 18—31. *quæ duos fontes habet*
/ Arrogantiam 19—24. *Notanda hic*
— *Vitia, quæ complectitur* 19—23.
= *Fœditas ejus* 24.
// Amorem voluptatis 25—31. *quo referimus*
— Comessationem 26.
= Ebrietatem 27. 28.
≡ Lautitiam 29. 30.
≡ Otium ignavum 31.

α. *Fœditas intemperantiæ* 32.
β. *Quoad regenitos* 33.

II. Virtutes, *per quas exercetur* 34—79.
A. *Fons earum est* Cura *propriæ* Salutis 34. 35.
B. *Effectus inde fluentes* 36—79. *sunt*
1. Exploratio sui ipsius 36—39. *quæ*
a. *Describitur* 36—38.
b. *Momentum ejus indicatur* 39.
2. Autarkeia 40—43. *quæ*

a. De-

a. *Describitur* 40---42.
b. *Momentum ejus indicatur* 43.
3. MAGNANIMITAS 44---47. *quæ*
a. *Describitur* 44---46.
b. *Commendatur* 47.
4. TEMPERANTIA 48---78. *quæ*
a. *Definitur* 78.
b. *Per partes deducitur* 49.
α. *Quoad* mentem 49.
β. *Quoad* affectus *exercetur per* CONTINENTIAM 50---61. *Illa describitur*
א. *Relate ad affectus* 51---57. *quorum requiritur*
a. Incitatio 51.
c. Sedatio per MANSUETUDINEM 52---57.
α. In se *spectatam* 53---55.
β. Spuriæ *oppositam* 56. 57.
ב. *Relate ad* singulos *affectus* 58---61.
γ. *Quoad* corpus *per* USUM legitimum CREATURARUM 62---78.
א. *Ratione* scopi 63.
ב. *Ratione* directionis ad hunc scopum per æquum Dominium in creaturas 64---78. *Huc spectat* moderamen
a. *In* acquisitione earum 65---69.
α. Laboris 65---67.
β. Quietis 68.
γ. Laxamentorum 69.
b. *In* fruitione earum per Frugalitatem 70---78.

α. *Cir-*

a. *Circa* alimenta 71—75.
† *Per* Sobrietatem 71. 72.
†† *Per* Jejunium 73—75.
b. *Circa* tegumenta 76—78.
c. *Momentum Temperantiæ* 79.

I.

Cum peccator per odium veræ ſuæ excellentiæ in ſui ipſius deſtructionem tendat, ab hoc *furore* eum Gratia Spiritus ſancti ſanat, dum omnes illas perverſas diſpoſitiones, quibus ſui ipſius damnum identidem provocat, corrigit & in oppoſitas convertit. Quamvis autem huc quicunque habitus vitioſi, quatenus & *dedecus* & *damnum* naturæ noſtræ inferunt, queant referri, potiſſimum tamen nunc illos duntaxat intendimus, quibus peccator directe in ſe ipſum pugnat & veram perfectionem ſuam impedit.

II. Craſſius id fit per Incuriam, Ἀμέλειαν quæ deſignat *illum perverſum peccatoris habitum, quo & ſuæ perfectionis, & mediorum ad illam promovendam aptorum curam nullam habet.* Hoc vitium omnibus peccatoribus commune eſt, qui *volunt mori* Ezech. xviii. 31. Eſt tamen ſecundum diverſos gradus diſtinctum.

(1) Atrocius in illis conſpicitur, qui in *ſtatu ſecuritatis* degunt, quem Lib. I. cap. 3. §. 18. deſcripſimus, & quibus Scriptura βεβηλότητα, *Profanitatem* tribuit, ut *Eſavo, qui unico edulio vendidit ſuum jus primogenitii* Hebr. xii. 16. Ab hoc vitio gentiles ipſi non immunes erant, invitati per multa beneficia externa Act. xiv. 17.

Sed

Sed multo magis ejus rei sunt, qui plura gratiæ media habent & spernunt, quales erant Judæi per Evangelium invitati Matth. XXII. 5. Prov. I. 25. Act. XIII. 46.

(2) Sed & illi hic tenentur, qui quamvis aliqua salutis cura videantur impleri, tanti tamen eam non æstimant, ut parati sint ad media illa cum abnegatione carnis arripienda, quæ Evangelium præscribit Matth. XIX. 21. 22. Confer *Ignaviæ* vitium Lib. I. c. 9. §. 8. 9.

III. Crimen hoc tanto magis est abominandum:

(1) Quanto major est misericordia divina, quæ viam ad salutem ostendit, & in illam invitat.

(2) Quanto major est ipsa illa salus, quæ negligitur, & extra quam nulla alia reperitur Hebr. II. 3.

(3) Quia nihil turpius est in homine rationis compote, quam *stoliditas*, per quam quasi *obbrutescit*, qui eo usque in propria caussa cœcutit.

IV. Inter *effectus*, quos hæc *Incuria* habet, primum locum occupat INEXCUSABILIS SUI IPSIUS IGNORANTIA, quæ tale vitium mentis designat, quo *non solum intellectus sui ipsius cognitione, quæ requirebatur ad salutem suam promovendam, est destitutus, sed etiam voluntas illa media negligit, quibus hæc ignorantia removeri poterat, atque ab omni scrutinio sui ipsius abhorret.*

V. *Inexcusabilem* hanc ignorantiam appellamus,

(1) Quoniam expugnari posset, nisi perver-

versitas voluntatis .scrutinium sui ipsius refugeret.

(2) Quoniam turpissimam animæ inurit maculam, quæ tot objectis extra se districta, quoad seipsam in tenebris versatur.

VI. Proximum est Pusillanimitas, ὀλιγοψυχία, quæ in sensu generaliori *perversum notat præjudicium, per quod peccator nimis abjecte de seipso sentit.* Præjudicium hoc versatur:

(1) Circa *personam*, quando oblitus originis suæ, mentisque immortalis, nonnisi caduca, quæ excellentem ejus naturam dedecent, sectatur Jes. LV. 2. quod fit per omnes illas pravas concupiscentias, in quas *Philautia* perversa se dividit. Confer Lib. I. cap. 8. §. 10.

(2) Circa statum quoque suum peccator pusillanimitatem exserit in *diffidentia*, *timiditate*, *impatientia*, atque similibus motibus degenerem ejus indolem testantibus, qui alio quoque respectu ad *Intemperantiam affectuum* referri possunt. Et hujus vitii reliquiæ in ipsis fidelibus satis frequentes sunt, quibus ea propter ὀλιγοψυχία tribuitur 1. Thess. v. 14.

VII. Favet huic vitio, quod peccator non videatur nimis abjecte de se sentire posse, quodque nobis ipsis *diffidendi* semper suppetat ratio. Nihilominus excusari nequit

(1) Quod illi, qui imagine Dei adhuc sunt destituti, *partim* ipsas facultates naturales ad longe excellentiorem finem factas & idoneas non agnoscant, *partim* bona, quæ acceperant, turpissime prodigant Luc. XV. 13. XVI. 1.

(2) Quod illi, qui vel minima scintilla gratiæ

tiæ divinæ sunt colluſtrati, ſatis tanti beneficii magnitudinem non æſtiment.

VIII. Potiſſimum vitium, quod ad hanc claſſem pertinet, eſt INTEMPERANTIA, Ἀκρασία, quæ ipſa quoque certa ſpecies eſt *Puſillanimitatis*, quatenus per eam peccator, abjecto Dominio, quod in ſeipſum gerere debebat, in ſervitutem ſui ipſius teterrimam redigitur, unde ſpecialiſſime ſub *Servitutis* ſymbolo ſolet proponi Tit. III. 3. Per illam intelligimus *perverſum peccatoris habitum, quo propriam ſuam tam mentis quam corporis infelicitatem per cœcum obſequium, quod affectibus inordinatis præſtat promovet.*

IX. Supponitur ergo hic ſumma *Affectuum confuſio* in homine peccante per primum peccati actum producta & paulatim aucta, donec totam hominis naturam invertit, digito indicata Lib. I. cap. 3. §. 10. Hic *confuſionis* hujus & *origo* & *indoles* preſſius debent perpendi.

X. Origo ejus eſt ipſa *Voluntatis* ad Bonum apparens inclinatio, orta ex *præjudicio immaturo*, quod Boni, Malique veri & apparentis ideas partim per præcipitantiam, partim per abalienationem a Bono vero, atque inde ſecutam pravam diſpoſitionem permiſcuit, ac loco *Boni intellectualis*, *Bona* tantum *ſenſualia* quærit.

XI Hinc ſecuta eſt ſumma Affectuum corruptio.

(1) *Affectus*, qui in abſtracto *indifferentes*, atque in optimum Finem a Deo ſunt inditi, per abuſum omnes evaſerunt *mali*. Quæ etiam ratio eſt, cur vox Ἐπιθυμίαι, *Concupiſcentiæ*, quam Spiritus S. de *Affectibus* uſurpat, licet ſit

vox

vox media, in sensu tamen malo passim usurpetur Rom. VII. 7. 2. Tim. v. 6. Tit. II. 12. Jac. I. 14. &c. Malitia autem horum Affectuum apparet

(a) Quoniam circa *Bonum* ac *Malum verum* summumque animæ plane sunt immobiles.

(b) Quoniam nonnisi per *Bonum* ac *Malum apparens* corporis, quod in sensus occurrit, excitantur; & quidem ita ut iterum tam in *objecto*, quam in *modo* peccent.

(α) In *objecto* illegitimo, quando in *Bonum vetitum* feruntur, aut a *Malo* abhorrent, quod tanquam *remedium* majoris mali præscriptum est.

(β) Sed & *modus* est *illegitimus*, quoniam ultra, quam objecti legitimi natura ac pretium requirit, sunt incitati, atque ita ipsum illud corporis Bonum, quod intendebant, immoderata objecti sectatione ac fruitione disperdunt.

(2) Accedunt Affectus, qui natura sua *semper mali* sunt, quales sunt *Invidia*, *Vindictæ cupido*, *Desperatio*, cujus summus gradus est Αυτοχειρία, a Stoicis stolide laudata, cum sit indicium extremæ *Pusillanimitatis*, animamque cum corpore simul perdat; unde in regenitos stricte intellecta non cadit.

XII. His quasi tot *dæmoniis* cor obsidentibus *obsequium* peccator præstat Rom. VI. 12.

(1) *Negative*, quoniam illos in cursu suo non inhibet, sed pro lubitu voluntatem jam huc jam illuc temone omni excusso diripere permittit, quod sparsim indicamus, quia in illis quo-

rum-

rumcunque vitiorum particularium reliquorum semina continentur.

(2) *Positive*, quoniam illis omnes suas reliquas tam mentis, quam corporis facultates viresque subjicit.

XIII. Ipsa *mens* Affectuum vinculis, quæ in emphasi sunt *laquei Diaboli* 2. Tim. II. 26. captiva tenetur.

(a) *Intellectus* per illos impellitur ad vanam *Curiositatem*, περιεργειαν, exercendam circa cognitionem rerum, quæ aut captum excedunt, Rom. XII. 3. Col. II. 18. aut vetitæ sunt Act. XIX. 19. aut nulla utilitate pollent, Gen. XXXIV. 1. 2. Act. XVII. 20. 21. præsertim quando ad legitimum finem non diriguntur; atque ita impeditur a rerum magis præstantium & necessariarum notitia.

(b) *Judicium* per falsas objectorum sensualium ideas in phantasia productas obnubilatur, & in errores periculosissimos præcipitatur Ephes. IV. 22.

(c) *Voluntatis propensio* impellitur ad se magis magisque a vero Bono elongandum, & ad suscipiendum cum summa audacia, ruptis omnibus obligationum relationumque suarum vinculis, quicquid concupiscentias malas implere potest Jerem. II. 23. 24.

XIV. *Corpus* sub eadem Affectuum tyrannide tenetur, & ab illis inquinatur, dum Motus impuri in illo per Affectus excitantur, qui Intellectui phantasiam communicati novos semper ad peccandum stimulos menti exprimunt. Quos autem impulsus peccaminosos voluntas *per Cor-*

pus accepit, illos ejusdem *Corporis instrumento* in actum deducit. Pleraque enim peccata, etiam contra Deum, & multo magis contra Proximum, hanc indolem habent, ut ad plenam maturitatem tum demum pertingant, quando mediante corpore in actum deducuntur. Hinc pravi Affectus *concupiscentiæ carnis* dicuntur Eph. II. 3. Gal. V. 16. 1. Petr. II. 12. Maxime autem id locum habet circa illa peccata, quibus directe Odium contra seipsum abstracte a Deo & Proximo exercetur, quo referimus, quicquid ad *intemperantem Creaturarum abusum* pertinet, idque tum quatenus in earum *acquisitione*, tum quatenus in earum *fruitione* homo est occupatus. Utraque via vires corporis, quæ Deo debebantur, creaturis impenduntur & sacrificantur.

XV. Ad *intemperantem* creaturarum *acquisitionem* spectant

(1) *Curæ mundanæ* modum excedentes Matth. VI. 34. Luc. XXI. 34. quæ supprimunt semen Verbi divini Matth. XIII. 22. Marc. IV. 19. sive cogitationes nimis in objecta externa desiderio sint defixæ, sive *sollicitudo* ac *diffidentia* auxilii divini in bonorum temporalium defectu mentem subeat Matth. VI. 25. sq. Phil. IV. 6.

(2) Excessus in *labore*, quo mundana bona quærimus comparare, quando per illum vires exhauriuntur ac tempus præscinditur, quod in thesauris cœlestibus accumulandis salubrius collocaretur Ps. CXXV. 2. Eccles. I. 22. 23.

(3) *Temeritas* seu *Audacia* in periculis subeundis, etiam extra vocationem, Bonorum temporalium obtinendorum caussa.

(4) Omnia

(4) Omnia media prohibita dominium in creaturas extendendi, quæ crimen *Injustitiæ contra proximum* sub se comprehendit.

XVI. Intemperans creaturarum *fruitio* tam in eos cadit, qui *genium* suum *defraudant*, quam in illos, qui ei nimium *indulgent*. Prius fit per AVARITIAM, quæ πλεονεξία & φιλαργυρία dicitur, ac designat *propensionem voluntatis irrationalem in facultates hujus vitæ, qua illæ tanquam Bonum summum cæteris omnibus tam temporalibus, quam æternis bonis præferuntur.* Unde fluit, ut avarus in earum possessione se beatum judicans, eas tantum conservare & augere, non autem rite impendere quærat. Gradus autem varii hujus criminis sunt secundum varias personarum circumstantias. Fœdius est in illis, quibus majores divitiæ affluunt Eccles. IV. 4. Fœdissimum in illis, qui a rerum mundanarum amore alios avocare debent, personis nempe ecclesiasticis Jerem. VI. 13. VIII. 10. 1. Tim. VI. 5. 2. Petr. II. . 14. 15.

XVII. Tanta est hujus vitii turpitudo, ut avaritia *radix omnium malorum* dicatur 1. Tim. VI. 10. Et recte, quoniam avarus omne malum tam morale quam physicum sibi conscivit.

(1) Morale; nam *Mammonis cultor* injustitiæ summæ contra *Deum*, *seipsum* & *proximum* reus fit.

(2) Physicum, quoniam & in hac vita jam miser est, eum licet *divitem se jactet*, *et desint omnia* Prov. XIII. 7. Eccles. VI. 11. & *camelus facilius per foramen acus transeat*, quam ut talis, licet dives sit, in Regnum Dei intret Matth.

xix. 24. Ephes. v. 5. Prov. xxviii. 22. Jac. v. 1. 3.

XVIII. Oppositum *Avaritiæ* extremum est Prodigalitas Διασκορπισμός, sive illa *perversa voluntatis propensio, qua facultates hujus vitæ Deo conteſſæ non rite ad verum ſcopum impenduntur, ſed per varium abuſum ad cupiditates varias implendas diſperduntur* Prov. v. 10. Luc. xv. 13. Hujus vitii diversæ sunt causſæ, scilicet aut *Honoris mundani* aut *Voluptatis amor*, quæ contra Avaritiam sæpe militant, eamque supprimunt.

XIX. *Honoris mundani Amor* duo vitia sibi admodum affinia comprehendit *Ambitionem* & *Arrogantiam*. Per Ambitionem, quæ stricte dicitur φιλοδοξια, intelligimus *irrequietum, gloriam, honorem, titulos, προεδρείαν obtinendi deſiderium*. Arrogantia autem Καυνότης seu ὑπερηφανία appellatur *faſtuoſus ſuam præcellentiam oſtentandi conatus*. Non semper illa ex interna superbia oriuntur, nam & in illos cadunt, qui de sua indignitate convicti sunt, ac nihilominus aliis prævalere volunt. Passim quidem cum injustitia contra Proximum conjuncta sunt, varieque tam *Politiam* quam *Eccleſiam* perturbant; sed multas tamen actiones etiam comprehendunt, per quas Proximus non tam directe læditur. Huc præcipue spectat *Affectatio*, vana *Gloriatio*, *Luxuria*, & inane *Famæ aucupium*.

XX. Affectatio μεγαλαυχία, ὑψαυχία propria est tum *gestibus* tum flexioni *vocis*, quando ex illis tanquam signis animus altum aliquid spirans agnoscitur. Huc pertinent *oculi elati & palpebræ ſe extollentes* Prov. vi. 16. xxx. 13.

ambu-

ambulare extento gutture & nutare oculis Jes. III. 17. nec non staturæ & formæ præstantioris præjudicium.

XXI. GLORIATIO vana seu JACTANTIA, Καύχησις, Γαυσίαμα comprehendit

(1) *Verba* quæcunque thrasonica, quibus aliquis proprias laudes ebuccinat. Esth. V. 11. Dan. IV. 30. Prov. XX. 6. Matth. XIX. 20.

(2) Facta, quæ cum in occulto fieri deberent, in propatulo eduntur, ut quis *gloriam consequatur ab hominibus* Matth. VI. 2.

XXII. LUXURIA, περαπήησις, *ostentatio*, est vitium, quod *divitias impendit ad splendorem coram aliis ostendendum*. Sub honesto *Magnificentiæ* titulo id passim latet, quamvis revera nonnisi in mediocria ingenia cadat, quæ quo eniti per bona naturalia animi aut corporis nequeunt, per bona fortunæ pervenire contendunt. Huc spectat

(1) Luxus in pretiosis vestibus Jes. III. 17. sq. 1. Tim. II. 9. 10. 1. Petr. III. 3.

(2) Luxus in superbis ædificiis & suppellectile. Eccles. II. 5. 6. 7.

(3) Luxus in magnificis conviviis Luc. XVI. 19.

(4) Luxus in numeroso servitio & comitatu, παραπομπὴ, Φανταsία Eccles. II. 8.

XXIII. FAMÆ AUCUPIUM comprehendit *desiderium celebris nominis ex ingenio aut factis præclaris tum in mundo præsenti, tum apud posteros comparandi.* Hoc vitium excellentiora ingenia sæpe inficit, præclara facinora sordida reddit, & cupidini sobolis immodicæ, industriæ artificum, eruditionis amori, scriptioni librorum,

inventisque ad vitæ humanæ commodum utilissimis adhæret.

XXIV. Vitium hoc Deus odio habet Prov. xv. 5. & severe interdicit Job. xl. 6. 7. Jerem. ix. 23. Et certe non solum honorem Deo debitum intervertit, verum etiam solidum honorem, cujus homo capax est, eliminat; quoniam eo facit, ut stultitia ejus appareat, qui pro Junone nubem amplectitur, & in rebus fragilibus subsistit, quæ infra dignitatem animæ rationalis subsidunt.

XXV. Strictissime ad *Intemperantiam* referri solet *Amor voluptatis* seu φιληδονία, quam concupiscentia carnis gignit, quæque involvit *desiderium immoderatum talium rerum, quæ ad* corporis aut *sustentationem aut delectationem pertinent.* Huc pertinent præcipue *Comessatio, Ebrietas, Mollities* & *Pigritia.*

XXVI. Comessatio, quæ etiam Κραιπάλη *Crapula* dicitur Luc. xxi. 34. & κῶμος Rom. xiii. 12. Gal. v. 21. exprimit non solum vitium, quo *plures*, quam conservatio corporis sani requirebat, sed etiam *magis exquisitæ dapes* appetuntur, ut appetitus identidem de novo irritetnr. Minus id fœdum multis videtur, quam Ebrietas, quia rationis usum non ita obnubilat. In locis tamen citatis cum eo conjungitur, ut æque exosum esse Deo liqueat. Adde Sirac. xxxvii. 29. xxxi. 20. Jes. xxii. 13. 14.

XXVII. Ebrietas, quæ in N. T. Πότος & Μέθη & Οινοφλυγία audit, *abusum intemperantem potus designat*, qui varios gradus habet, tam se-

cun-

cundum *actum*, quam secundum *personas*, quæ crimen hoc committunt.

(1) Quoad *actum distingui* possunt

(a *Potatio* simplex eorum, qui ultra modum vino aliove delicatulo potus genere se ingurgitant, etiamsi mentis obnubilatio non sequatur: quo etiam referas & *poculum hilaritatis*, quod a *poculo sanitatis* distingui solet, & usum *antipharmacorum* ad ebrietatem arcendam.

(b) *Vinolentia*, qua multum bibendo habitus contrahitur Jes v. 21.

(c) *Ebrietas* stricte dicta, usum rationis minus magisque obnubilans.

(d) *Ebriositas*, qua turpissimum vitium in talem consuetudinem abiit, ut curari amplius non possit.

(e) *Compotatio*, qua homines se invicem Circeis quasi potionibus in bestias, quin Diabolos, transmutant.

(2) Quoad *personas*, cum nihil sit *sordidius* Ebrietate, gravius per illam peccant in dignitate constituti tam politica Prov. XXXI. 4. 5. quam ecclesiastica 1. Timoth. III. 3. Confer Lev. x. 9. 10.

XXVIII. Severe hoc peccatum vetitum est in verbo Dei Prov. XXIII. 29. seq. Jes. v. 11. 1. Thess. v. 7. 1. Cor. v. 11. VI. 10. Gal. v. 19. 20. 21. Et inter opera tenebrarum, quæ filios lucis summopere dedecent, recensetur Rom. XIII. 12. 13. Nihil sane vesanius est, quam

(1) Id, quo Deus hominem super omnia reliqua animantia excellere & ad summam beatitudinem idoneum reddere voluit, Rationem

& Conscientiam, studiose obnubilare & suffocare.

(2) Ei crimini se tradere, per quod tam lubricus in quæcunque alia crimina, atrocissima non exceptis, progressus datur.

(3) Proximo aut risum, aut si honestati magis est deditus, nauseam, aut scandalum summum exhibere &c.

Quæ tanti sunt ponderis, ut quibuscunque exceptiunculis, ac distinctiunculis, quas homines mundani circa hoc peccatum exputarunt, populites facile præscindantur. Qui vero prætextu Ebrietatis alia crimina per illam commissa extenuare quærit, tantundem, scite monente *Puffendorfio* facit, ac *conquerens de imbre in domum descendente, qui tectum suum per petulantiam ipse dejecit.*

XXIX. Mollities, seu *Lautitia*, העגוג *Deliciæ*, in malo sensu, quæ Græcis dicitur τρυφηρότης, τρυφή, consistit in *nimia sectatione quarumcunque rerum ad vitam delicate ac laute ducendam pertinentium sensusque varia voluptate perfundentium.* Huc plurima possunt referri superflua, quibus facultates impenduntur.

(1) *Ornatus* nimium studium in vestitu, ædificiis, hortorum cultura, picturis, sculpturisque egregiis, &c. ut oculi habeant, quod eos delectet Eccl. 11. 8.

(3) *Unguentorum* prodigus usus Prov. xxi. 17.

(4) *Appetitus* nimius rerum *palato* gratarum, etiam quando negatæ sunt Num. xi. 4. 5. 6.

(5) *Vestium & stragulorum mollities* Matth. xi. 8. Luc. vii. 25. Prov. vii. 16. 17.

(6) Ni-

(6) Nimia in *lætitiam*, *carnalem*, *risum*, aliaque signa animi levis ac deliciis diffluentibus propensio Luc. XII. 19. Eccl. II. 1. 2. VII. 3. 5.

XXX. Quam invisa Deo sit talis vita, quæ verum creaturarum concessarum scopum plane invertit, liquet ex severis judiciis, quæ talibus imminent Luc. XVI. 19. 25. Eccles. XII. 7. Quod eo magis timendum, quoniam hæc peccata *lasciviæ* atque *impudicitiæ* pabulum sunt. Non parum tamen hæc peccatorum genera per circumstantias aggravantur. Tales sunt

(1) Quando facultates in delicias hasce profunduntur, ut aut inopia, aut saltem defraudatio aliorum, ac neglectus officiorum, quæ pauperi debemus, inde sequatur.

(2) Quando in singulos dies vita hæc splendida continuatur 2. Petr. II. 19.

(3) Quando judicia divina ingruunt Amos VI. 3 -- 6. Jac. V. 5.

XXXI. PIGRITIAM a פגר *lasso* nominatam, seu *otium ignavum*, עצלות, ἀεργίαν, in sensu strictiori hic appellamus *aversationem laboris honesti conjunctam cum temporis per res nauci consumti dispendio.* Dupliciter ergo piger peccat.

(1) Dum dormiendo, somniando, oscitando demandatum opus negligendo, nihil frugi agendo, tempus fallit.

(2) Dum tædio laboris levissimis *nugis* occupatur, sive otiosis cogitationibus, librorum vanorum lectione, rerum futilium scrutatione, deambulationibus, spectaculis, privatim se ipsum occasione in melius proficiendi spoliet, sive con-

sortio inutili proximi simul damnum promoveat.

XXXII. Vitium hoc Salomo impense exosum reddit Prov. VI. 9--11. XXIV. 30--34. Et merito.

(1) In genere enim non solum tempus pretiosissimum, cujus jactura est irreparabilis, & vires a Deo concessæ ad scopum nobiliorem turpiter disperduntur; sed etiam ad *vitia radicalia* Pigritia est referenda Nam *otia dant vitia*, quia voluntas nostra nequit in æquilibrio subsistere.

(2) Specialius ad criminis aggravationem pertinet

(a) Quando Deus *charismata* ac *dona naturalia* præ aliis concessit.

(b) Quando *juventutis* ver, quod ad comparandam utilium rerum scientiam aptissimum est, negligitur.

(c) Quando munus cuipiam est demandatum, cujus neglectus cum damno Reipublice tam ecclesiasticæ quam civilis est conjunctus.

XXXIII. Ex dictis eluceſcit, quod *Intemperantiæ* Regnum ita late pateat, ut varie ipsi fideles per illam inquinari possint, quoniam sub ea comprehenduntur omnes pravarum affectuum exercitus, qui proxime *carnem* illam constituunt, quacum luctandum habent Gal. v. 17. Singularia specimina peccatorum huc facientium in ipsis regenitis sunt:

(1) Reliquiæ *avaritiæ* per curam nimiam rerum mundanarum in discipulis Christi Marc. VIII. 17. 18.

(2) Re-

(2) Reliquiæ φιλοτιμίας in ambitiosis desideriis matris filiorum Zebedæi Matth. XX. 21. & in arroganti Hiskiæ ostentatione 2. Reg. XX. 13.

( ) Reliquiæ φιλησυχίας non solum in crassiori Salomonis mollitie, sed etiam in quacunque declinatione & aversatione viæ durioris, in qua Christus suos, sæpenumero se jubet sequi Cant. V. 3.

XXXIV. Generalis virtus, quam e contrario rationalis *sui ipsius Amor* immediate producit, est CURA PROPRIÆ SALUTIS, in eo consistens, *ut anima fidelis, postquam per illuminationem Spiritus sancti rite intellexit, quid ad veram sui ipsius perfectionem pertineat, serio omnibus illis mediis utatur, quæ ad hanc perfectionem conservandam atque promovendam pertinent.* Ex hac definitione liquet, quod sub illa comprehendi queant omnia Fidei & Sanctitatis veræ officia. Cum tamen quædam huc *mediate* tantum spectent, quorum scilicet proximum objectum Deus atque Proximus est; heic illa in censum veniunt, per quæ immediate aliquis in salute vera occupatus est, sive versetur in sui ipsius excellentia cognoscenda per *Explorationem sui*, sive in illa rite æstimanda per αὐταρκείαν & *Magnanimitatem*, sive in ea custodienda per *Regimen sui ipsius* seu *Temperantiam.*

XXXV. Injunctio hujus virtutis sæpe occurrit Luc. XIII. 24. Joh. VI. 27. etiam restricte ad illos, qui initia gratiæ jam habent Matth. VI. 33. Luc. X. 41. 42. Phil. II. 12. adeoque inter *fructus fidei* merito adnumeratur.

(1) Illi maxime id debent pretioso illi dono, quod cum spe salutis acceperunt.

(2) Illi

(2) Illi soli vires ad hoc officium necessarias per novæ vitæ productionem adepti sunt.

(3) Neque eos retardabit, quod periculo aeternæ condemnationis erepti sint. Expositi enim adhuc sunt periculo obscurationis, spei suæ variisque perfectionis suæ obstaculis, a quibus expediri adeoque plenis velis portui summæ felicitatis magis atque magis appropinquare gestiunt.

XXXVI. EXPLORATIO SUI IPSIUS, Δοκιμασία, *est occupatio regeniti in seipso penitius cognoscendo, ut rectum judicium tum de statu suo, tum de officiis ei competentibus formare queat.* Quomodo illa spectari possit ut medium antecedaneum ad veram Conversionem, Cap. 1. §. 10. sq. visum est. Hic illa comprehendit officium regeniti, quo frequenter defungi debet.

XXXVII. Duplici autem ratione circa Cognitionem sui ipsius occupatur. Aut enim generali *Meditatione* circa se ipsum versatur, quatenus se tanquam opus manuum Domini in natura & gratia considerat, quod ad Cultus Dei certam speciem retulimus Cap. v. §. 66. aut circa seipsum ea præcise fini est occupatus, ut *vocationem atque electionem suam firmam reddat* 2. Petr. 1. 10. Id hujus potissimum loci est, atque eo pertinet:

(1) Ut ante omnia *certitudinem gratiæ* per iteratam, quoties novi dubitationum fluctus oriuntur, *criteriorum* recensionem conservare ac redintegrare conemur. *Ad sciendum, quid Deus nobis gratificatus fuerit* 1. Cor. 11. 12. Hoc inculcatur 2. Cor. XIII. 5.

(2) Ut indagemus, quomodo opus gratiæ in nobis

nobis se habeat, & an forte in statu *sanitatis*, aut *ægritudinis* versemur, quo spectat *Spiritus judicii* Jes. IV. 4. qui sæpe consulendus, præsertim, quando singularia Dei *beneficia & judicia* nos invitant atque impellunt.

(3) Ut ad quodcunque opus bonum, cum primis quod majoris momenti est, nos *præparantes* examinemus, an ad illud suscipiendum idonei simus. Luc. XIV. 28--32. 1. Cor. XI. 28.

(4) Ut opere *peracto* inquiramus, an illud rite peractum fuerit Ps. CXIX. 59.

XXXVIII. Ad *Explorationis* hujus optatum successum

(1) Prærequiritur, ut fallaciam cordis nostri agnoscentes Deum *Scrutatorem renum* in auxilium vocemus Ps. CXXXIX. 23. 24.

(2) Sub illa diligens comparatio & dispositionis cordis nostri & actionum nostrarum, sepositio omni carnis præjudicio, cum præscripto Legis divinæ instituatur Jac. I. 23. 24. Accedat attentio ad internam Spiritus sancti pædagogiam Jes. XXX. 21.

(3) Denique sententiam fideliter de nobis ipsis formare & convenienter ei agere debemus Jac. I. 25.

XXXIX. Summum hujus officii momentum est.

(1) *Necessitas* ejus liquet ex intimo, quod ei cum vera fide intercedit, vinculo. Fides prærequiritur, quia ad agnoscendum bona spiritualia oculus Fidei debet intendi. Fides porro per id promovetur, quoniam actus Fidei reflexus citra hoc scrutinium nunquam potest exseri. Fides quoque

que pretium acceptæ gratiæ ob oculos ponit, & ſtudium ad illam conſervandam acuit. Quin omne exercitium gratitudinis hanc Explorationem ſupponit.

(2) Sed & *æquitas* ejus in ſe ſpectatæ patescit.

(a) Ipſum lumen rationis hoc *noſce teipſum* e cœlo deſcendiſſe gentiles docuit.

(b) Nihil decentius eſt, quam ut id, in quo ſumma noſtra excellentia conſiſtit, primo loco agnoſcere contendamus.

XL. Αὐταρκεια, quam Vulgata reddidit *ſufficientiam*, ſed potius *Acquieſcentiam ſanctam in ſe* nominare poſſemus, cum ſynonymum ſit Ἡσυχίας *Quietis*, eſt illa *virtus regenitorum, per quam perſuaſi de omniſufficientia Dei, quem ſuum Deum evaſiſſe deprehendunt, in hac ſua prærogativa ita acquiescunt, ut nullis rebus aliis ſe extra Deum indigere agnoſcant, & propterea ſerena mentis tranquillitate fruantur.*

XLI. *Materia* ergo ſeu *fundamentum* hujus virtutis eſt duplex perſuaſio.

(1) Primo αὐτάρκης communis ſuæ cum Deo ex fructibus perſuaſus eſſe debet 1. Tim. VI. 6. Secundum gradus ergo hujus certitudinis ipſa *Acquieſcentia* minor majorve eſſe ſolet. Initia tamen ejus in minimo etiam Gratiæ modulo adſunt.

(2) Accedere debet plenior de omniſufficientia Jehovæ, omniumque creaturarum egeſtate convictio, quæ oſtendit, quam facile creaturis carere poſſit, qui Creatorem poſſidet.

XLII.

XLII. Ad ipsum virtutis hujus exercitium referimus:

(1) Ut ille, qui Deo se unitum esse animadvertit, *in Deo suo sibi benedicat* Gen. XXII. 18. XXVI. 4. Jes. LXV. 16.

(2) Ut ductui se plane resignet, nihil a creaturis neque sperans neque timens, quæ est vera animi TRANQUILLITAS, & Conscientiæ bonæ fructus, tantopere a Gentilium Philosophis laudatus, sed solis credentibus donatus Prov. XV. 15.

(3) Ut id actu ipso ostendat in rebus prosperis se non efferens, in adversis animum non despondens, & in modico magis rerum statu sorte sua contentus Phil. IV. 11. 12. 13. Hebr. XIII. 5. 2. Thess. III. 12.

XLIII. Ad virtutis hujus pondus ostendendum notamus:

(1) Quod in Virtutum *catena* deesse nequeat. Genuinus est *Fidei* fructus, quoniam illam *persuasionem* pro fundamento habet, quæ Fidei potissimum robur constituit. Et fœcunda totius *Sanctificationis* promovendæ mater est. Αυτάρκης enim nullis tentationibus, nec per abundantiam, nec per penuriam, latum unguem ab officio suo deturbabitur, exemplo Mosis Hebr. XI. 24--26.

(2) Summa quoque *æquitate* nititur.

(a) Hunc honorem Deo debemus, ut agnoscamus illius favorem ad tranquille vivendum sufficere.

(b) Singulare pondus excellentiæ inde animæ credenti accedit, cujus *divitiæ*, *libertas*, *nobilitas*, quam Gentiles fastuose *Sapienti* tribuerunt, in hac interiori serenitate sita est.

(c) Ec-

(c) Ecclesiæ N. T. hæc facies potissimum convenit, quia *Sabbatismum* ejus verum comprehendit

XLIV. Magnanimitas, Hebræis in sensu strictiori גריבר, *Spontaneitas*, nec non ארך, *Magnitudo eximia*, *Aristoteli* μεγαλοψυχία, Lucæ ἐυγένεια Actor. XVII. 11. comprehendit illam *ex Deo nati virtutem, qua nobilitatis ac prærogativarum suarum sibi conscius non solum abstinet ab illis curis & actionibus, quæ infra dignitatem ejus sunt, sed etiam talia meditatur, loquitur, agit, quæ cum tanta excellentia conveniunt.*

XLV. *Fundamentum* hujus Virtutis conficiunt masculi conceptus, quos *Magnanimus* per illuminationem Spiritus sancti accepit:

(1) De *sua ipsius præcellentia*, qua se considerare potest ut ex Deo genitum, maximi honoris, ut regale Sacerdotium, civem cœlestis patriæ, amicitiæ cum Deo consortem, maximarum opum partim possessorem, partim hæredem.

(2) De rebus extra se, de Deo, de quo nihil humile cogitat; de cœteris creaturis, quarum verum pretium ex vestigiis divinæ gloriæ illis impressis, & ex fine, ad quem productæ sunt, agnoscit.

XLVI. *Exercitium* Magnanimitatis in eo consistit, ut quis ἀξίως *digne*, id est, convenienter statui atque relationibus suis vivat & operetur Eph. IV. 1. Phil. I. 27. Col. I. 10. I. Thess. II. 12.

(1) *Negative* id fit, quando res terrestres desiderio ac sollicitudine per se indignæ æstimantur; Phil. III. 7. 8. quando pericula, damna, afflictiones carnis, injuriæ ab aliis illatæ, pensi non haben-

bentur Rom. VIII. 35 -- 37. quando in verbis, gestibus, cultuque corporis nihil leve apparet, quod alias *Gravitas* Σεμνότης, seu *Modestia* solet appellari.

(2) *Positive* huc referimus,

(a) Beneficia omnia divina, atque eapropter & præcellentiam, quam *communio cum Deo* confert, maximi æstimare.

(b) Lucem gloriæ, quæ in corde effulsit, constanti vitæ tenore de se spargere Matth. v. 14. Phil. II. 15.

(c) Irretorto vultu atque pede pro nominis divini gloria stare & decertare instar *leonis juvenis* Prov. XXVIII. 1.

(d) Istud denique πλεῖσον, *eminentius*, quavis data occasione ostendere, quo Servator noster discipulos suos & a Pharisæis & a Philosophis gentium distingui voluit Matth. V 20. 47.

XLVII. Quando hæc Virtus excellens atque glorioſa

(1) *In nexu suo* consideratur, adeo Fides inhæret, ut ejus defectus indicium certum sit deficientis Fidei. Egregium ab eadem adminiculum Sanctificatio accipit- quoniam magnanimus præcepta Domini nunquam dura esse conqueretur, sed quo quid *difficilius* est in obedientia Dei & sequela Christi, eo *pulchrius* id esse censebit.

(2) Verum & in se spectatæ pulchritudo apparet.

(a) Quoniam in talibus *majestatis* divinæ imago, & exemplum præambulonis Christi magis relucet.

(b) Quoniam per tales splendor Ecclesiæ veræ

promovetur, ac sæpe ipsis mundanis hominibus reverentia atque timor incutitur.

(c) Quoniam id cumprimis convenit fidelibus N. T. Ps. cx. 3. Cant. VII. 1. Zach. IX. 15. 6. X. 3. Id enim requirit Spiritus servitutis in Spiritum adoptionis mutatus, discrimen personarum sublatum, cœlestis denique facies, quam Regnum Dei induit.

XLVIII. TEMPERANTIA, σωφροσύνη, quæ Tit. II. 12. tam late extenditur, ut omnia officia, quæ homo sibi ipsi debet, comprehendat, totumque *spirituale Regnum* in se ipsum indigitat, est *ille habitus a Spiritu sancto productus, quo regenitus proprias tam mentis facultates actiones & affectiones, quam corporis motiones ita sancte moderatur, ut singulæ partes per legitimum earum usum scopo suo respondeant, summaque pro modulo suo perfectione gaudeant.* Unde liquet duo potissimum *Temperantiæ* munia esse. Nam

(1) *Hinc* facultates mentis illis vinculis exsolvit, quæ ei per affectus ipsumque corpus injecta sunt, dum *intellectum* ac *voluntatem* veræ *Libertati* restituit.

(2) Inde autem habenas tam *Affectuum* quam ipsius *Corporis* de novo arripit, omnesque motus utriusque intra justos cancellos coërcet.

XLIX. Incipit ergo *Temperantia* a mente, unde *Prudentiam* aliquando denotat Matth. X. 16. & τῷ μαίεσθαι *furori* opponitur 2. Cor. V. 13.

(1) Quando *intellectus* occupatur circa talia objecta, quæ Deus vult ut indagemus, & per quorum perceptionem utilitas certa exspectari potest

potest Ps. CXXXI. 1. Deut. XXIX. 29. Rom. XII. 3.

(2) Quando *voluntas*, ubi aliquid potest, non plus vult, quam potest, non solum quoad *factum*, sed etiam quoad *jus*; & ubi nihil potest, nihil vult, quod per *Spiritum* σωφρονισμῦ intelligitur 1. Tim. 1. 7. Confer 2. Cor. V. 13.

L. Reddita mens suæ libertati Affectuum temonem apprehendere debet per virtutem, quæ solet CONTINENTIA, ἐγκράτεια nominari. Per illam enim regeniti paulatim adsuescunt *affectus suos non exstirpare, sed potius secundum præscriptum illuminatæ rationis atque normam verbi divini dirigere*; dum hinc illos suscitant ad officia illa, quibus conscientiæ tranquillitas procurari atque conservari potest, serio implenda, inde, ubi extra limites exorbitant, frænum iisdem injiciunt.

LI. *Incitatio affectuum* requiritur, propter *ignaviam*, *tarditatem & teporem*, qui illis ad omne bonum opus a natura inest Lib. 1. c. 9. §. 7. 38. 45. quique per oppositas virtutes, quas ibidem commemoravimus, ac sigillatim *Zelum*, expugnari debet. Quo præcipue spectat repetita identidem ἀναζωπυρώσις, quæ 2. Tim. 1. 6. commendatur.

LII. *Sedatio affectuum* requiritur, tum quoad illos, qui per naturam suam semper *mali* sunt & plane debent erui; tum quoad illos, qui legitimum usum habent & tamen sæpiuscule coërceri debent, sive quando suscitati sunt per objecta, quæ id plane non merebantur, sive quando plus sunt commoti, quam objectorum in-

doles permittit. Sed *sedatio* & *æquatio* mentis est, de qua agitur Ps. cxxxi. 2. Cum autem sedatio hæc peculiare Animi robus partim in rebus *secundis*, partim in *adversis* requirat, hinc variæ specialiores Virtutes, ac sigillatim *Mansuetudo*, oritur, quæ quamvis passim soleat ad malorum, quæ a Proximo eveniunt, tolerantiam referri, longe latius tamen patet.

LIII. Mansuetudo, *Lenitas*, ענוה, Πραΰτης, Πραότης, est illa Virtus, *per quam regenitus ex sensu humili, quem de seipso ac rebus omnibus extra Deum habet, sibi cavet, ne ab externis objectis ex quiete sua facile disturbetur, ac sigillatim in mediocri rerum suarum statu, in defectu bonorum tam corporalium quam spiritualium, voluntati divinæ se totum resignat, in id unum intentus, ut officio suo defungatur.*

LIV. Hæc definitio convenit cum nominum rationi, tum vinculo, quod mansuetudini intercedit cum *Humilitate* Matth. xi. 29. & *Tranquillitate* 1. Petr. iii. 4. tum nexui, in quo occurrit Jac. i. 21. ubi omnibus *sordibus & excrementis malitiæ* τῆς ῥυπαρίας, qui fluctui maris ventis agitato sunt similes, opponitur. Adde Jac. iii. 13. ubi stat contra *invidiam*, & 1. Petr. iii. 15. ubi ad *confessionem* veritatis refertur.

LV. Nihil hac virtute pulchrius est.

(1) *In nexu* considerata genuina filia est *Humilitatis*, nec non *Fidei* ac *Spei*, objectis excellentioribus, quam quæ sub oculos cadunt, intentæ; & singulare robur addit proposito constanter in quocunque officio pergendi. Quare ei τὸ ἀφθαρσίαν, *immunitas a corruptione spirituali*, pro-

propter constantiam in stadio Fidei & Sanctitatis, quam conciliat, tribuitur 1. Petr. III. 4.

(2) *In se* quoque considerata Mansuetudo Virtus est maximi æstimanda.

(a) Deo hunc honorem dat, ut ipsi soli vehementissimos motus reservet; atque tam suam, quam aliarum creaturarum ἀδένειαν agnoscat.

(b) Exprimit ad vivum exemplum Christi Zach. IX. 9. Matth. IX. 9. cujus umbra duntaxat tenuis in Mosis lenitate fuit Num. XII. 3.

(c) Convenit potissimum fidelibus N. T. qui ut *mansueti* describuntur Jes. LXI. 1. Ps. XXV. 9. LXII. 4. 12. LXXVI. 10. Matth. V. 5.

LVI. Distingui autem debet a *Mansuetudine spuria*, seu ἀπαθείᾳ Stoica, quæ est aut *stupor* ac *tarditas*, quædam naturalis, consistens *in ignobili animi circa quæcunque objecta indifferentia*; aut *coacta* quædam *unius affectus* per *alium* licet magis occultum, vehementiorem tamen, *oppressio*; aut *fallax* sui ipsius per vanam in Deo fiduciam illusio; aut *ficta* & hypocritica laudis illius, quæ moderatis ac mansuetis tribui solet, *affectatio*.

LVII. Ab his omnibus se distinguit *genuina Mansuetudo*.

(1) Oritur enim ex intima persuasione de officio nostro, quo non ab objectis externis, sed a solo Deo, qui illa moderatur, dependere debemus.

(2) Non solum in quibusdam occasionibus, quæ non multum carnis nostræ motibus perversis adversantur, sed semper, etiam per illorum motuum,

tuum, qui altiores radices egerunt, coërcitionem exerceri debet.

(3) Vera Manſuetudo non præjudicat zelo ac vehementiori animi ſuſcitationi, quando officium noſtrum exigit, ut gloriam Dei tueamur. Sic in maxime manſuetis Moſe, Davide, Elia, ipſoque Chriſto, ubi res Dei agebatur, maximus emicuit zelus.

LVIII. Ut autem dignoſcatur, quando coërcendi, poſt Preces ac Verbi Dei meditationem nihil magis commendatum eſſe debet, quam *rectum de objectorum qualitate judicium*, circa quod tum ipſum ejus *argumentum*, tum *tempus* notari meretur.

(1) *Argumentum*, circa quod judicium verſatur,

(a) Examinat, an objecta mereantur aliquam animi noſtri commotionem, id eſt, an talia ſint, ut ſecundum ordinem inter nos & illa a Deo poſitum aliquid ab illis ſperare ac temere queamus.

(b) Quando id non apparet, affectus compeſcendi: ſi autem jure alterutrum exſpectandum ſit, porro inquirendum, cujus generis ac quantum ſit Bonum, Malumve, quod ab illis imminet.

(2) Circa *tempus* obſervamus, quod conducat frequenter nobis omnium objectorum externorum noſtrique ipſorum dependentiam a Deo in animum revocare. Maxime tamen ad ſcrutinium hoc per primas impreſſiones, quas affectus hi in animum noſtrum faciunt, invitamur.

LIX.

LIX. Quomodo hoc Judicium circa singulos Affectus recurrat, paucis Affectuum generalium exemplis illustrandum est. Sic *Admiratio*

(1) *Incitanda*, quando versatur circa Deum, circa ejus perfectiones atque operationes Job. XLII. 3. Ps. CXXXIX. 6. ac sigillatim circa magnalia ejus in Regno Gratiæ Ps. CXVIII. 23. In illo *admirabilis* illa Lux accensa est 1. Petr. II. 9. a qua Messias ipse vocatur *Admirabilis* Jes. IX. 9.

(2) *Cohibenda* circa creaturas, quæ quando in causis suis considerantur, nihil admiratione dignum exhibent. Quicquid enim caro per ignorantiam aut præjudicia corrupta admiratione dignum judicat, fideles in *vanitate* sua, quæ omnibus rebus extra Deum consideratis inest, spectatum vilipendunt per *spirituale judicium* 1. Cor. II. 15. Exemplum ejus occurrit Apoc. XVII. 6. 7. 8.

LX. *Desiderium*, quod est affectus amoris,

(1) *Incitandum* versus omne id, quod *verum & bonum* est, adeoque potissimum erga tale objectum, in quo *prima veritas summaque bonitas* perfectissime conjunctæ sunt; ac deinceps versus omnia media, quæ ei subordinata sunt, idque convenienter ordini, in quo posita sunt.

(2) *Cohibendum*, tum respectu *Summi Boni*, ne ulterius quam modulus noster capit, Deum possidere quæramus, uri faciunt, qui decreto divino præcurrunt, qui in hac vita plenius Deo uniri cupiunt, quam corrupta natura permittit,

qui terminum plenæ redemtionis cum corpore mortis abbreviari vellent ; tum respectu *Boni subordinati*, ne illud desideremus, quando Dei sapientia ejus usum negat, neve medium minus necessarium intensius desideremus, quam magis necessarium, aut in Bono subordinato nimium subsistamus.

LXI. *Aversatio*, affectus odii desiderio oppositus,

(1) *Incitanda* contra id, quod falsum malumque *summum* ac proprie dictum est, quod revera solum est error & peccatum, ac præcipue illud, quod proxime adjacet & altissime carni nostræ inhæret ; nec non omnia, quæ in peccatum illicere possunt.

(2) *Frænanda*, quando nimius horror contra afflictiones & castigationes carnem occupat, quibus sapientia divina ut antidotis contra venenum peccati nos munire vult.

LXII. Per Affectus communio animæ cum corpore exercetur, adeoque imperfectum esset eorum regimen, nisi per illos *Corpus* quoque rite conservaretur. Cum autem *Corporis conservatio* nonnisi per legitimum *creaturarum* sensibus obviarum & ad illam nobis concessarum *usum* obtineri possit, ille nobis impense commendatus esse debet. Huc duo pertinent, *primo* ut *scopus*, in quem creaturæ illæ nobis concessæ sunt, perpendatur ; *deinceps* ut ipse creaturarum singularum *usus* ad hunc scopum *dirigatur*.

LXIII. *Scopus* usus creaturarum alius esse nequit, quam adaptatio corporis per illas, ut idoneum animæ ad gloriam Dei promovendam instru-

strumentum sit. Hoc vere est *vas suum possidere in sanctificatione & honore* 1. Thess. IV. 4. & *inculpate illud conservare* 1. Thess. V. 23. instar *vasorum testaceorum* ad cultum umbratilem purificandorum.

LXIV. *Directio* creaturarum ad hunc scopum est ipsum *Dominii in creaturas* exercitium, quod regenitis per Christum cum restitutione imaginis divinæ est redditum 1. Cor. III. 21--23. Hoc præcipue in Novo Testamento prudentem requirit administrationem. In illo enim jus Dominii in creaturas Christo in manus est traditum Ps. VIII. 7. 8. 9. Quare & omne discrimen creaturarum est sublatum, quo Regimen hoc olim limitatum fuerat Col. II. 20--22. Tam late autem id patet, quam late se extendunt creaturæ sensibus nostris obviæ. Duplex earum genus est. Sunt enim aut rationales aut irrationales. Ad priorem classem spectat corpus proximi, circa quod *Temperantiæ* exercetur per *Castitatem*, de qua infra suo loco. Sub posteriori continentur quæcunque *creaturæ irrationales*, quibus ad vitæ temporalis tum *necessitatem* tum *commoditatem* uti possumus. Circa illarum tum *acquisitionem* tum *fruitionem* Temperantia justum modum ponit.

LXV. Ad *acquisitionem* rerum hujus vitæ referri debet *Labor*, ad quem unumquemque obligat

(1) Præceptum divinum jam ante lapsum datum Gen. II. 15. ac deinceps repetitum Gen. III. 19. Prov. X. 4. XIII. 4. etiam sub N. T. 2. Thess. III. 12.

(2) Natura nostra, cujus sanitas tam quoad

mentem, quam quoad corpus, per Laborem optime conservatur.

( ) Relatio nostra ad societatem humanam.

(4) Exempla & ipsius Dei & Sanctorum, quos inter Paulus eminet.

LXVI. Temperantia autem circa Laborem jubet primo loco, ut Labor ille versetur circa rem legitimam Deoque placentem. *Operari* debemus *Bonum manibus nostris* Eph. IV. 28. Supponit ergo, ut talis vitæ functio eligatur, quæ sit Legi Dei conveniens, viribus nostris congrua, Societati utilis. Ubi illam amplexi sumus, vitata πολυπραγμοσύνη aut desultoria levitate illi Labori fideliter inhærendum est, tanquam *vocationi divinæ*, cui morem gerere debemus.

LXVII. Labori susceptо Temperantia porro modum ponit, tum quoad *scopum* ejus, quoniam modicum rerum mundanarum desiderium imperat, & procul omni cura animum turbante successum operis Providentiæ divinæ permittere jubet; tum quoad *vires*, quæ illi impenduntur, & per Laborem non sunt ita frangendæ, ut minus aptæ ad reliqua officia Deo ac Proximo servanda evadant, propter quæ Corpus conservandum est. Quare & *Quietem* & *Laxamenta* in justa mensura præscribit.

LXVIII. Quod caret alterna *Requie*, non est durabile. Et *somnus est donum Dei* Ps. CXXVII. 2. Eccl. V. 12. Verum iterum opus est temperamento.

(1) Restringi somnus debet ad noctem 1. Thess. v. -.

(2) Non debet diligi Prov. XX. 13. Testatur enim

enim non de naturæ perfectione, ſed imbecillitate.

(3) Aliquando & *Vigiliæ* requiruntur, non ſuperſtitioſæ, uti in Papatu, ſed religioſæ, quarum exemplum occurrit in Chriſto Luc. VI. 12. & aliis ſanctis Pſ. CXXVII. 7. CXIX. 55. 62. 2. Cor. VI. 6. XI. 27.

LXIX. Sub *Laxamentorum* nomine intelligimus quascunque *Recreationes, quibus & ſanitas corporis conſervari & animus vegetior ad graviora negotia reddi poteſt.* Temperantia hic inculcat

(1) Illas non niſi in caſu neceſſitatis ſuſcipere. Sunt enim ſigna imbecillitatis naturæ, & medicinæ inſtar adhibenda, in duplici periculo, ſive quod a ſanitatis debilitatione, ſive quod a mentis diſtractione timendum. Alias ad honorem Dei referri non poſſent, quo tamen, uti omnia, referri debent 1. Cor. X. 31. Fides veras ac ſolidas delicias in ſolo Jehova eſſe ſubmonet.

(2) In illis *Modeſtiæ* ac *Gravitatis* Chriſtianæ decus ſemper religioſe conſervare, ut omni *ſcandalo*, etiam *accepto*, anſam præſcindamus 1. Theſſ. V. 22.

(3) Eligere Recreationes maxime ad ſcopum indicatum accommodatas, quales ſunt, quæ aut per honeſtam converſationem, aut per motum corporis quæruntur. Hic ipſe autem in *Venationibus* aliisque exercitiis poteſt eſſe immodicus. Idem de *Ludis* ſentiendum. Sed quia nemo facile ſolus ludit, ad converſationem cum Proximo eos reſervamus.

(4) Juſto tempore illas circumſcribere. Ruit enim

enim hora, & tempus redimendum est Ephes. v. 16.

LXX. *Fruitionem* creaturarum varii *usus* tum ad *utilitatem*, tum ad *necessitatem* pertinentes exhibent. Utrique sunt vel *Theoretici* vel *Practici*. Posteriores sub duobus nominibus *alimenti & vestimenti* Apostolus comprehendit 1. Tim. VI. 8. In moderato utriusque usu exercetur, מסכנרת, εὐτέλεια *Frugalitas*, & φειδὼ, *Parsimonia*, quæ Luxum omnem excludit, ipsamque creaturarum conservationem involvit, quo pertinet *noviisse animam brutorum* Prov. XII. 10. Singula tamen peculiares Leges habent.

LXXI. *Alimentum* complectitur *cibum* ac *potum*. *Temperans autem eorum usus* nominatur, Νηφαλιότης, seu SOBRIETAS, quæ involvit

(1) Ut corporis nostri vires bene perspectas habeamus, atque inde colligamus, quid illis utile aut nocivum sit.

(2) Ut consueto creaturarum usui aliquando per *jejunium* detrahamus,

(3) Ut non tam gustui grata, quam salubria alimenta adhibeamus; quo pertinet, ut *pharmacis* quoque afflictam valetudinem voluntati divinæ nos resignantes recuperare contendamus.

LXXII. Virtus hæc impense commendatur 1. Thess. v. 6. 8. 1. Petr. IV. 7. Et certa illam requirit

(1) *Amor Dei*, qui nos obligat ad gratitudinem pro tot tantisque officiis, quam *sobrii* tantum ferre possunt.

(2) *Amor nostri*, tam secundum *corpus*, quoniam Sobrietas est sanitatis custos, quam secundum

dum

dum *animam*, quia istud demum est *exsatiari*, quando bonitas Jehovæ in creaturis gustatur.

(3) Fidei indoles, quæ injungit ita *edere*, *bibere*, *hilares esse*, ut lætitia externa possit umbra esse lætitiæ spiritualis Eccl. v. 8. 9.

(4) Fidelibus N. Test. ita agere proprium est, qui post apertum cœlum, post Canaanis bona sublata, post festivas Sanctuarii epulas abrogatas, post Spiritum abundantius effusum, longe præstantiora bona & possident & spe amplectuntur Ps. IV. 8. Cant. I. 1. Zach. IX. 17. Hebr. XIII. 14.

LXXIII. Cum ad *Sobrietatis* exercitium JEJUNIA retulerimus, notandum, ea esse vel *naturalia*, sanitatis caussa susceptа, vel *ceremonialia* cultus Levitici, vel *superstitiosa* Pontificiorum, vel *moralia*, de quibus hic agimus. Illa sunt *vel publice indicta, vel privatim suscepta ea fini, ut per illa tanquam adminiculum idoneum caro humilietur, Spiritus vero ad devotionem majorem evehatur.*

LXXIV. *Jejunia publica*, quibuscum *privata* analogiam habere debent, speciatim requirunt,

(1) Ut tempus illis destinatum officiis pietatis rite impendatur Zach. VII. 3. Huc spectant

(a) Preces humiles & ardentes Jos. VII. 6. 7. 2. Sam. XII. 16. Dan. IX. 3. 20.

(b) Meditatio verbi divini conjuncta cum serio scrutinio cordis ac viarum suarum.

(c) Opera charitatis erga proximum exercenda Jes. LVIII. 7.

(d) Externa tristitiæ signa Joel. II. 12. 17. Jud. XX. 26. 1. Sam. VII. 6. Hoc tamen in jejuniis

niis privatis non æque necesse est, in quibus omnis ostentatio vitari debet Matth. VI. 16. 17.

(2) Ut non nimium protrahantur, ne corpus ad officia seriæ pœnitentiæ præstanda ineptum reddatur.

(3) Ut non subsistatur in externa corporis afflictione, sed fructus ejus per emendationem totius vitæ ostendatur Jes. LVIII. 3. 6.

(4) Privata sigillatim requirunt, ne nimium cumprimis sub N. Test. multiplicentur Matth. IX. 14.

LXXV. Praxis talium Jejuniorum est salutaris.

(1) *Jejunia publica* constanter a populo Dei fuerunt exercita, partim in magna calamitate premente Joel. II. 12. partim quando auxilium divinum requirebant 2. Chron. XX. 2 3. Esr. VIII. 23. In N. T. itidem id non insuetum fuisse, ut auxilium Dei acquireretur, indicat exemplum Ecclesiæ Antiochenæ Act. XIII. 2. 3. & Apostolorum Act. XIV. 23.

(2) *Jejunia privata* itidem sancti celebrarunt 2. Sam. XII. 16. Nehem. I. 4. Sub ipso N. T. in circumstantiis certis commendantur Marc. IX. 29. 1. Cor. VII. 5.

LXXVI. *Temperantia* circa *Tegumenta* primo *Vestes cultumque corporis ita moderatur, uti cum earum scopo convenit.* Scopus ille accommodatus est diverso, quem vestimenta præstant, usui, quique non est temere invertendus.

(1) Usus primus ac potissimus est turpis *nuditatis obtectio* Gen. III. 21. Deut. VIII. 4. Ez. XVI. 8. qui non est tollendus per indecoram membrorum retectionem.

(2) U-

(2) Usus alter est ad *defendendum* ab aëris intemperie Prov. XXVIII. 20. Jac. II. 16. Huic non detrahendum nec per luxum nec per avaritiam.

(3) Usus tertius est *ad discrimen* sexus, ætatis, conditionis, qui oppositus est tum confusioni sexus Deut. XXII. 5. tum vestitui peregrino aut conditionem exsuperanti.

(4) Usus quartus est ad *ornatum* 1. Tim. II. 9. sed decentem, luxuria, ac levitate carentem.

LXXVII. Hunc modum ponere Vestitui fas est:

(1) Quoniam Vestes inter dona Dei pertinent, unde per illas etiam erit glorificandus, quod fiet, quando ipse Vestitus externus edocebit, cui Domino serviamus.

(1) Quoniam in Vestitu per se nihil, quod ullam rationalem delectationem præbere queat. Simiæ æque eo superbire possunt ac homines.

(3) Quoniam recordatio originis Vestium semper humilitatem & pudorem incutere debet.

(4) Quia meliorem ornatum animæ Christianus novit & desiderat 1. Petr. III. 3. 4.

(5) Quia cum legitimo Vestium usu partheſia est conjuncta illas considerandi ut symbolum justificantis & sanctificantis gratiæ.

LXXVIII. Remotius *Tegumentum* præbent *Ædes*, ad quas *Horti* quoque pertinent. Illarum commoditatem, supellectilem, ornatum Temperantia moderari præcipit secundum easdem regulas, ut bona concessa in timore Dei secundum ejus præscriptum possideantur, atque ad ejus honorem impendantur; quod ubi fiet, ibi nullus fastui

fastui & luxui locus erit. Rationes speciatim id inculcantes sunt:

(1) Quia vanitatis ac levitatis singularis est indicium, si quis hisce capiatur Eccles. 11, 5. Jerem. XXII. 14.

(2) Quia fidelis aliud domicilium quærens, in hac terra se ut peregrinum considerat Hebr. XI. 9. 10.

LXXIX. Dum ditio Temperantiæ tam late patet, momentum ejus maximum facile apparet.

(1) *In nexu* considerata est genuina *Fidei* filia, per quam regeniti plene se Deo resignarunt; & singularem toti naturæ hominis aptitudinem conciliat ad vires internas atque externas absque impedimento ad gloriam Dei impendendas.

(2) *In se* spectata facit,

(a) Ut vinculum dependentiæ nostræ a Deo, etiam sub usu rerum, sartum tectumque maneat.

(b) Ut *mens* sit *sana in corpore sano*, quæ votorum apud gentiles summa fuit.

(c) Ut perfectissimum illud exemplum Jesu Christi exprimatur, qui cum esset omnium creaturarum Dominus, temperanter in iis utendis est versatus, atque accuratissimum dominium in propriam humanam naturam exercuit.

(d) Ut *dignitas* illa actu demonstretur; qua Christiani præsertim sub N. T. tanquam *regale Sacerdotium* Domini micant, quæque in promisso *Regno Sanctorum* gloriam Hierosolymæ novæ conficiet.

CAPUT

CAPUT OCTAVUM.

De effectibus Amoris Proximi, *qui per Vitiorum, quæ* Odium *ejus comprehendit, exstirpationem & contrariarum Virtutum exercitium producuntur.*

SUMMARIUM.

1. *Vitium ex* Odio Proximi *fluens est* MALIGNITAS seu INIUSTITIA §. 1---52. *Illa sedem habet*
   A. *In ipsa* mente 1---15.
      1. *In perverso* judicio 2---5.
         a. *Per* temerariam Condemnationem 2.---4.
         b. *Per* Prosopolepsian 5.
      2. *In Maligno* affectu 6---15.
         a. *Quoad irrigenitos* 6---14.
            α. *Per* Iram illegitimam 6---9.
            β. *Per* Invidiam 10---14.
         b. *Quoad* regenitos 15.
   B. *In* externo exercitio 16---52. *comprehendit*
      1. *Damnum* saluti æternæ *Proximi illatum per* Scandalum 16---19.
      2. *Damnum* saluti *ejus* temporali *illatum* 20.---52.

2. Ore 20---29.
α. Loquendo 20---28. *quo spectat*
א. Mendacium 21---27. *cujus*
a. Variæ classes enumerantur 21. --- 23.
b. Fœditas omnigena demonstratur 24---27.
ב. Testimonium vanum 28.
β. Tacendo 29.
b. Opere 30 — 32.
α. *Quoad* irregenitos 30 — 51.
א. Clam, *quo spectat* Dolus 30---33. *qui committitur*
a. *Per* Simulationem 30--- 32.
b. *Per* Dissimulatioem 33.
ב. Palam 34—51.
a. *Contra* personam *Proximi* 34. --- 45.
a. Directe per Homicidium 34---38.
† *Diversæ ejus species* 34. ---37.
†† *Fœditas* 38.
b. Indirecte per Impudicitiam 39 ---45.
† *Crassiorem* 39--- 42.
†† *Subtiliorem* 43 --- 45.
b. *Contra* opes *Proximi per* Iniustitiam *in sensu arctiori* 46—51. *quæ*
a. Vel crassior 46. 47.
b. Vel subtilior 48 —51.
β. *Quoad* regenitos 52.

II. *Vir-*

II. *Virtus* Amorem Proximi *exſerens eſt* BENIGNITAS *vel* JUSTITIA. 53--95.

A. *In ipſa* mente *reſidens* 54---58.

1. *Per rectum de Proximo* judicium 54 ---56.

2. *Per* affectus *rite temperatos* 57. 58.

B. Externo exercitio *demonſtrata* 59---95.

1. *Per* ſalutis æternæ *promotionem* 60 ---63.

2. *Per* ſalutis temporalis *ad eundem finem procurationem* 64---95. *Hæc exhibetur*

a. Ore 64---68.

α. Loquendo 64---67. *quo ſpectat*

א. VERACITAS 65. 66.

ב. Verbum *quodcunque* bonum 67.

β. Tacendo 68.

b. Opere 69---95. *quod verſatur*

α. *Circa Bonorum Proximi* conſervationem 70---77. *Huc faciunt*

א. Candor 70. 71.

ב. Pacis ſtudium 72. 73.

ג. Caſtitas 74. 75.

ד. Æquitas 76. 77.

β. *Circa Bonorum Proximi* amplificationem 78--- 95. *per* BENEFICENTIAM, *ſub qua comprehenduntur*

א. Humanitas 79. 80.

ב. Studium Pacificationis 81. 82.

ג. Favor 83. 84.

ד. MISERICORDIA 85 --- 95. *Hæc*

α. *Deſcribitur* 85---92.

a. In genere 85---87.

b. In ſpecie, prout exercetur per eleemoſynas 88 --- 92.

b. *Momentum ejus indicatur* 93.
— 95.

I.

UT Odium Proximi, quo peccator omnis a natura est impletus, exuatur, Malignitas, quæ magis stricte κακία, sed & Iniustitia, Ἀδικία, in sensu specialiori appellatur, *animumque ad nocendum pronum atque actiones quascunque, quibus bonum Proximi data opera impeditur & noxa ejus promovetur*, comprehendit Ephes. IV. 31. 1. Petr. II. 1. exstirpari debet. Illam in rem mens primo loco purganda erit ab omni prava contra Proximum tam in *judicio*, quam in *affectibus corruptis* dispositione Zach. VIII. 17.

II. *Judicium temerarium* ratione Proximi quemcunque *conceptum falsum de ejus sive persona, sive actionibus ex naturali Superbia productum* designat, per quem neglectus officiorum erga ipsum promoveri, aut odium ejus intendi potest.

III. Crassius peccatur per Judicium *condemnationis* de Proximi *persona* vel *statu*. Casus huc pertinentes sunt

(1) Quando propter quasdam sinistras actiones, tales præcipue, quibus nos læsit, vel communi conversatione indignus censetur, ac ceu pestis fugitur, quod prodit *animum irreconciliabilem*, licet aliquando pietatis speciem præ se ferat Jes. LXV. 5.

(2) Quando Proximus aut plane indignus, aut minus quam nos ipsi dignus censetur beneficiis divinis, quibus gaudet.

(3) Quan-

(3) Quando graviores aliis peccatores esse censentur, quibus Deus externas pœnas immittit Luc. XIII. 2 -- 5. Act. XXVIII. 3. 4. Joh. IX. 2. 3. Id ipsis aliquando regenitis contingere Jobi exemplum docet.

(4) Quando imbecillitates fidelium pro indiciis status peccati habentur Matth. VII. 3.

(5) Quando aliquis propter dissensum non fundamentalem in dogmate *condemnatur* Matth. XII. 7. Rom. XIV. 4. quæ intolerantia sœpe in detestationes, exsecrationes, persecutiones erumpit.

IV. Subtilior est *Condemnatio facti*, quando nempe immitius de eo judicatur, sive quoniam nos aliqua ratione per illud nos læsos esse censemus, sive quia ex mero præjudicio, aut rumore aut siniſtra suspicione judicium temere instituitur 1. Sam. I. 14. Act. II. 15. Hoc solet appellari *scandalum acceptum* Matth. XI. 5. Matth. XXVI. 31. Quam facile hæc vitia in ipsos regenitos adhuc cadant, experientia docet. Inde discipulos suos serio ab illis Servator dehortatur Matth. VII. 1. 2.

V. Sed & *mitius* de Proximo, quam par est, *judicari* potest Ezech. XIII. 18. Hoc quamvis speciem Amoris ejus habeat, longissime tamen ab eo distat, tum quia ex Philautia perversa oritur & cùm *Prosopolepsia* est conjunctum, quoniam de illis benignius solemus judicare, a quibus aliquod lucrum aut commodum exspectamus, Jac. II. 4. tum quia Proximo est nocivum, & nos impedit, ne salutem ejus, qua par est, fidelitate promoveamus.

VI. *Affectio* prava animi se exonerat vel *sub prætextu*

textu læsionis a Proximo acceptæ, vel *absque* illo. Prius fit tum quando propria culpa ansam præbemus *læsionis*, per animum in *contentionis* studium, φιλονεικίαν, nimis pronum 1. Cor. XI, 16. tum per Iram illegitimam, quæ hic *designat nimiam voluntatis incitationem ad prætensam læsionem Proximi depellendam. Illegitimam* appellamus, ut distinguamus a *legitima*, quæ ad zelum pro gloria Dei est referenda, & a qua nostræ hæc tam *objecto*, quam *gradu* atque modo longissime distat.

VII. Quoad *objectum* peccatur per *Iram*

(1) Quando *pro læsione* habetur, quod pro tali haberi jure nequit, v. gr. si Proximus in officiis lentus fuerit, ad quæ stricte non erat obligatus, si intentionem lædendi non habuerit, si per inanes *logomachias* & *rixandi pruriginem* a nobis fuerit provocatus, si obicem pravis concupiscentiis ponere quæsiverit, in quo casu *Ira* est iniquissima 2. Chron. XVI. 10. Prov. XV. 1. Amos. V. 10.

(2) Quando commotio oritur ex injuria, quam nos accepimus, non vero ex intuitu peccati quod contra Deum est commissum; unde Ira hæc non in emendationem proximi, sed exacerbationem majorem tendit 1. Sam. XXV. 13. 22. Jac. 1. 20.

VIII. In *gradu* delinquitur, quoties justa mensura Iræ non servatur, sive ratione *temporis*, sive ratione *modi*, quo læsionem Proximi depellimus.

(1) Inferior hic est gradus *Indignationis*, זַעַם, quæ licet magis circa factum, quam circa personam versetur, factum tamen non tam considerat in relatione ad Deum, quam ad nos ipsos.

(2) Ul-

(2) Ulterius progreditur *excandescentia*, sive *amaritudo*, חרון, קצף, θυμὸς, πικρία, quæ animum ita exasperat, ut indiciis quibusdam amaris se exserat.

(a) Levior est hæc passio, quamdiu subsistit intra *gestus*, quales erant Caini Gen. IV. 5. aut in *verba* tantum aspera se exonerat, quo pertinent qualescunque *rixæ* vehementiores de rebus sæpe levioribus, quæ sub vocibus ἐριθεία, νεῖκος, ἔρις &c. solent corripi Gal. V. 20. 2. Cor. XII. 20.

(b) Gravius invalescens in *furorem* aliquando erumpit, sed tamen cito passim defervescentem.

(3) Ubi excandescentia sæpe facileque recurrit, illic ὀργιλότης, *iracundia*, oritur.

(4) Deterior est *vindictæ cupido*, quæ cordi altius infixa est, & quamvis sæpe ad tempus tegatur, nihilominus interius servatur, donec commoda malum malo rependendi occasio subnascitur, exemplo Esavi Gen. XXVII. 41.

IX. Turpitudo horum affectuum inde sequitur:

(1) Quia plus minusque detrahunt honori, qui Deo tanquam summo *Judici* debetur, quo præcipue spectat *vindictæ studium* eapropter severe interdictum Rom. XII. 19. Prov. XXIV. 29.

(2) Quia oriuntur ex superbia, qua propriæ indignitatis coram Deo obliviscimur.

(3) Quia maximam perniciem afferunt tum generi humano universo, tum iracundis in specie, quorum sanitati nocent, & belluinam, quin ipsius Diaboli imaginem, animæ induunt.

X. Ulterius exorbitat INVIDIA, φθόνος, βασκανία

σκαvία, ab Hebræis circumscripta per phrasin רע עין, *malus oculo*, quæ *Proximo, etiamsi læso non intercedat, male vult, adeoque non solum in rebus ejus secundis contristatur, sed etiam de infortunio ejus lætatur.* Hinc duplex exoritur *Invidiæ* species. Prior tamen proxime sub nomine ejus comprehendi solet.

XI. Proprium ergo Invidiæ *objectum* est Proximi prosperitas. Aliquando ipsa *Bona spiritualia & virtutes* Proximi sub invidiam cadunt, etiam excellentissimæ, uti ipse Christus expertus est Matth. XXVII. 18. Nulla ergo Virtus simpliciter *supra invidiam est*, nisi in quantum eam contemnit. Neque tamen invidus eapropter dolet, quod virtute careat, sed quod Proximus sibi propter illam præferatur. Quare strictissime in Bonis temporalibus honoris ac felicitatis subsistit, & quidem potissimum eorum, qui aut in pari aut minori conditione, quam in qua invidus agit, sunt constituti Num. XI. 28. 29. Prov. XXIV. 19. 20. 1. Sam. XVII. 28. Esth. V. 13.

XII. *Actum* vitii hujus frustra extenuare contendunt, quibus ille videtur supponere *indignitatem* in Proximo. Nam *dolor*, quem melior Proximi fors creat; *indignitatem* illam ex falso principio deducit, quoniam invidus seipsum digniorem esse censet, adeoque semper ex superbia oritur Luc. XV. 28. quin eousque non progrederetur, nisi invidus ipse illis bonis, saltem in tanta mensura, careret. Quare & cum impatientia ac tædio propriæ sortis crimen hoc conjunctum est.

XIII. Merito ergo inter prohibita opera carnis collocatur Gal. V. 20. 21. 1. Petr. II. 1.

(1) Di-

(1) Directe contra Providentiam Dei ac præcipue benignitatem ejus, quam indignis impendit, pugnat Matth. XX. 15.

(2) Invidus sibi ipsi est infestus, quoniam invidia est *putredo ossium* Prov. XIV. 30. Job. V. 2.

(3) Diaboli imaginem gerit.

(4) Multorum malorum ac turbarum in societe humana caussa est Jac. III. 16. IV. 1. 2. Prov. XXVII. 4.

XIV. Atrocior est *Livoris* species, quæ de infortunio Proximi in sinu suo lætatur. Illam Scriptura detestatur Job. XXXI. 29. 30. Prov. XXIV. 17. Inanis ei prætextus quæritur ex gaudio Ecclesiæ de hostium interitu Deut. XXXII. 43. Ps. LVIII. 11. quoniam in illo hostes considerantur ut osores Dei & caussæ ejus, quorum exitium veritatem justitiamque Dei illustrat.

XV. Vigilandum tamen ipsis regenitis contra residua malignitatis in eorum cordibus semina erit. Nimis faciles in *Iram* aut *Invidiam* sæpe sunt, præsertim quando temperamentum cholericum aut melancholicum accedit. In discipulis Domini ac sigillatim Petro amari hi affectus sæpius conspiciuntur.

XVI. Ubi hæ radices non supprimuntur, illic in dicta factaque odiosa, prorumpunt. Huc referimus *quæcunque dicta atque facta, quibus aut salus æterna aut temporalis Proximi per nos damno afficitur*

XVII. Saluti ejus æternæ impedimentum affert quodcunque *offendiculum*, σκάνδαλον, מכשול, quo nomine Scriptura comprehendit *qualecunque peccatum verbis factisve non solum aperte impiis, sed etiam*

etiam imprudentibus commissum, per quod noxa animæ Proximi infertur, sive per malum exemplum ad simile peccatum pelliciatur, sive ansa dubitationibus, alienationi animi, judicio intempestivo, schismati præbeatur.

XVIII. Latissime ergo *Scandalum* patet. Non solum directa læsione Proximi, sed etiam quibuscunque peccatis contra Deum & nos ipsos tam committendo quam omittendo commissis, ipsaque *mali specie* præberi potest. Hinc diversi nascuntur Scandalorum *gradus*. Non parum tamen & a *personis*, quæ Scandalum objiciunt, ejus major minorve gravitas dependet, prout aut *dignitate* aut *donis spiritualibus* præ aliis eminent Levit. IV. 3. Malach. II. 8. Quare non solum in regenitos hoc peccatum cadit, sed illorum quoque scandalum eo magis noxium est, quo magis in gratia profecerunt 2. Sam XII. 14. *Effectus* autem quoad personas, *quæ offenduntur*, diversi sunt. Quidam in peccata ipsi pelliciuntur, alii tristitia duntaxat propter aliorum peccata afficiuntur Rom. XIV. 15. Matth. XVI. 23.

XIX. Impense ab hoc peccato Scriptura dehortatur Lev. XIX. 14. 1. Cor. X. 32. Quin minas gravissimas offendiculum exhibentibus intentat Deut. XXVII. 18. Matth. XVIII. 6. 7. Speciatim contra offendicula in doctrina munit Rom. XVI. 17. Illis Bileami consilium præluxit Num. XXXI. 16. Apoc. II. 14. Rationes præcipuæ sunt

(1) Quia periculum animæ Proximi semper periculo corporis ejus præferendum est.

(2) Quia, qui scandalo est impiis, author est con-

contumeliæ, quæ propter illum ipsi nomini divino infertur.

(3) Qui autem piis scandalum causſatur, in ipsum Christum peccare censetur 1. Corinth. VIII. 12.

(4) Exempla vitati scandali occurrunt in Christo & Apostolo Paulo Matth. XVII. 27. 1. Cor. VIII. 13.

XX. Sed pergendum ad peccata tam *oris*, quam *operis*, quæ temporale damnum Proximi directius spectant. Peccata *oris* contra Proximum quanti sint ponderis, ex linguæ turpissimo abusu & multiplici damno liquet, quod Jacob. III. 5--8. describitur. Ad duas classes illa referre possumus. Aliquando enim sub *Falsitatis* involucro *Injustitia latet*, aliquando *palam* apparet. Prius fit per עד שקר *Testimonium falsum* Exod. XX. 13. sub quo comprehenditur *Mendacium*; posterius per עד שוא *Testimonium vanum*, quod cum præcedenti phrasi alternat Deut. v. 17. & tam late patet, ut quodcunque dictum iniquum contra Proximum simul involvat.

XXI. MENDACIUM, כזב ψεῦδος, est vitium *Veracitati* e diametro contrarium, adeoque comprehendit, quicquid a lingua *contra mentem* profertur, sive *omnia verba, quibus Proximum in errorem inducere contendimus.* Dividi id potest in *crassius* & *subtilius.*

XXII. *Crassius* est *mendacium injuriosum.* Hoc exercetur

(1) Per *Calumniam*, Συκοφαντίαν, Διαβολήν, quæ cum animo nocendi semper conjuncta est, & stricte denotat *qualecunque testimonium falsum de Proximo*

ad

ad contumeliam ejus pertinens, sive *in judicio*, sive *extra illud* prolatum.

(2) Per *Mendacium dolosum*, quo quis suum lucrum cum damno proximi promovere contendit.

(3) *Mendacium purgatorium*, quo quis delicta sua negando tegit, atque ita bis peccat.

XXIII. *Subtiliora* Mendacii genera sunt, quæ animum nocendi non necessario involvunt. Huc referimus

(1) *Mendacium civilitatis* seu *Adulationem*, Κολακειαν, qua laude majori Proximum ornamus, quam dignus est, vel saltem nobis esse videtur, aut nostra servitia intensius, quam pro animi sententia, alteri offerimus, ut favorem ejus erga nos proliciamus 1. Thess. II. 5. Detestabile est hoc crimen Prov. XXIV. 24. maxime, quando odium sub eo celatur & tectius nocere quærimus. Ps. LV. 22. LXII. 5.

(2) *Mendacium vanæ jactantiæ* seu *Thrasonismum*, quo qualitates, inventa aut facta egregia nobis falso tribuimus, ut existimationem Proximi aucupemur Matth. IV. 9.

(3) *Mendacium otiosum*, quo ex mera petulantia, malaque consuetudine finguntur, quæ nunquam acciderunt.

(4) *Mendacium jocosum*, quo quis simplicitatem aut credulitatem Proximi risui, & contemtui exponit.

(5) *Mendacium officiosum*, quo Proximi commodum promovere ac sæpe malæ ejus concupiscentiæ proprii lucri caussa inservire intendimus.

(6) *Men-*

(6) *Mendacium neceſſitatis*, quo malum a nobis aut a Proximo intercedente falſiloquio depellere conamur.

(7) *Æquivocationes & reſtrictiones mentales*, quæ illum ſcopum ſaltem habent, ut Proximus in errorem inducatur, adeoque relatæ ad Proximum utique inter *Mendacia* ſunt referenda.

XXIV. Mendacii fœditatem præ aliis vitiis Scriptura docet. Deus mendaces odit Prov. VI. 19. & horrenda judicia illis comminatur Pſ. v. 7. Apoc. XXI. 27. XXII. 15.

(1) Ad imaginis Dei deſtructionem quam maxime facit, qui *mentiri nequit* Num. XXIII. 19.

(2) Regni ejus formam deſtruit, ad quam pertinet vinculum, quod inter cogitationes & verba nominum poſuit, volens, ut hæc illorum ſigna eſſent.

(3) Diaboli imaginem ad vivum exprimit Joh. VIII. 44.

XXV. Ad ſingula quoque genera mendaciorum hæc fœditas ſe extendit. De craſſioribus nemo dubitat.

(1) *Calumniam* eſſe atrociſſimum peccatum conſtat ex eo, quia præſentiſſimum eſt nocendi Proximo medium, vitium Diabolicum, & inter graviora, quæ iram Dei in Judæos provocarunt, collocatur Pſ. L. 19. 20. Unde gravis pœna ei dictatur Deut. XIX. 18. 19.

(2) Turpitudo *Mendacii doloſi* itidem in propatulo eſt, quia omnia vincula vel civilis ſocietatis rumpit, furtumque aut injuriam involvit.

(3) *Ne-*

(3) *Negatio criminum* commissorum atro carbone notatur in exemplo Caini Gen. IV. 10. Gehasi 2. Reg. v. 25. nec non in pœna ei dicta Prov. XXVIII. 13. idque merito, quoniam hoc pacto & animus induratus ad peccandum ostenditur & omniscientia Dei abnegatur.

XXVI. De reliquis *subtilioris Mendacii* generibus ex illis fundamentis, quibus Mendacium in genere rejecimus, idem statui debet. Circa sextum tamen præcipue fluctus moveri solent. Verum omnis controversiæ cardo in eo versatur, *annon in Mendacio*, quod quis committit, ut se Proximumve vel *ex minimo* periculo liberet, (nam si in *magno* periculo mentiri licet, cur non etiam in *minori?*) *vitium aliquod insit*, etiamsi istud sit *levissimum*? Hoc enim si datur, per circumstantias accedentes nunquam poterit licitum reddi, quod in se est illicitum. Nam nunquam facienda sunt mala, ut eveniant bona. Et inter duo mala semper *minimum* est eligendum. Jam vero *malum physicum*, præcipue temporale, semper minus est *malo morali*.

XXVII. Quod autem sit per se illicitum ejusmodi mendacium, inde confici posse censemus:

(1) Quoniam Lex divina absque *restrictione* aut *exceptione Mendacium* damnat, neque constat, quod usquam Deus ab hac Lege dispensaverit.

(2) Quoniam salus publica propter periculum imaginarium hujus aut illius privati vix aut rarissime dabile in discrimen adduci non debet. Hoc autem omnino fieret, nisi veracitatis Lex per omnia inviolabilis conservaretur.

(3) Quo-

(3) Quoniam prona aperiretur via corruptæ carni ad alia quoque Mendaciorum genera, in quibus nulla proximum lædendi est intentio, qualia sunt mendacia officiosa, negatio culpæ, quin ipsa abnegatio nominis divini, quæ non fit ex animo, sed ad mortem evitandam &c. ex peccatorum numero eximenda.

XXVIII. *Testimonium vanum* comprehendit omnia illa *verba inutilia*, quorum *ratio reddenda in die extremo* Matth. XII. 6. adeoque quascunque læsiones Proximi per verba, sive *lingua*, sive *scripto* prolata, etiamsi Mendacium in illis non adsit.

(1) Ad læsiones per *linguam* referenda sunt

(a) *Convitia* sive cum exsecratione sive absque illa Matth. v. 22. aliquando sub *dicteriis* aculeatis & *sarcasmis* ad altius pungendum latitantia Prov. XII. 18.

(b) *Obtrectationes*, καταλαλιαὶ, quibus proximi absentis fama malitiose proscinditur Jac. IV. 1. 2. Cor. XII. 20. 1. Petr. II. 1.

(c) *Loquacitas* qualiscunque, qua verbis vanis & futilibus tempus perditur Prov. X. 19. XV. 2. Eccles. X. 11—14. In specie vitiosa est Loquacitas cum læsione Fidei conjuncta, qua secreta Proximi in ejus præjudicium effutiuntur Proverb. XI. 13.

(d) *Scurrilitas*, σαπρότης, qua verba profana moresque corrumpentia bonos proferuntur 1. Cor. XV. 31. 32.

(e) *Asperitas* & *morositas* in verbis, quæ indicium est superbiæ & contemtus aliorum Proverb. XVIII. 23.

(1) A-

(2) Atrocius Proximus læditur *scripto*, tum in judicio per intentatas *actiones injuriarum*, tum per *libellos famosos* atque *scripta Satyrica*, non vitia, sed personas prostituentia. Eodem referas licet *styli acrimoniam*, quæ ipsa literatorum, quin Theologorum scripta sæpenumero inquinat, sive ex privata vindicta, sive ex atra bile, sive ex mera ingenii petulantia oriatur.

XXIX. *Tacendo* etiam Proximus læditur, quando veritas eum celatur, quam sine damno ignorare nequit. Id fit

(1) Quoad *animam*, quando tempus opportunum illam aut lucrandi aut ædificandi aut a peccato avertendi prætermittitur. In aliis hæc obmutescentia oritur ex incuria, in aliis ex perverso pudore. Marc. VIII. 38.

(2) Quoad *corpus*, quum aut per negligentiam aut per lucri proprii aviditatem periculum imminens ei non indicatur & de occasione apparente ad commodum suum promovendum ipse non monetur.

XXX. *Injustitia*, quæ *opere* committitur, aliquando involucro *doloso* utitur, aliquando aperto campo grassatur. Dolus, מרמה, חכף, Δόλος, Απατη, *Fraus* semper in sacris sensu malo usurpatur, & aliquando tam late extenditur, ut etiam ipsam hypocrisin contra Deum comprehendat. Proprie tamen ad peccata contra Proximum pertinet, quia Deus decipi nequit. Verum & tum se extendit ad quamcunque seu *Simulationem seu Dissimulationem, qua Proximum aut in errorem inducere, aut veritatem, cujus ipsum interest, ab eo occultare contendimus.*

XXXI.

XXXI. Crassior *Fraus* committitur *simulando*, quoniam Simulatio est *gestuum habitusque & vitæ externæ compositio in eum finem tendens, ut Proximus in Errorem inducatur.* Simile acumen in distinctione variorum generum *Simulationis* adhibetur, ac in *Mendaciorum* distinctione, quamvis non dispar fundamentum utriusque sit, nisi quod *Simulatio* magis signis rerum in oculos occurrentibus per *fictionem gestuum* abutatur, quæ incertiora sunt, Mendacium autem in *fictione verborum*, quæ signa sunt auditus, subsistat. Nulla saltem pro *Simulationibus exploratoriis, stratagematicis, rectoriis & correctoriis* neque argumenta neque exempla idonea proferuntur, quæ illa secundum verbum Dei esse excepta a *Doli* in genere vetiti Lege severa probent.

XXXII. Agnoscimus tamen diversos *Simulationis* gradus. Atrocior exercetur

(1) *In rebus divinis*, sive per apostasiæ a vera religione fictionem, sive per pietatis hypocriticam speciem, Utrumque non solum Dei honorem proculcat, sed etiam Proximum in errorem pernicioſum inducit, prius propter offendiculum, posterius, quia non potest efficacius decipi, quam sub pietatis prætextu. Posterius potissimum fit per *seductores*, quorum nocendi artes & dolos Scriptura præprimis cavere jubet 2. Cor. XI. 3. 2. Thess. II. 9. 10.

(2) *In rebus humanis* per quascunque fraudes & technas, quibus aut vitæ, aut famæ, aut bonis Proximi insidiæ struuntur. Nociva hic quam maxime est *Simulatio amicitiæ*, quo referenda *oscula osoris* Prov. XXVII. 6. Sed & omnium tech-

narum, quæ in communi vita per omnes ſtatus, præcipue in commerciis exercentur, catalogus huc pertinet.

XXXIII. *Diſſimulatio* nihil aliud pro fine habet, quam *ut veritas a Proximo occultetur.* In geſtibus ergo reſpondet *ſilentio*, & per ſe vitioſa non eſt. Per circumſtantias autem in crimen abit, quando id ſtudio ſupprimitur, cujus notitia damnum aliquod avertere a Proximo aut commodum promovere poſſet.

(1) *In rebus divinis* nociva eſt diſſimulatio per intermiſſionem officiorum, quæ cultus Dei requirebat. Huc pertinet diſſimulatio Eli in peccatis filiorum 1. Sam. III. 13.

(2) In rebus humanis turpis eſt diſſimulatio, qua ira, aliique affectus non extirpantur, ſed tantum teguntur Eſth. v. 9. 10.

XXXIV. Apertius Proximus læditur per *Injuſtitiam*, quæ aut contra ipſam ejus *Perſonam* aut contra *Bona* ejus committitur. Perſonæ ejus damnum tum *directe* per *amorem impurum* infertur. Ad priorem claſſem ſpectant quæcunque *Homicidia*, quibus noxa *Vitæ* Proximi infertur, quæ tamen diverſos gradus tum ratione *intentionis*, tum ratione *executionis* habent.

XXXV. *Gradus* Homicidiorum quoad *intentionem* major minorve *proæreſis* conſtituit. Unde diſtinguitur inter *homicidia* & *involuntaria.* Ad priorem claſſem

(1) Ante omnia pertinent *latrocinia publica*, quorum ſpecies ſunt injuſta bella.

(2) Proximum locum occupant *monomachiæ*, quæ *duella* dicuntur, ſive ad audaciam oſtentandam,

dam, sive ad infamiam depellendam, sive ad vindictam privatam exercendam, suscepta; more barbaro & immani, in quo omnia genera Homicidii, tam animæ quam corporis, tam in se quam in proximo, conjuncta sunt

(3) Minus atrocia censentur, quæ committuntur, quando animus affectu quodam vehementiori obnubilatus est, in quam classem referenda sunt Homicidia per crapulam patrata.

XXXVI. *Involuntariorum* Homicidiorum culpa major minorve intercedit.

(1) Major cadit in illos, qui aut per petulantiam neci ansam dant, aut majorem noxam inferunt, quam volunt, aut præsentiori vitæ periculo Proximum lucri sui causa exponunt, aut, ubi potuerunt periculum ejus avertere neglexerunt.

(2) Minor & aliquando nulla eorum culpa est, qui aut per *moderamen inculpatæ tutelæ*, aut propriæ vitæ servandæ causa, v. gr. in *naufragio* & *puerperio* aut *casu improviso*, Proximum occidunt, cui ultimæ speciei *Asyla* olim fuere destinata.

XXXVII. In *executione* Homicidium completum ab incompleto, immediatum a mediato, coram Deo non est distinctum, ubi animus nocendi adest. Quidam in voto mortis Proximi subsistunt, contra quos Lex facit Levit. XIX. 17. 18. Alii gestibus & conatu aperiunt, quid facere vellent, si facultas adesset, exemplo Caini Gen. IV. Læsioni quoque membrorum *talionis* pœna dicta est Exod. XXI. 22—25. Levit. XXIV. 19. 20. Nec impune verberibus, alapis &c. in

Proximum grassari licet, cum ipsa ejusmodi injuriarum retributio Lege divina vetita sit Matth. v. 38. 39. Dispositio autem ad talia crimina dicitur *Crudelitas*, *Inhumanitas*, Απήνεια, *Immisericordia*, quæ inter gentilium vitia, quos Ανελεήμονες Apostolus nominat, refertur Rom. I. 31.

XXXVIII. Omnia vitia huc pertinentia sunt fœdissima; quibus & pœnas temporales *indispensabiles* & æternas Deus dixit Exod. XXI. 14. Apoc. XXI. 8. Quin nisi severe puniantur, eorum reatus integram regionem premit Jes. XXVI. 21. Gen. IV. 10. 11. Et merito

(1) Quia *Vita* inter omnia Bona Proximi & pretiosissimum, & maxime irreparabile est.

(2) Quia in jus Dei involant, quod ei tanquam summo Vitæ nostræ Authori convenit.

(3) Quia seipsos in Proximo lædunt, cum Proximus non solum pars nostra sit, sed etiam quod in Proximum tentamus, in nos ipsos permittimus.

(4) Quia *homicida* speciatim implet voluntatem Diaboli *homicidæ ab antiquo* Joh. VIII. 44.

(5) Potissima ratio est, quia *Homo imaginem Dei gerit*, sive actu, sive potentia Gen. IX. 6.

XXXIX. Sed & persona Proximi læditur per IMPUDICITIAM, quæ aliquando strictius טמאה, Ακαθαρσία audit, alias Ασέλγεια, Αισχρότης, Πάθος Επιθυμίας dicta, & comprehendit *omnes conatus & actiones, quibus per corporis Proximi dehonestationem libidinis impuræ exsatiatio quæritur.*

XL. Crassior *Impudicitia*, quæ *actu* ipso commit-

mittitur, ut atrociſſima mittam, quæ ſub *Sodomiticorum* ac *mutorum* velo honeſtas obtegit Eph. v. 12. primo loco comprehendit *Adulterium*, quod Decalogus in exemplum nominat, idque tam *duplex* quam *ſimplex*, tam a parte *Viri*, quam *Mulieris* commiſſum; unde eadem *adultero* & adulteræ pœna eſt dicta Deut. XXII. 22. Quin æternum exitium Deus huic crimini comminatur Mal. III. 5.

XLI. Latus hujus criminis claudit *Scortatio* ſive cum *proſtibulis*, ſive cum *ingenuis*, aut technis fraudulentis in criminis ſocietatem pellectis, aut coactis, commiſſa, & non minus Deo exoſa, qui eapropter *mercedem meretricis* noluit in Sanctuarium ferri Deut. XXIII. 17. 18. & filiam Sacerdotis ſcortantem comburi juſſit Levit. XXI. 9. & æternas pœnas ſcortantibus comminatus eſt æque ac adulteris 1. Cor. VI. 10. Hebr. XIII. 4.

XLII. Merito Deus in hæc crimina ſe exaſperatum exhibet.

(1) Deſtruunt & imaginem Dei & ordinem a Deo generi humano convenienter conſilio ſuo per Leges matrimonii poſitum.

(2) Qui Chriſto nomen dederunt, hoc pacto peculium ei addictum ipſi iterum eripiunt 1. Cor. VI. 15.

(3) Per illa homo ſeipſum graviſſime lædit, non ſolum conſcientiam *operibus* his *tenebrarum* vaſtans, ſed etiam corpus proprium deſtruens 1. Cor. VI. 18.

(4) Proximo infert damnum irreparabile tum per corporis dehoneſtationem, tum per opprobrium,

brium, quod integræ ejus domui infertur Prov. VI. 26—32.

(5) Quin latro est *animæ Proximi*, quem ad consensum in crimine tam atroci pellicit.

XLIII. Intra *conatum* subsistit *Impudicitia*, quæ vel *immediate* vel *mediate* committitur, quoties quis in eo versatur, ut ignis hic infernalis in proprio aut aliorum corde pabulum accipiat. Magis *immediate* huc referri possunt.

(1) *Lascivia* in *verbis* per sales & jocos turpes, qui carnem titillant Eph. IV. 29. V. 4.

(2) Quoad gestus *oculi pleni adulterio* 2. Petr. II. 14. *Inverecundia* & *Impudentia* qualiscunque Ezech. XXIII. 3. *Ornatus meretricius* Prov. VII. 10.

XLIV. Magis mediate inter *Impudicitiæ* fomenta adnumerantur:

(1) Scripta impudica, *libri Sotadici*, *fabulæ Romanenses*, *lasciva cantica*, quæ quo magis ab elegantia & ingenio commendantur, eo magis nocent.

(2) Idem judicandum de *picturis* & *sculpturis lascivis*, etiam artificiosissimis.

(3) *Ludi theatrales*, cumprimis qui illicitos amores, aliaque vitia, dum traducunt, docent.

(4) *Saltationes*, non abstracte consideratæ, sed quales nunc in usu sunt, ad levitatem & petulantiam indecoram compositæ.

XLV. Hæc & similia Christianis eo magis sunt vetita, quo certius est effatum Servatoris Matth. V. 28. quod *qui aspicit mulierem, ut eam concupiscat, jam adulterium cum ea commiserit in corde*

corde suo. Et si quis adhuc quædam ex commemoratis putet inter adiaphora esse referenda, ille coram Domino perpendat:

(1) An convictus sit in conscientia; non solum quod talia subordinari gloriæ Dei possint, sed quod ipse etiam illa ei subordinet?

(2) An illud apud se experiatur animi robur ut per talia in cogitationes leves atque indecoras, Christiano, qui eniti debet, ut magis magisque cœlestia sapiat, non abripiatur?

(3) An illud officium amoris Proximi impleat, 1. Cor. VIII. 13. gloriatur, declarans: *Si esca offendiculo est fratri meo, non edam carnes in æternum, ne sim offendiculo fratri meo?*

XLVI. In arctiori sensu *Injustitia* dicitur, qua *Bonis Proximi* damnum infertur. Atrociora crimina, quæ huc pertinent, sunt sequentia.

(1) *Rapina*, quæ vi in Bona Proximi involat, quod non solum sit a *prædatoribus*, sed etiam a Principibus & Magistratibus injustis Mich. III. 1--3.

(2) *Furtum*, quod clam Proximum spoliat, cujus multiplices species, gradusque, *sacrilegia*, *peculatus*, *plagia*, *simplicia furta*. propter multiplicem hominis malitiam recensentur.

(3) *Societas lucri* ex alterutrius præda redeuntis Prov. XXIX. 24. Psalm L. 18.

XLVII. Utrosque in Regno Dei partem non habere liquet ex 1. Cor. VI. 10 Furto sigillatim pœnas temporales sapientissimas pro delicti proportione summus Legislator statuit Exod. XXI. 16. XXII. 1. 2. An unquam Lege divina furtum, etiam in extrema necessitate, permissum sit, dubitari

bitari potest. In loco saltem Prov. VI. 30. 31. non agitur de stricto jure, sed duntaxat de more humano.

XLVIII. Sub *Injustitiæ* nomine denique solent comprehendi mille *Artes* & *Doli*, quibus sub quocunque titulo aut a Proximo sive prorsus *invito*, sive quadantenus *consentiente*, *extorquentur*, ad quæ non tenebatur, aut quæ ei solvenda præstandaque erant, *retinentur*.

XLIX. *Extorsionum* ab *invito* exempla sunt:

(1) *Merces laboresque* nimis *caro pretio* venditi, quod fœdius est tum in casu necessitatis, tum quando merces adulterantur, tum quando circa mensuras fraus committitur Amos. VIII. 6. Levit. XIX. 35. Prov. XI. 1.

(2) Similis turpitudo inest *processibus* frivole intentatis, *monetæ falsationi*, πολυπραγμοσυνῃ, crimini *stellionatus*, & *usuris* iniquis, quales sunt, tum modum excedentes, tum potissimum a pauperibus exactæ Exod. XXII. 25. Levit. XXV. 35. 36. Luc. V. 35.

L. Sed &, quamvis volenti injuria fieri non videatur, *extorsiones* a *consentientibus* coram Deo iniquæ sæpenumero sunt.

(1) Quando *venduntur beneficia*, quæ bene merentibus ultro præstari deberent, per *Simoniam*, & *juris* administrationem pro *muneribus* venditam. Prius innuitur Act. VIII. 19. 20. Apoc. XVIII. 11. Posterius severe reprehenditur Deut. XVI. 19. Jes. I. 23.

(2) Quando victus illicita vitæ ratione cum damno tam *corporali*, quam *spirituali* Proximi quæritur, uti fit:

(a) Ab

(a) Ab illis, qui quoniam laborem fugiunt, *ex eleemosynis* vivunt, etiamsi id fiat sub prætextu pietatis Matth. XXIII. 14.

(b) A *malæ causſæ patronis*, *prævaricatoribus*, *proditoribus*.

(c) Ab illis, qui infames artes exercent, *circumforaneis*, *agyrtis*, *histrionibus*, *lenonibus*, *tabernariis*, qui ludendi, potandique commoditatem præstant, *aleatoribus*.

(d) Per *ludos* quoscunque, quibus non solum tempus perditur, sed etiam per damnum Proximi proprium lucrum intenditur; a quo crimine *sponsiones*, *ollæ fortunæ*, *lotariæ*, seu *sortilegia*, similesque acquirendi modi plene exculpari nequeunt.

LI. *Retentionis iniquæ* itidem varia sunt genera.

(1) Mali debitores Ps. XXXVII. 21. Prov. III. 27. 28.

(2) *Depositi* neglectus aut iniqua administratio, cujus præcipue mali Tutores rei sunt.

(3) *Infideles Oeconomi* Luc. XVI. 1. Matth. XXIV. 45.

(4) *Inventum* sibi appropriatum seu negatum Levit. VI. 3. Deut. XXII. 1. 2. 3.

(5) *Merces operariorum* abbreviata Jac. V. 4.

(6) *Occlusio* cordis atque *manuum* a miseris & pauperibus, quibus opitulari possumus Jac II. 15. 16. 1. Joh. III. 17. 18.

LII. Optandum esset ipsos *regenitos* eousque in Gratia progressos esse, ut nulla tot actionum iniquarum contra Proximum labe se inquinarent. Sed tanta sæpe est incogitantia in verbis, vani-

tas in gestu atque habitu, imprudentia in conversatione, laxitas circa adiaphora, lucri in præjudicium Proximi sectatio, sordida parsimonia, ut mundani homines nihil minus quam gravitatem & decentiam Christianam in ejusmodi *conformatione cum mundo* Rom. XII. 2. animadvertere queant.

LIII. Virtus contraria, quam rationalis *Amor Proximi* producit, solet proprie JUSTITIA, Δικαιωσύνη, צדק, dici. Synonyma ferme ei est BENIGNITAS, חסד, Χρηστότης, Αγαθωσύνη, (quæ duo tamen Gal. v. 22. distinguuntur) nisi quod *posterior*. Proximum magis in relatione *ad nos*, *prior* in relatione ad Deum considerat. Mutuis sane nexibus hæ sibi inhærent. Suum enim Proximo non tribuit, adeoque injustus est, qui benignitatis officio deest. Et vicissim *Benignitati* exercendæ *Justitia* limites ponit. Quare duplex hæc Virtus, in exercitio Amoris Proximi semper conjungenda, constituit talem *animi habitum, quo regenitus ex intima voluntatis propensione erga Proximum in præstandis ei officiis quibuscunque Lege divina comprehensis est occupatus.*

LIV. Hic habitus primo in mente se prodit per *rectum de Proximi persona factisque Judicium* Joh. VII. 24. quo pertinet

(1) Ut *suspendatur*, ubi res non solum obscura est, verum etiam ad forum nostrum non pertinet Rom. XIV. 13. 1. Cor. IV. 5. Jac. III. 1.

(2) Quando autem officium nostrum requirit, ut *judicium* proferamus, *Benignitas* cum *Justitia* debet esse conjuncta.

LV. *Be-*

LV. *Benignitas* requirit, ut *propendeamus semper in favorem Proximi*, sive illum ut *creaturam Dei* dotibus variis instructum, sive relate ad *Legem Dei*, sive in relatione *ad nos* consideremus.

(1) Primum jubet, ut debitum *Honorem* Proximo exhibeamus Rom. XII. 10. 1. Petr. II. 17. Quatenus enim dotes easdem nobiscum possidet, nos in ipso honoramus. Et quando majores Deus concessit, honor eapropter, in Proximum collatus ad Deum redit.

(2) Alterum nos obligat ad *bene* de Proximo *sperandum*, tum quoad *Statum* ejus, quando fundamentum aliquod adest; tum quoad *Actiones* ejus, quantum res patitur, in meliorem partem eas interpretando 1. Cor XIII. 13.

(3) Tertium impedit, ne facile nos ei *præferamus*, adeoque & *Humilitatem* illam inculcat, quam relate ad Proximum exercere debemus Phil. II. 3.

LVI. *Justitia* ab altera parte hoc judicium ita dirigit, ut non simus cœci, neque quoad *Statum* ejus, neque quoad *verba* & *Actiones* ejus Ezech. XIII. 19. 1. Joh. IV. 4. Job. XII. 11. Nemo enim facile In corrupto hoc hominum statu præsumi potest bonus. Neque absque æqua judicii lance aut prudenter in mundo perverso ambulare, aut animæ Proximi salutem debito modo promovere possumus.

LVII. Simile temperamentum Affectibus inesse debet. *Benignitas* enim impellit,

(1) Ut similes Affectus cum Proximo induamus, *gaudendo cum gaudentibus*, *flendo cum flentibus* Rom. XII. 15. 1. Cor. XII. 26.

(2) Ut

(2) Ut ita etiam legitima cum *longanimitate* conjuncta sit, adeoque tardiuscule prorumpat, intra limites justos contineatur, & facile remittatur per animi ad *obliviscendum offensæ* eamque condonandum inclinationem 2. Cor. VI. 6. Gal. V. 22. Ephes. V. 2. Col. III. 10.

(3) Ut propensi simus ad impendendum vires nostras in promovendam nostram cum Proximo unionem.

LVIII. *Justitia* autem simul imperat,

(1) Ut nunquam lætemur de peccatis Proximi 1. Cor. XIII. 6. ut potius eapropter *indolescamus* Ezech. IX. Psalm. CXIX. 53. 136. Jerem. XIII. 17.

(2) Ut propterea ira ac zelo impleamur, quin sæpe arctissime amoris vincula rumpamus. Deut. XXXIII. 9.

(3) Denique ut unionis cum Proximo finis semper maneat gloria Dei, quo pertinet Sancta *Æmulatio* eorum, qui gratiæ divinæ efficaciam in professione ac vita sua commonstrant Rom. XI. 14. 2. Cor. IX. 2. 1. Petr. III. 13. Hæc requirit, ut non solum *exeamus in vestigia ovium* Cant. I. 8. imitantes illos, qui in exercitio pietatis præcedunt, sed ut ad majorem quoque super alios mensuram enitamur 1. Cor. XII. 31.

LIX. Cum autem *totus* Proximus secundum *animam* & *corpus* objectum debeat esse amoris nostri, hinc distinguimus inter *virtutes* atque *officia*, quæ magis directe ad *animam* referuntur, & quæ simul quoad *corpus* ei exhibentur, quamvis prius genus posteriori semper intime innexum sit.

LX. Ad priorem classem officia tum *immediata* tum

tum *mediata* spectant. Illuc præter *Preces*, de quibus jam actum est Cap. VI. §. 42. & *Admonitiones* atque *Excitationes*, quibus communio mystica inter ipsos fideles exercetur, de quibus infra Lib. III. cap. 1. agetur, referimus:

(1) *Exhortationes* & *Reprehensiones*, quibus quoscunque pro re nata aut ad curam animæ suæ excitare aut a malo avocare contendimus Prov. XV. 23. XXIV. 3. 6. XXV. 11. 12. Hebr. III. 13. X. 24. 25.

(2) *Parrhesiam* in defendenda veritate contra quoscunque ejus hostes & oppugnatores Psalm. CXIX. 46--48.

(3) *Vitæ* ipsius pro Proximo *oblationem*, si animæ ejus aliquod lucrum afferri possit & divina vocatio accedat 1. Joh. III. 16.

LXI. Sed & magis *mediate* huc spectat EXEMPLUM BONUM, *Scandalo* oppositum, sive *sanctum studium totam vitam ita componendi, ut non solum nihil in ea occurrat, quod Proximum offendere, & a via salutis absterrere potest, sed ut potius per illud intendatur ad eandem viam inflectendam & in illa pergendam.*

LXII. Quare Exemplum bonum *materialiter* involvit in genere quarumcunque Christianarum virtutum studium; *formaliter* autem *publicam* in illis occupationem *cum parrhesia & prudentia* conjunctam.

(1) *Parrhesia* vult, ne nimium in occulto *delitescamus* ex diffidentia aut timore hypochriseos Matth. V. 14---15. Phil. II. 15. 1. Petr. II. 11. 12.

(2) *Prudentia* imperat, ut non solum ab omni *affe-*

affectationis ſpecie abſtineamus, ſed etiam commodas occaſiones, in quibus exemplum noſtrum utile eſſe poteſt, captemus. Neque enim omnia omni loco ac tempore ædificant. Denique, ut quovis modo inculpate coram hominibus ambulare contendamus, omnique ſuſpicioni, præjudicio perverſo, ſcandalo accepto, quantum in nobis eſt, præſtruamus Act. XXIV. 16. Phil. II. 15. 1. Theſſ. V. 22.

LXIII. Magni momenti hoc officium eſt.

(1) Quoniam ipſius Dei honor per Exemplum piorum illuſtratur, cum inde efficacia Gratiæ ejus appareat Act. IX. 20. 21.

(2) Quoniam nihil magis gloriam univerſæ Eccleſiæ illuſtrat, quam ubi verus ejus character in vita ſancta membrorum ejus revelatur.

(3) Quoniam homines paſſim *exemplis* magis *trahuntur*, quam *regulis*.

(4) Magis quoque univerſale eſt hoc ædificandi Proximum medium 1. Petr. III. 1. 2. 1. Cor. XIV. 25.

(5) Pertinet hoc officium ad Sacerdotium Novi Teſtamenti, quo non ſolum in Sanctuario ſed etiam in Atrio myſtico defunguntur fideles; & ad divitem *unctionis* Spiritus ſancti modulum, cujus bona *fragrantia* ad alios quoque penetrare debet.

LXIV. Inter illa, quæ circa Proximum quoad animam & corpus ſimul ſunt obſervanda, præ omnibus requiritur *rectus uſus linguæ*. Quamvis enim dentur caſus, in quibus Proximo non obſtricti ſumus ad loquendum, quando tamen loquimur, ut membro hoc convenienter ſcopo Dei, qui

qui ejus usum concessit, utamur, fas est. Psal. XXXI v. 14. Prov. XXI. 23. Tanti id momenti est, ut auxilium Dei ad hoc officium implendum imploretur Ps. CXLI. 3.

LXV. Prima virtus, quæ huc pertinet, est VERACITAS, Αλήθεια, אמת, quæ hic designat *studium convenientiæ perpetuæ tum inter verba & mentem suam, tum inter verba & rem ipsam.* Ad omnia ergo verba, quibus ad Proximum utimur, hæc virtus se extendit, sive de rebus *divinis* sive *humanis* disseramus: sive communibus sacris cum illo utamur, sive *non utamur*, quod discrimen male *Priscillianistæ* urgebant. In singulis ita versari fas est

(1) Ne unquam contra mentem loquamur, quod *veritas moralis* solet appellari: sive quum *testimonium personæ* tam *in præsentia* quam *in absentia* aut *rei gestæ* gerendæve perhibemus, sive quum in futurum *fidem* nostram obstringimus.

(2) Ut etiam convenienter rebus ipsis loquamur, quod *veritas metaphysica* dicitur. Huc pertinet debita circumspectio, ne *testimonium* perhibeamus nisi de re bene cognita, neve fidem nostram demus, nisi exploratis abunde circumstantiis rerum nostrisque viribus, ut verbis nostris nos non illaqueemus.

LXVI. Serio hæc virtus absque ulla restrictione inculcatur a Propheta Zach. VIII. 16. a Servatore Matth. v. 37. & Apostolo Ephes. IV. 25.

(1) Veracitas est pars essentialis imaginis Dei & exempli, quod Christus nobis imitandum proposuit 1. Petr. II. 22.

(2) Vinculum societatis humanæ id requirit, quod

quod Apostolus loco citato intendit, monens, quod *simus alii aliorum membra.*

(3) Convenit hæc Virtus sigillatim gloriæ Ecclesiæ Nov. Testam. in qua *Hierosolymæ vocantur urbs veritatis* Zach. VIII. 3. Adde Zeph. III. 13.

LXVII. Cæteras Virtutes *Verba* regenitorum ornantes sub *verbi boni* phrasi comprehendit Apostolus 2. Thess. II. 16. 17. Per compendium illas addimus.

(1) Quando bonum Proximi nomen sinistre ab aliis laceratum etiam in absentia ejus pro virili defendere conamur.

(2) *Tarditas* ad loquendum Jac. I. 19. commendatur. Illa vult, ut præmeditato ad loquendum accedamus, ne verba mentem præcurrant.

(3) *Gravitas* in loquendo vult, tum ut seria serio tractentur, tum ut dicantur *necessaria, eaque paucis*, ipso *Epicteto* injungente Cap. XLI.

(4) *Sapientia* est *Sal*, quod verba sapida reddit, illisque præcipuum pondus addit Eccles. XII. II. IX. 17. 18.

(5) Conjuncta tamen sit *Lenitas*, *Comitas* & *Affabilitas* ἡπιότης, animi blandi, mansueti, humilisque index, quæ gratæ jucunditatis mixturam addit 1. Thess. II. 7. Col. IV. 6.

(6) Sed & debita laus Proximi est commemoranda, plus quidem absentis, ut bonus odor famæ ejus promoveatur; aliquando tamen & præsentis, ut gratia Dei agnoscatur ac calcar currentibus addatur Rom. I. 8. 1. Thessal. I. 8. 9.

LXVIII. Interea aliquando *Taciturnitas* Proximo

mo est præstanda, ut tam *animæ* quam *corporis* ejus salus promoveatur.

(1) Quoad ipsas *veritates divinas* interdum silentium servandum, ne mensura peccatorum Proximi accrescat, & ut melior opportunitas exspectetur Prov. XXIII. 9. XXVI. 4. Matth. VII. 6. 1. Sam. XXV. 36. Luc. IX. 36.

(2) Quoad res humanas

(a) Fideliter servanda sunt *sancto silentio secreta* Proximi Prov. XI. 13. nisi forte talia revelavit, quæ salva obligatione alia, qua tenemur, reticeri nequeunt.

(b) De vitiis & peccatis ejus silendum, quæ adhuc occulta sunt, & salva conscientia tegi possunt.

(c) Silentio convitia ejus sunt excipienda, exemplo Christi 1. Petr. II. 23.

LXIX. Quid in factis Proximo præstandum sit, Servator unica illa regula complectitur: *Quæcunque vultis, ut vobis faciant homines, facitote illis* Matth. VII. 12. Hanc impleturus non solum cavebit, ne Proximo noceat, sed etiam omni modo in id incumbet, ut Vitam, Honorem, atque Opes Proximi pro virili tum *conservet*, tum *adaugeat*.

LXX. Ad *conservationem* referimus CANDOREM Christianum, qui etiam sub generali *Honestatis* nomine solet comprehendi, quinque facit, ut regeniti illam *Simplicitatem* ac *Sinceritatem*, quæ secundum Lib. 1. cap. 9. & 10. omnia eorum opera coram Deo legitima reddit, ita constanter præ se ferant, ut eam Proximo semper præstent, illumque de hac interna animi sui dispositione con-

vincere adnitantur. Huc ergo pertinet

(1) Quoad *ſtatum*, ut quales ſumus coram Deo, tales etiam, & non meliores, coram hominibus apparere contendamus.

(2) Quoad *actiones*, ut *ſcopum*, quem nobis præfiximus, quantum prudentia permittit & Proximi intereſt, absque alterius deterioris & ſæpe in damnum Proximi vergentis finis diſſimulatione libere & aperte profiteamur; atque nullis aliis *mediis*, quam quæ licita ſunt, & quæ absque pudore profiteri poſſumus, utamur.

LXXI. Singulare hujus virtutis decus eſt.

(1) Chriſtianismum mirifice ornat, eumque venerabilem & deſiderabilem in oculis hominum reddit, quia omnis doli eum expertem eſſe demonſtat Joh. 1. 47.

(2) Non ſolum teſtimonio Dei, ſed etiam hominum gaudet, qui etiamſi ipſi fraudulenter vivant atque agant, tales tamen tacite venerantur, formidant, & aliis præferunt, quos *candide* ſecum agere animadvertunt.

(3) In quocunque Dei atque hominum judicio impavidum reddit Joh. III. 21.

(4) *Columbis* Chriſtianos aſſimilat Matth x. 16. ſub quarum effigie fideles Novi Teſtamenti depingi ſolent Cant. I. 15. Matth. x. 16.

LXXII. Huic virtuti generali jungimus illas *ſpecialiores*, quibus *Vita*, *Honor*, *Bona* Proximi conſervantur. Primum præſtat Pacis studium, Εἰρηνη, quod eo tendit, ut *cum unoquoque homine, quantum in nobis eſt, amicitiam colamus.*

(1) Objectum quidem proximum *Pacis* ſunt illi, quibuscum vinculo ſpiritualis amoris coaluimus

mus 2. Tim. II. 21. Marc. IX. 50. sed tamen & ad omnes se extendit, qui ejusdem naturæ sunt consortes; & quos per externæ pacis sectationem in pacem internam adducere quærimus Rom. XII. 18.

(2) Exercitium autem Pacis duo involvit,

(a) Ut *conservandæ* hnic *Paci* commodum proprium sacrificare, & de rigido *jure* nostro, quantum per conscientiam licet, *remittere* parati simus 1. Petr. III. 11.

(b) Quando Pax illa non solum nostra, sed etiam Proximi culpa *violata* est, serio absque mora *resarcire* eam, atque nos quovis modo placabiles præstare Proximo contendamus Matth. V. 23--26.

LXXIII. Insigne est hujus Virtutis momentum

(1) Inter singulares fructus Spiritus sancti & gnorismata gratiæ reputatur Gal. V. 22. 1. Cor. VII. 15. XIV. 33. Jac. III. 17.

(2) Præstantissimæ promissiones cum pacis studio sunt connexæ 2. Cor. XIII. 11. Jac. III. 18. 1. Petr. III. 11.

(3) Singularem efficaciam hæc virtus habet ad Proximum lucrandum Rom XIV. 19.

(4) Convenit cum indole interna Regni Christi sub Novo Testamento, quod post omnem inimicitiam abolitam est Regnum Pacis Jes. IV. 2.

LXXIV. In eandem Virtutum classem referimus, quæ *Honorem* Proximi custodit, CASTITATEM, Ἁγνότητα, ejusque comitem & indicem *Verecundiam*, *Pudorem*, Αἰδῶς dictum, atque in eo consistentem, ut *verbis*, *gestibus*, *habituque*

toto, nihil quod castos oculos auresque lædere potest, committamus, sed potius Proximi pudori consulamus & corpori ejus debitum honorem præstemus.

LXXV. Impense hanc Virtutem Scriptura inculcat in quovis statu 1. Thess. v. 3--5. 1. Tim. II. 9. v. 22.

(1) Ad imaginem Dei hoc spectat 1. Joh. III. 3.

(2) Efficaciam gratiæ in credentibus ostendit, per quam omnem impuritatem odio habent, & ab ea non solum *spiritum* sed etiam *corpus* purificare contendunt.

(3) Corpori Proximi id debetur, quia domus est animæ, multo magis, quando id peculium Domini & Templum Spiritus sancti evasit 1. Cor. VI. 19. 20.

LXXVI. Ad *Bonorum* Proximi Conservationem directa est Justitia seu Æquitas, Επιείκεια, in sensu strictissimo accepta, quæ *paritatem sortis humanæ considerans, dispositionem divinam in distribuendis rerum dominiis agnoscit, atque extra eam sibi nullum jus in Proximi Bona arrogat, quam Proximo in sua Bona tribuit.* Hanc incommode quidam in Justitiam *Commotativam* atque *Distributivam* distinxerunt; aptius alii in *expletricem & attributricem.* Id certum est, quod ea sit exercenda non solum in *Contractibus* tam pangendis, quam explendis, sed etiam ubi nulli Contractus intercedunt. Prius pressius *Justitiæ rigor*, posterius *Æquitas* postulat. Per hanc *Æquitatem* præmia bene merentibus solvuntur, inventa, si pote, Dominis suis restituuntur, vel volentibus injuria non infertur, ex ignorantia Proximi lucrum

crum non quæritur, & multa, quæ ipsæ Leges civiles permittunt, pro iniquis æstimantur.

LXXVII. Hanc Virtutem Scriptura inculcat Dan. IV. 27. Jes. XXXIII. 15. 16. LVIII. 6. Ezech. XVIII. 7. 8. 9. Et quamvis multa, quæ contra *Æquitatem* sunt, excusari coram hominibus soleant, Christianus tamen nunquam vel latum unguem ab ea sibi discedendum esse statuit.

(1) Quoniam per Fidem novit se subesse Foro poli, nullumque alium Bonorum largitorem præterquam solum Deum agnoscit. Unde persuasus est, hoc solum vinculum etiam omnibus humanis vinculis cessantibus sufficere, quod si rumperet, ipsum *nomen Dei profanaret* Prov. XXX. 8. quoniam in ejus jus involaret.

(2) Quoniam id revera continetur in regula generali, quam §. 68. proposuimus

(3) Quoniam pius per rigidum Æquitatis exercitium Proximum de sinceritate sua convincet, atque eo magis animæ ejus utilis esse poterit.

(4) Quoniam fideli N. T. hoc pacto incumbit demonstrare, quam vili bona terrena æstimet.

LXXVIII. Et quidni *Æquitas* præscripta esset, cum Amor Proximi secundum Legem Christi ulterius etiam ad illa officia extendi debeat, quibus res Proximi augeri possunt. Hæc includit nomen BENEFICENTIÆ, Αγαθοποιΐας, Ενεργεσίας, per quam intelligimus *actualem regeniti occupationem in omnibus, quibus vita Proximi felicior evadere potest.* Huc velificatur *Humanitas*,

Pacificationis ſtudium, & ſpecialius in proſpero ſtatu *Favor*, in adverſo *Miſericordia*.

LXXIX. Humanitas, φιλανθρωπία, certa ratione reliquas virtutes ſub ſe comprehendit. Strictius tamen deſignat *blandum cum aliis converſandi modum, ut benevolum noſtrum animum erga eos conteſtemur.* Huc pertinet, præter verborum ſuavitatem, cujus §. 67. mentio eſt injecta, & *Urbanitatem* ſeu *Civilitatem* in moribus, quam Quakeri ex vita communi ſordidæ *Ruſticitatis* affectato ſtudio exterminatum eunt, *Promtitudo* ad officia Proximo dictis factisve, aliquando cum proprio incommodo, præſtanda, quibus vita ejus ſuavior commodiorque reddi poteſt. Ejus generis ſunt facilitas in dando conſilio, in mutuo dando, in auxilio præſtando: familiaritas in viſitatione Chriſtiana: addicta Proximo in variis vitæ hujus viciſſitudinibus, feſtivis æque ac luctuoſis, opera, in quantum absque conformatione vitioſa cum moribus hujus ſeculi inſtitui poteſt.

LXXX. Virtus hæc ab ipſo Servatore inculcatur Matth. v. 41. 42. Colludit præceptum Apoſtoli Rom. xii. 17. Et certe impenſe commendari meretur:

(1) Quoniam impoſſibile eſt, ut non aliorum adjuvandorum ſtudio ſit impletus, qui ipſe apud ſe rite reputat, quanta ſit illa φιλανθρωπία, qua Deus erga ſe & quoscunque alios homines, quamvis per diverſos gradus, utitur.

(2) Quia varia Civilitatis genera ſemper in populo Dei fuerunt uſitata.

(3) Quia

(3) Quia exempla ejus laudantur in ipsis gentilibus Hethæis Gen. XXIII. 6. Melitensibus Act. XXVIII. 3.

(4) Quia Austeritas in moribus præjudicium magnum contra veram pietatem gignit.

(5) Quia Humanitas, quæ Proximum de nostro sincero erga ipsum affectu convincit, cor ejus patulum reddit monelis atque conatibus, quibus eum lucrari Domino contendimus.

LXXXI. STUDIUM PACIFICATIONIS, Εἰρηνοποιία non solum vult, ut ipsi *pacem* cum Proximo sectemur, sed ut etiam *inter alios eam promovere quæramus.* Duo huc pertinent. Alterum est, ut ante omnia quæramus ad *Pacem cum Deo* Proximum perducere per illa media, quæ §. 60. sq. sunt enarrata. Alterum, ut & *Pacis aliorum* inter se curam habeamus, idque iterum dupliciter:

(1) Corda eorum inter se in bono scopo conglutinando, quod fit, quando optima quæque de absentibus loquimur, & quicquid offensioni ansam dare potest, tempestive e medio removere quærimus.

(2) Reconciliationem inter eos, qui a se invicem sunt abalienati, tentando.

LXXXII. Quanti hæc virtus apud Dominum sit æstimata, manifestum fit:

(1) Ex nexu ejus cum vera Fide, quoniam intensum studium Pacem Proximo procurandi nascitur ex intimo sensu beatitudinis cum fruitione veræ Pacis conjunctæ.

(2) Ex interna exercitii ejus indole.

(a) Per illud exemplum ipsius Domini exprimitur, cujus tanquam Principis Pacis tam meritum quam regimen eo tendit, ut hanc Pacem inter electos suos procuret, atque stabiliat Ephes. 11.

(b) Per illud regeniti hæredes fiunt promissionis Domini Matth. v. 9.

(c) Per illud Proximus pellicitur ad communionem cum omnibus illis præclaris effectis, quæ Pax cœlestis ac terrestris largitur.

(d) Hoc potissimum convenit œconomiæ N. T. in qua muro intergerino destructo præparatio paulatim fit ad possessionem plenissimæ illius Pacis, quæ in extremo dierum exspectatur Jes. 11. 4. xi. 6--v. lxv. 25.

LXXXIII. Favorem hic appellamus eam Virtutem, quæ effectibus Livoris est opposita, & *per quam de prospero successu rerum Proximi gaudentes lætitiam hanc cordis indiciis externis testatam dare contendimus.* Pro objecto ergo habet tum integrum statum Proximi, spiritualem æque ac corporalem, tum moliminum ac negotiorum ejus bonorum, præsertim ad honorem Dei & utilitatem populi ejus magis tendentium, optatum successum. Hæc materia est gaudii regenito, quo æque ac si sibi hæc felicitas contingeret, impleri, ac propterea Deo gratias agere debet. Signis quoque externis, *favore linguæ*, sinceris *gratulationibus*, moliminum *promotione*, aliisque officiis, quibus res prosperæ Proximi conservari & augeri possunt, hunc animum declarabit.

LXXXIV. Hoc sigillatim vult Apostolus, injun-

jungens *gaudere cum gaudentibus* Rom. XII. 15. Et merito.

(1) Ad honorem Dei pertinet, ut munificentia, qua erga alios usus est, grato animo agnoscatur. Hic finis est, in quem beneficia divina publice commemorantur, ut nempe alii quoque ad laudem Dei eapropter incendantur Ps. LXVI. 16. CXVI. 17. 18.

(2) Judicium hoc est Fidei in sua sorte acquiescentis, Dominoque bonorum suorum liberrimam dispositionem resignantis.

(3) Hoc ipsum Proximum animabit ad Bona, quæ accepit, in communem Ecclesiæ usum impendenda.

LXXXV. MISERICORDIA רחם, רחמים, חסד, ἔλεος, οἶκτος, οἰκτιρμὸς. est ille habitus regeniti, a Spiritu sancto infusus, quo *ex intimo miseriæ propriæ miserationisque divinæ sensu per miseriam aliorum, quibuscunque malis obrutorum, ac præcipue vinculis peccati constrictorum, intime tangitur, & permovetur ad levamen atque opem verbis factisque pro virili præstandam.*

LXXXVI. Objectum adeoque misericordiæ est *miseria Proximi*, qua vel secundum animam vel secundum corpus est impletus. Secundum animam in sensu pleniſſimo *miser* est *peccator*. Sed & reliquiæ ejus miseriæ in ipsis *tentationibus* fidelium occurrunt. Quoad corpus omnes *afflictiones* externæ tam piorum quam impiorum huc pertinent. Certa quædam afflictionum genera, *viduas*, *orphanos*, *peregrinos*, *pauperes*, præ aliis Lex commendavit, quoniam in illis emblema occurrit miseriæ spiritualis; quæ viscera com-

commiserationum requirit. Sed & ad quoscunque *oppressos*, *ægrotos*, *captivos*, illa sunt extendenda.

LXXXVII. Exercitium misericordiæ requirit:

(1) In *verbis* consilia & solamina cuicunque afflictionis generi congrua Ps. LXIX. 21.

(2) In *factis* non solum *visitationem* Job. II. 11. 14. sed etiam *auxilium* reapse cum facultatum impendio, aliquando cum ipsius corporis vitæque periculo conjunctum Jac. II. 15. 16. 1. Joh. III. 16. 17. 18. Unde liquet, quod *Facilitas in præstando auxilio*, *Hospitalitas*, *Liberalitas quoad pauperes* diversi *Misericordiæ* rami sunt.

LXXXVIII. Postrema Virtus præ aliis hic in censum est vocanda. Consistit enim LIBERALITAS seu *Munificentia* in generoso admodum animi credentium motu, quo *tam spiritualia quam corporalia bona impendere parati sunt*, *ad Proximum in variis necessitatibus externis internisque*, *præsertim in egestate*, *sublevandum*.

LXXXIX. Cum hæc virtus potissimum exerceatur per ELEEMOSYNAS, distinguimus illas in *ordinarias* & *extraordinarias*. Priores pars semper cultus publici fuerunt. Posteriores privatæ uniuscujusque fidelis dispensationi sunt relictæ. Circa utrasque earum tum *objectum* tum *erogationis modus* notari debet.

XC. Objectum sunt *omnes homines*, qui opis nostræ revera indigent, ipsis indignis non exceptis Matth. v. 45. Duplex tamen observanda erit limitatio.

(1) Vere *pauperes* debent esse, non prætensione

ne duntaxat, uti *Monachi mendicantes* in Papatu; adeoque carere non solum rebus necessariis, sed etiam facultate honesto labore eas comparandi.

(2) *Gradus* sunt observandi, tum pro ratione indigentiæ majoris aut minoris, tum secundum vincula relationis propinquioris aut remotioris. Unde primas debemus dare illis, quibuscum spirituali unione conjuncti sumus Matth. XXV. 35. 36. 40. Gal. VI. 10.

XCI. Ad *modum erogationis* pertinet ante omnia *Datoris* conditio. Præ aliis quidem hic obligati sunt *divites* 1. Tim. VI. 19. qui ex superabundantibus opibus, quas Deus ipsis propter alios indulsit, dare debent. Sed tamen illi quoque tenentur, quibus res domi est angustior, si major alterius necessitas id postulet. Marc. XII. 41. Luc. XII. 3.

XCII. *Officia* autem varia in dandis eleemosynis, tam quoad *dantis* animum, quam quoad *dationis circumstantias*, requiruntur.

(1) In animo dantis commendantur.

(a) Verum *Amoris Sancti* principium 1. Cor. XIII. 3. Job. XXX. 5.

(b) *Spontaneitas* 2. Cor. IX. 7. Rom. XII. 8. Hanc revelat *promtitudo* ad cito dandum Prov. III. 28.

(c) *Abundantia* 2. Cor. IX. 6. Luc. III. 11. VI. 38. quæ tamen prudentia temperanda est, ne absque necessitate aliis porro benefaciendi facultate nos privemus.

(d) *Justitia*, quæ requirit illorum Bonorum erogationem, quæ justo titulo possidemus.

(e) *Hu-*

(e) *Humilitas*, quæ nullum meritum apud Deum ex Legis hujus implemento sibi fingit.

(f) *Propriæ utilitatis abnegatio*, qua nullam remunerationem ab hominibus exspectamus Luc. XIV. 12--14.

(g) *Constantia* qua in succurrendo miseris non *fatigamur*.

(2) Ad circumstantias *dationis* referimus

(a) Quod dandum sit in occulto Matth. VI. 1--4.

(b) Quod pudori eorum, quibus aliquid erogatur, consuli debeat 1. Cor. XI. 22.

XCIII. Insigne sane membrum in catena Virtutum *Misericordia* constituit. Neque enim censeri potest unquam in vera Conversione miseriæ humanæ magnitudinem sensisse, aut misericordiam apud Deum inveniisse, qui non tangitur aliorum miseria. Unde ipsis externis cultus divini partibus præfertur Matth. XII. 7. & inter ponderosissima Legis præcepta adnumeratur Matth. XIII. 23. Quin fundamentum est parrhesiæ, qua bona conscientia coram Deo utitur Jes. I. 17. 18.

XCIV. In se spectata eadem Virtus maxime amabilis est.

(1) Pars essentialis est cultus divini Jac. I. 27.

(2) Exprimit exemplum Dei & Christi Luc. VI. 36. Ephes. IV. 32. Col. III. 16. 17.

(3) Promissionibus amplissimis gaudet Matth. V. 7. Jac. II. 13.

(4) Proximum ut partem sui considerat 1. Cor. XII. 26. Hebr. XIII. 3.

(5) Convenit maxime fidelibus Novi Testamenti,

menti, tum quia major est modulus gratiæ, qui ipsis indignissimis est exhibitus; tum quia per plures afflictiones sub ejus œconomia fideles exercentur, quas mutua commiseratione Dominus vult leniri.

XCV. Præcipue in eleemosynis commendandis Scriptura admodum operosa est, Deut. xv. 7. 8. Hebr. XIII. 16. 1. Tim. VI. 18. Accumulat quoque argumenta, ut tarditatem cordis humani expugnet.

(1) Ad *nexum* virtutum Christianarum quam necessariæ sint *Eleemosynæ*, liquet exinde, quoniam inter præstantissimos *Fidei fructus* & potissima *Gratiæ criteria* adnumerantur 1. Joh. III. 17.

(2) In se consideratæ fragrantissima quasi sunt unguenta & aromata membrorum Christi.

(a) Ad cultum Dei pertinet, ut ejus imago in pauperibus coram mundo honoretur Jac. II. 5.

(b) Exemplum Christi exprimitur 2. Cor. VIII. 9.

(c) Promissionibus amplissimis fides habetur Prov. XIX. 17. 1. Tim. VI. 19. Gal. VI. 9.

(d) Testatum damus, quod Bona meliora ac præstantiora quæramus.

(e) *Justitiam* Proximo exhibemus. Unde Judæi eleemosynas δικαιοσύνλω appellare solent.

(f) Nihil efficacius cor Proximi præparat ad recipiendum admonitiones nostras, adeoque ad lucrandum ejus animam.

(g) Superpondium addit ratio Novi Testamenti, in quo & Communio Sanctorum arctior evasit

sit & cura rerum mundanarum magis est exstirpata. Hinc inter gnorismata fidelium Novi Testamenti occurrit, & cum Bonorum ejus promissione conjuncta est Ps. cxii. 5. 9. Jes. lviii. 8. 9. 10. II.

CAPUT NONUM.

De *Officiis* seu *Mediis* generalibus ad *Conservationem* & *Incrementum* in statu Gratiæ procurandum.

SUMMARIUM.

I. *Supponitur, omnes, qui in statu Gratiæ sunt, de ejus* Continuatione *sollicitos esse debere* §. 1---12.

A. *In genere id probatur* 1.

B. *Specialius indicantur* officia *huc pertinentia* 2---12.

1. *Junctim proposita* 2---5.

2. *Divisim deducta* 6---12.

a. Studium Conservationis 6---8. *quod*

α. *Describitur* 6. 7.

β. *Argumentis urgetur* 8.

b. Studium proficiendi 9---12. *quod*

α. *Describitur* 9---11.

β. *Argumentis urgetur* 12.

II. Me-

II. MEDIA *huc spectantia enumerantur* 13---38.
A. *Propositio* 13.
B. *Deductio* 14---38.
1. *Quatenus considerantur* a parte Dei 14. 15.
2. *Quatenus considerantur* a parte nostra 16---38.
a. Media inepta 16.
b. Media congrua 17---38.
α. *Generatim eorum indicatur* 17---19.
א. Indoles 17.
ב. Divisio 18. 19.
β. *Speciatim agitur de* Mediis communibus 20---38.
א. *Catalogus eorum datur* 20---34.
a. *Quatenus* conservant, *Fidem supponentia* 20---30.
a. Preces 21. 22.
b. Studium Scripturæ sacræ 23. 24.
c. Meditatio 25.
d. Exploratio sui ipsius 26.
e. Gratitudo pro beneficiis acceptis 27.
f. Recordatio fœderis Dei 28.
g. Conversatio cum sanctis 29.
h. Attentio ad motus Spiritus sancti 30.
b. *Quatenus* præservant 31---34.
a. Agnitio suæ imbecillitatis 31.
b. Timor lapsus 32.
c. Occasionum fuga 33.
d. Obstaculorum remotio 34.

ב. Se-

2. Selectus *urgetur* 35---38.
   a. *Generalis quoad* omnes 35. 36.
   b. *Specialis* 37. 38.
      a. Quoad minus exercitatos 37.
      b. Quoad magis exercitatos 38.

I.

Quamvis propositum regeniti statim a primo Conversionis genuinæ initio implicite & radicaliter ad omnium Virtutum atque Officiorum, quæ percensuimus, studium se extendat; nihilominus neque in hoc proposito, neque in executione ejus initiali subsistere debet. Ut enim persuasus in conscientia sua sit, quod vere ex Regno tenebrarum in Regnum Lucis transierit, *Continuatio* ejus status ei debet cordi esse. Nimis enim magna hæc est felicitas, quam ut quispiam, qui sensu ejus fruitur, carere eo absque summa animi ægritudine valeat.

II. Ad hanc autem *continuationem* referimus duo Officia generalia, quæ pertractatis superaddi debent, scilicet Studium perseverandi & Studium crescendi in Gratia, qua donatus est.

III. Duo hæc officia conjungimus, quia sibi invicem innexa sunt. Nihil enim aliud per illa intelligimus, quam *legitimum usum illorum Mediorum, per quæ actuositas vitæ spiritualis conservari & augeri potest.* Cum autem media hæc coincidant, quoniam, quæ Gratiam conservant, eadem & profectum in gratia largiuntur, & eapropter utrumque semper simul intendant fideles,

les, maluimus hæc conjungere, quam nimis subtiliter separare.

IV. Negari nequit, quod utraque, tam *Perseverantia*, quam *Incrementum* sanctificatorum unice dependeat a Gratiæ divinæ efficaci operatione. Analogia hic singularis est inter *Regnum Providentiæ* generalis & Regnum Gratiæ, inter vitam naturalem & spiritualem. Hinc utrumque Deus se fœderatis suis præstiturum esse promisit Jerem. XXXII. 39. 40. Joh. XV. 2. Utrumque etiam fideles a Deo orant & optant Ephes. III. 17. 19. Col. I. 11.

V. Quemadmodum autem Deus in *Regno naturæ* sapientissime instituit caussarum secundarum perpetuam catenam, per quam ipse fines suos per creaturas indubitato assequitur, sic ut illis operantibus cooperetur; pari ratione in Regno Gratiæ Mediorum sibi invicem subordinatorum nexum instituit ea fini, ut creatura nova per illorum Mediorum legitimum usum Fini suo paulatim propinquior evadat. Si ergo vitæ naturalis Conservator Deus est, & nihilominus illa jam alimentis, mox remediis indiget ad sustentationem simulac augmentum requisitis, facile animadvertitur, quod idem circa vitam spiritualem requiratur.

VI. STUDIUM CONSERVATIONIS per voces μένειν, manere, nec non נצר, שמר, τηρεῖν, φυλάτειν, *custodire*, *servare* expressum, interdum consideratur ut *Conservatio animæ* ipsius, cui Lex Fœderis Gratiæ per initia regenerationis est inscripta, interdum ut *Custodia ipsius Legis*, seu Præceptorum, seu verborum Domini, quæ

coincidunt. Consistit autem hæc *Conservatio in sancto animæ nisu, ut ad finem usque in Statu gratiæ perseveret.*

VII. Huc ergo pertinet

(1) Ut regenitus quærat in conscientia sua de Gratia sibi facta persuasus esse. Neque enim conservari rite potest, quod dubitas, an acceperis.

(2) Ut initia hæc, quamvis sint tenuissima, pro thesauro maximo agnoscat, qui omnibus totius mundi divitiis præferendus est.

(3) Ut reminiscatur omnium periculorum, quibus in via salutis expositus est, iisque invigilet.

(4) Ut contra illa se muniat illis mediis, quæ statim subjungemus.

VIII. Officium hoc frequenter Scriptura inculcat Matth XXIV. 31. 1. Cor. XVI. 13. Jud. vs. 20. 21. In eodem præstito gloriatur Ecclesia Psalm. XLIV. 18. Idem se præstituros per gratiam Dei fideles vovent Job. XXVII. 3. 4. Psalm. CXIX. 33. 106.

(1) Hoc fluit ex natura veræ Fidei, quæ per hanc perseverantiam probatur Joh. VIII. 31. Hebr. III. 6. 14. idque eo magis, quoniam ad unumquodque bonum opus *Constantiam* requiri Lib. 1. cap. 9. §. 57. probavimus. Adde quod sincerus Amor esse nequeat, nisi qui in unione cum objecto amato perseverare contendit.

(2) Hoc postulat ipsa officii in se spectati æquitas.

(a) Tantum beneficium collatio Gratiæ salutaris involvit, ut qui in eo conservando otiosus atque

atque indifferens esset, summæ ingratitudinis contra Deum esset reus.

(b) Quamvis fideles Gratia nequeant excidere, sensu tamen omni Gratiæ privari & in tenebras maximas incidere possunt, si negligentes sint in hoc officio.

(c) Ipsæ promissiones de constantia Fœderis Gratiæ eos debent incendere, ut immutabilem Dei fidelitatem imitentur.

(d) Cum studio perseverantiæ conjuncta est læta exspectatio coronæ constantibus promissæ 2. Tim. IV. 7. 8.

IX. STUDIUM PROFICIENDI in sanctificatione, quod vocibus αὐξανειν, πλεισσευειν, *crescere*, *abundare* &c. exprimitur, illum sanctum animi designat nisum, *quo regenitus ab omnibus peccati reliquiis magis expurgari, & ad gloriam Dei Redemtoris sui aptior indies evadere contendit.*

X. Est autem *Profectus* in Gratia vel *generalis* quoad totum hominem internum, vel *specialis* quoad singulas virtutes. Unus sine altero esse nequit Ephes. IV. 15. 16. 2. Cor. VII. 1. VIII. 7. Signate autem commendatur

(1) Profectus in cognitione 2. Petr. III. 18. Hebr. V. 12.

(2) Profectus in fide Luc. XVII. 8.

(3) Profectus in singulis partibus sanctificationis Phil. III. 12--14. Apoc. XVII. 11. præsertim in amore 2. Thess. I. 3.

XI. Quare *Studium proficiendi* iterum involvit:

(1) Ut quis agnoscat, quod primitias Spiritus acceperit, atque eapropter in seipso lætetur.

(2) Ut quis humiliter defectus nævosque re-

siduos agnoscat, atque eapropter affligatur.

(3) Ut desiderio intimo perfectius Deum colendi, per promissa divina & exempla aliorum accenso, impletus sit.

(4) Ut per illud incitetur ad Mediorum statim subjungendorum diligentem usum.

XII. Hoc officium cum præcedenti conjungendum est: veluti fit 1. Cor. xv. 58. Adde 2. Petr. III. 18. Apoc. XXII. 11.

(1) Id iterum ex nexu omnium officiorum sequitur. Neque enim sincera erit *Fides* atque *Caritas*, nisi quæ in ulteriorem unionis cum Deo in Christo gradum, quamdiu ullus supereſt, enititur. Eph. IV. 15. 16.

(2) Sed & Æquitas officii hujus in se est aperta.

(a) Tanta felicitas cum primis Gratiæ initiis est conjuncta, ut, qui illa possidet, non possit non ulteriora ex toto corde desiderare.

(b) Promissiones, quas Deus de augmento Gratiæ dedit, contemnere, neque in usum suum eas convertere velle, animi degeneris & ingratissimi signum esset.

(c) Defectus incrementi indicium est morbi.

(d) Promotio ejus ad ipsius Dei gloriam tendit Joh. XV. 8.

(e) Eadem viam sternit ad majorem spiritualis modulum. *Qui habet, ei dabitur* Matth. XXV. 29.

(f) Nihil minus convenit Oeconomiæ N. T. quam in exigua Gratiæ mensura subsistere velle, cum Deus nobis amplissimam promiserit. Jes. XLIV. 3. 4. Mal. IV. 2.

XIII.

XIII. Cum autem hoc ſtudium in eo conſiſtat potiſſimum, ut MEDIA huc pertinentia rite impendantur, horum *indoles* & *ſeries* diligenter notari debet. Per ea intelliguntur *quæcunque vitæ ſpiritualis adminicula*, quæ poſſunt ſpectari vel *a parte Dei*, vel *a parte credentium*.

XIV. A *parte Dei* tam late hæc Media patent, quam late ſe extendit Regimen Triunius Dei in univerſo Regno Gratiæ, in quo omnia maxima, minima, ſecundum propoſitum æternum ita ſapientiſſime a Deo ſunt diſpoſita, atque conſtantiſſime flectuntur, ut tum Eccleſiæ univerſæ tum ſingulorum electorum animæ ad ſalutis æternæ fruitionem præparentur ac paulatim introducantur. *Novimus diligentibus Deum omnia ſimul adjumento eſſe ad bonum, iis, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt* Rpm. VIII. 28.

XV. Qui ita *Media* ſalutis ſuæ conſiderant, illorum officium eſt, ut certa ratione *paſſive* ſe habeant.

(1) Agnoſcere debent ſummam ſuam impotentiam in *Mediis* congruis tam inveniendis, quam impendendis 2. Cor. III. 5.

(2) Agnoſcere debent Dei ſui fœderati & fidelitatem & omniſufficientiam ad opus inceptum perficiendum Phil. I. 6.

(3) Ductui divino ſe totos debent permittere, cujus exitus ſemper glorioſus erit Pſalm. LXXIII. 23. 24.

(4) Nulla Media debent Deo præſcribere, neque in eorum defectu nimium animi angi, ſed in illis, quæ Dominus præſtat, acquieſcere, atque ea fideliter impendere.

XVI. Potissimum autem *Media* hæc consideramus *a parte nostra*, quatenus *active* a nobis impendi debent Discriminandum hic est inter Media *congrua & inepta*. Posteriora sunt, quæ quis extra Verbi præscriptum sibi ipsi eligit, qualia v. gr. sunt, obsequium instinctus interni, Vota dura & absurda, ordinariæ functionis relictio, neglectus corporis ejusque nimia per Vigilias, Jejunia, quin Flagellationes, aliosque superstitiosos modos dehonestatio, Fuga hominum, severum vitæ institutum & ejusce farinæ alia, quæ *Enthusiastis* ac *Pontificiis* relinquimus.

XVII. De *congruis* magis *Mediis* hic anquirimus. Illa autem generatim tam late patent, quam late se Bonorum Operum exercitium extendit. Quamvis enim longissime absimus ab errore illorum, qui Bona Opera tanquam causas salutis considerant, nihilominus certum est, quod exercitium in illis aptitudinem adaugeat; quod quæcunque Media commendantur ad sanctificationem, illa ipsa in censum Bonorum Operum sint referenda; quodque Deus rite impendentibus Gratiam acceptam, ejus incrementum promiserit Matth. XXV. 29. Adde nexum, qui ostenditur 2. Petr. 1. 8 -- 11.

XVIII. Sunt tamen officia quædam, quæ præ aliis ad cætera hanc relationem habent, ut *Media* salubria præstent, quibus rite adhibitis interior homo corroboratur. Horum censum hic inimus, atque ea ita dispescimus, ut quædam spectemus tanquam *generalia* & cuicunque Statui Christianismi communia, alia autem sequentibus Capitibus percensenda tanquam *Statui ægrotorum* propria.

XIX.

XIX. *Media* ad priorem classem spectantia partim ad *conservationem*, partim ad *præservationem* faciunt. Singulorum & *catalogum* & *selectum* observandum suademus.

XX. Inter Media generalissima ad *conservandum* vitæ spiritualis *vigorem* primus semper locus concedi debet *Fidei*. Si enim *quicquid non est ex Fide, peccatum est*, tum nullum Opus bonum sine Fide proferri potest, Et quomodo posset, cum Fides sola Jesum apprehendat, *sine quo nihil possumus facere?* Joh. XV. 4. 5. Confer illa, quæ de nexu Fidei cum omnibus & singulis Operibus Bonis passim in præcedentibus notata sunt Occurrunt autem peculiaria quædam officia, per quæ Fides sanctificationem promovet.

XXI. Inter illa primum locum occupans *Preces*, quæ non temere, sed præcise ea fini fundi debent, ut Deus augmentum Gratiæ concedat. Hoc enim præcipuum legitimarum Precum argumentum esse educuimus Cap. VI. §. 39. Adde 2. Thess. II. 17. Præprimis Precum speciale exercitium requiritur, tum ut in casibus dubiis Deus de voluntate sua nos erudiat, tum ut, qnando difficultates graviores in ejus obsequio præsentimus, robur Domini apprehendamus. Sic fideles *se confortant in Domino*.

XXII. Maximæ hoc Medium est efficaciæ, quia nulla pars Precum certius a Deo exaudietur, quam quæ augmentum Gratiæ sanctificantis a Deo expetit. Qui petit sanctificationem, secundum voluntatem Dei petit. Illam enim Deus *vult* 1. Thess. IV. 3. Nullum donum exsertius se daturum promisit: idque merito, quia illud ma-

xime ad gloriam Dei idoneos nos reddit.

XXIII. Proxime *Studium Scripturæ Sacræ* commendandum est sive quotidiana textus meditatione, sive sermonum librorumque sacrorum ad pietatis exercitium promovendum compositorum auditione atque lectione in eum finem suscepta, ut inde addiscatur, quid Deus a fœderatis suis fieri velit, atque per illam stimuli subjiciantur, qui ad voluntatem Dei implendam incitant.

XXIV. Medium hoc insigne iterum pondus habet, ut opus Domini in vitæ spiritalis augmento promoveatur Joh. xv II. 17. 1. Tim. III. 16, 17. 1. Petr. II. 2. 3. Totum enim argumentum Scripturæ ita est compositum, ut modum placendi Deo partim doceat, partim commendet. Ad *docendum* faciunt *præcepta*, ad *commendandum dogmata*, ad utrumque autem *exempla* & *historiæ*, quæ in Codice sacro continentur.

XXV. Quamvis autem inde liqueat, quod nulla pars sit Scripturæ sacræ, nulla veritas a Deo revelata, quæ non incentivum præbet ad obedientiam Dei, nihilominus *Meditatio frequens* certarum veritatum, quæ directius fortiusque præ aliis impellere possunt, ut novum & salubre Medium considerari potest. Huc pertinet

(1) Meditatio *Sanctitatis* Dei, quæ & perfectissimum exemplar est omnis rectitudinis, & origo veri Timoris Domini, ne vel minimo peccato lædatur.

(2) Meditatio *Omnipræsentiæ* Dei, per quam semper reminisci debemus, nos in conspectu ejus ambulare Ps. CXXXIX. 1--4. Eccl. VIII. 11.

(3) Meditatio immensi ejus *Amoris*, omniumque

umque beneficiorum, quibus immerentes ad se amandum pellexit, singulisque momentis denuo obstringit. Ps. CXVI, 12. 15.

(4) Meditatio *Exempli Jesu Christi* Hebr. XII. 2. 3.

(5) Meditatio de *fœditate peccati.*

(6) Meditatio *Extremorum*, Mortis, Judicii, Æternitatis, quo magnis passibus properamus Ps. XC. 12. Sigillatim Adventus Domini ante oculos sæpe versans studium & desideria fidelium admodum incendit.

XXVI. *Quartum* Medium, quod suademus, est frequens sui ipsius *Exploratio*, cum potissimum in scopum directa, ut constet, an *incrementum* vitæ spiritualis adsit? Ps. CXIX. 59. Quamvis enim illud sœpe obscurum sit, signa tamen quædam exstant, ex quibus de eo judicare licet, præsertim illis, qui jam diutius in Gratia vixerunt, ac præsentem hominis interni staturam, ei, quæ ab initio aut ante aliquod tempus fuit, commensurare poterunt. Ubi autem post notabile intervallum, multaque Media impensa tale incrementum non animadvertetur, ibi apparebit, vitam interiorem male habere, adeoque tempestive ei succurrendum erit.

XXVII. Addatur *quinto Gratitudo pro beneficiis acceptis*, tam maximis quam minimis, cum minimum propter nostram indignitatem pro maximo sit reputandum. Nihil autem Deum, Gloriæ suæ amantissimum, efficacius impellit, ut Gratiam Gratia adaugeat, quam ubi priorem debite æstimatam atque impensam animadvertit. Psalm. L. 23.

XXVIII. Non parum *sexto* auxilii accedet per *Recordationem Fœderis* cum Deo erecti Pſ. cxix. 106. Ratio hic haberi poteſt tum *Baptismi*, tum maxime illius transactionis, quæ inter Deum atque animam noſtram interceſſit, quando actu ſervitio peccati renunciavimus & nos Deo tradidimus Ex quo fundamento etiam *ſacræ Synaxeos* repetitus identidem uſus & poſt uſum jugis reminiſcentia ſingularem utilitatem afferet. Amori ſane Sponſæ frequens arrhæ a Sponſo exhibitæ, vinculique per deſponſationem facti conſideratio novum identidem fomentum præbebit.

XXIX. *Septimo* iter ſuum proſperabit, qui *Converſationem cum Sanctis* colet, idque eum in finem, ut non ſolum alii alios accendant, ſed etiam ut piorum interceſſione adjuvemur atque fidelibus eorum monelis emendemur Pſ. cxix. 63. Hoc adminiculum præcipitur Hebr. iii. 13. x. 24. Hoc prædicitur Zach. viii. 21. Correptio piorum ſigillatim laudatur Prov. xxv. 12. Pſ. cxli. 5.

XXX. Denique cum omnia Media a nobis adhibita absque cooperante Dei gratia nihil valeant, accedere debet *Attentio ad internum Spiritus ſancti inſtinctum*. Hoc enim *Pædagogo* interno gaudere regenitos, liquet ex Jeſ. xxx. 21. Rom. viii. 14. Huic monenti qui morem gerit, ſecundo vento navigat. Cavendum ergo, ne per neglectum eum *contriſtemur* aut *ſuffocemus* Eph. iv. 30. 1. Theſſ. v. 19. Ea fini requiritur obſervatio impulſum conſcientiæ ad Bonum Opus, exactio eorum ad trutinam verbi, promtumque obſequium illis præſtandum.

XXXI.

XXXI. Ad *Media præservantia* primo loco referimus *humilem suæ impotentiæ, corruptionis & indignitatis coram Deo cognitionem*, atque inde natam sanctam *Sollicitudinem*, ne per imbecillitatem carnis alicubi impingamus Prov. XIV. 16. XXVIII. 14. Nemo enim in majori periculo versatur, quam qui ex confidentia sui ipsius hostes contemnit I. Cor. X. 12. Matth. XXVI. 33.

XXXII. Sed & *secundo* felix est, *quem faciunt aliena pericula cautum*. Quare Timor sui ipsius non parum augebitur, quando *Lapsus aliorum* ea fini observabitur, ut eo magis nobis ipsis diffidamus Gal. VI. 1. Sed & idem effectus debet esse *judiciorum divinorum*, quæ aliis infliguntur, præsertim talibus, qui peculiaribus prærogativis donati erant Rom. XI. 20--22.

XXXIII. Adjungatur *tertio* omnium illarum *Occasionum*, quæ incitare ad peccatum possunt, prudens *Evitatio*. Nam qui corporis sanitatem amat, is fugit personas, loca, cibos & alia contagiosa. Inter illas Occasiones præcipuum periculum impendet ex conversatione cum hominibus mundanis, quæ serio dissuadetur Prov. XIII. 20. XXII. 24. 25. Sirac. XIII. 1. 2. Cor. VI. 14. 15. 17. Non sane ulterius colenda, quam vitæ externa functio requirit. Sed & hæc ipsa aliquando mutanda, si occasiones peccandi inevitabiles, atque ita validæ sint, ut illis resisti nequeat

XXXIV. Denique *Fidelitas in removendis obstaculis* requiritur, quæ progressum in orbitis justitiæ præpediunt Jes. LXII. 10. *Obstacula* hæc sunt vel *interna* vel *externa*.

(1) Ad priora rrferre possumus

(2) *Igna-*

(a) *Ignaviam carnis* Prov. xxii. 13. xxvi. 13.

(b) *Timorem hominum*, qui sæpe prudentiæ titulo incrustatur.

(c) Peccata *occulta* & nondum satis agnita.

(d) *Laborem* per proprias vires, neglecta aut non satis perpensa necessitate gratiæ divinæ.

(e) *Vilipendium* Mediorum generalium, quæ in præcedentibus præscripta sunt.

2) *Externa obstacula* non semper sunt in nostra potestate. Tales sunt *Tentationes*, quæ capite sequenti describuntur. Inter illa autem, quæ magis a nobis dependent, referimus:

(a) *Vitæ externæ* genus non solum peccaminosum, sed etiam nimis per negotiorum cumulum animum obruens.

(b) *Consuetudines inveteratas*, quarum torrente multi ex nimia novitatis nausea abripiuntur.

XXXV. Promtuarium aperuimus, ex quo sibi prospicere debent, quos Vitæ spiritualis cura tenet. Quamvis autem nonnisi salubria Media in eo contineantur, *Selectus* tamen circa illa requiritur. Neque enim omnia simul adhiberi queunt, & quædam certis circumstantiis magis conveniunt; & in modo, quo adhibentur, differentia insignis locum habet; & casus quidam extraordinarii Media nimis consueta requirunt.

XXXVI. Ut autem in illo Selectu feliciter versemur, ante omnia ad Capitale illud *Mediorum* omnium *Medium*, nempe *Preces*, recurrendum est, per quas Deus imploratur, ut fatuis sapientiam det, ac cœcis viam monstret Jac. 1. 5 Ps. xxv. 4. 5. Quod etiam promisit se præstiturum esse Psalm. xxxii. 8.

XXXVII.

XXXVII. Huic duo alia addi possunt. *Minus exercitatis* in Viis Domini utile erit *in consilium adhibere* illos, qui majori experientia in stadio pietatis gaudent, sive sint Pastores pii, sive tales, quorum prudentia atque fidelitas spectata est. Illi, quæ sibi proficua maxime fuere, enarrare, dubitationem nodos solvere cunctantes impellere poterunt. Cavendum duntaxat,

(1) Ne facile ex quovis rumore aut præjudicio pietatis te aliis credas.

(2) Ne per intempestivam verecundiam te impedias a libera atque dilucida status tui enarratione, in quo consilium desideras.

(3) Ne cœca obedientia te privato cujuscunque hominis consilio tradas: cum non solum errare humanum sit, sed etiam maxima sit viarum Domini differentia.

XXXVIII. Qui autem *magis exercitati* sunt, illos fas erit *Experientiam* in medium adhibere, quam longiori usu & ambulatione in viis Domini sibi contraxere. Illam subministrant, tum quæ *in nobis ipsis*, tum quæ *in aliis* experti sumus. Certiora sunt illa Media, quæ nobis ipsis salubria aliquando evaserunt. Crebra ejus rei exempla in Psalmis occurrunt. Sic v. gr. Ps. CXI. 5. 6. CXX. 1. 2. Cor. I. 10. In aliis sæpe subministrabunt consilium viæ, quas Deus in Ecclesia inflexit Psal. LXXVII. 6. Sed & attentio ad singulos fideles prudentes reddere potest Psal. XXXVII. 37. Eccl. VIII. 12. In quam rem salubre est, ut, ubi circumstantiæ sunt congruæ, beneficia atque institutiones Domini aliis piis communicentur Psalm. LXVI. 16.

CAPUT

CAPVT DECIMUM.

De Tentationibus *fidelium* in hac vita & *officiis ad* Luctam ſpiritualem *contra eas pertinentibus.*

SUMMARIUM.

Poſt oſtenſum nexum generalem §. 1. *agitur de* Tentationibus fidelium 2--28. *hoc ordine ut*

I. Hostes Tentantes *enumerentur* 3---13.
A. *Caput eorum eſt* Diabolus 3.
B. Modus conflictus 4---13. *eſt*
1. Immediate 4. 5.
2. Mediate *per duplicem exercitium* 6---13. *qui eſt*
a. Mundus 7.
b. Caro 8---13.
α. Arma, *quibus utitur* 8.
β. Terribilis *hujus hoſtis* ratio *demonſtratur* 9---13.
א. *Ex ejus* indole 9.
ב. *Ex* ictibus, *quos intentat* 10---13.
a. Per Tentationes Theoreticas 11.
b. Per Tentationes Practicas 11. 13.

II. For-

II. FORTITUDO *in* LUCTA *describatur* 14---28. *quæ*

A. *Definitur* 14.

B. *Officia, quæ involvit, inde deducuntur* 15---28.

1. *Quoad omnes hostes in genere* 15---25.

a. *Officia quædam* communia 15---17.

b. *Officia quædam* particularia 19---25.

α. *In pugnæ* continuatione 19. 20.

א. Sobrietas spiritualis 19.

ב. Constantia 20.

β. *In pugnæ* redintegratione, RESIPISCENTIA 21---25. *quæ*

א. *Describitur* 21---24.

ב. *Momentum ejus indicatur* 25.

2. *Quoad singulos hostes in specie* 26---28.

a. Diabolum 26.

b. Mundum 27.

c. Carnem 27.

I.

Quamvis Opus Domini in credentibus constanter ad perfectionem feratur, multis tamen *Malis* in decursu stadii hujus vitæ expositi sunt, quorum diversitas specialia Remedia requirit. Ad duas classes illa referre possumus, *Tentationes* nempe & *Afflictiones*. Illas ut *Malum morale*, has ut *physicum*, consideramus. Contra singulas *miles* & *viator* Christianus muniendus est. Illas *Fortitudine* in obnitendo; has *Patientia* in ferendo franget. Aliquando utrumque malum in eodem objecto concurrit, & tum

& tum prudens remediorum *compositio* desideratur.

II. Tentatio, Πειρασμὸς, vox est media. Nam & Deus *tentat* suos, sed *ad bonum*. In *malam* partem sumtum comprehendit *quamcunque ansam & irritationem ad peccandum*. Cum autem talis *irritatio* impiis cum piis communis sit, posterius *incitamenti malorum* genus hic intelligimus; id nempe, quod pressius solet tanquam Militia & *Certamen spirituale* depingi, per quod *Inimicitia* in *Paradiso terrestri* inchoata exercetur & promovetur usque ad plenam victoriam cum ingressu in *cœlestem Paradisum* exspectandam. Ordo ergo postulat, ut primo dispiciamus, quomodo *Bellum* hoc credentibus *moveatur*, ac deinceps inde deducamus, quomodo in eo se *gerere* debeant.

III. Ad Belli, quod fidelibus infertur, indolem intelligendam tam Hostes, quam *Ictus & Impetus* eorum explicandi. Hostium Caput est Diabolus, cum emphasi dictus *Inimicus ille* Ps. viii. 3. Matth. xiii. 28. 29. quo etiam nomina *Satan* & *Diabolus* & *Tentator* pertinent. Infensum ejus animum delineat Apostolus 1. Petr. v. 8. Illum tam *immediate* quam *mediate*, idque jam *vi*, jam *dolo* utens, effundit.

IV. *Vim immediatam* Diabolus exercuit in *corpus* Jobi. An etiam in alia corpora fidelium unquam similem potestatem exercuerit, ignoramus. *Energumenos* enim cur inter fideles adnumeremus, caussa non apparet. Forte tamen *apparitiones*, quibus aliquando fideles *terrere* conatur, huc non male referentur, quamvis earum

rum quoque evidens exemplum in ſacris non occurrat.

V. In *animas* autem eorum, cum *vim* illis adhibendi poteſtatem amiſerit, μεθοδείας tamen varias Eph. VI. 11. etiam *immediate* illum exercere, licet ratio ſentiatur, ob analogiam tamen inter operationes *bonorum* & *malorum* Angelorum admitti poteſt. Huc ergo referantur cogitationes ſubitaneæ atrocitate ſua, ſive ad peccandum illiciant, ſive terrores ad deſperationem ducentes immittant, horrorem incutientes, quæ *tela ignita* in omni emphaſi appellari merentur Eph. VI. 16. In poſteriori cogitationum genere, quarum potiſſimam heic rationem habemus. ſe probat eſſe Διάβολον, *Calumniatorem* & Κατήγορον, *Accuſatorem fratrum* Apoc. XII. 9. 10.

VI. *Mediate* duplici exercitu contra pios utitur: *externe* Mundo. *interne* Carne in ipſis ſuperſtite. Non quaſi ſemper *immediate* per *Mundum* & *Carnem* operetur. Tanta enim pravitas his ſubjectis inhæret, ut per ſe, etiamſi Diabolus non ſemper ἀπὸ μηχανῆς intercedat, ad validiſſimas Tentationes ſufficiant. Diabolo tamen utrumque hunc Hoſtem Scriptura ſubordinat, tanquam *Principi hujus mundi*, & *Serpenti pulverem comedenti*.

(1) Quia omnem nocendi vim ab ejus ſeductione primæva acceperunt.

(2) Quia imperium in utrumque ſibi tribuit.

(3) Quia per mundi & concupiſcentiarum carnis ſervitutem ejus voluntas impletur.

VII. Mundus appellantur vel in *abstracto* res tam jucundæ quam asperæ, *quæ in mundo sunt*, vel in *concreto* homines præsentis ævi carnales. Utrumque tanquam adversarium sibi fideles considerant 1. Joh. II. 15. Ps. XVII. 14. Unde amicitia Dei atque Mundi simul subsistere nequeunt Jac. IV. 4. Rom. XII. 2. Exercet autem Mundus pios

(1) *Blandiendo* sive per *vanas ratiunculas*, quæ in *errorem* præcipitant, sive per mala spectatorum *exempla*, quo & *pravæ consuetudines* referri possunt, sive per lucri ex *Bonis apparentibus* percipiendi promissionem.

(2) *Terrendo* tum *directe* tum *indirecte*.

(a) Ad terrorem *directe* incutiendum pertinet, quicquid homines ex odio veritatis ac pietatis ad eam supprimendam moliuntur, sive per irrisiones aliaque opprobria leviora, sive per violentas persecutiones ac *martyria*, Joh. XV. 18. 19. 20.

(b) *Indirecte* eodem aliquando referri possunt quæcunque *Afflictiones*, quæ piis in hac vita contingunt, quatenus per illas ad impatientiam, aut ad sinistras de Providentia Dei cogitationes, aut ad Media illegitima illis se exsolvendi sollicitantur.

VIII. Caro propria inter *hostes* credentium præcipuum locum occupat Rom. VIII. 23. Gal. V. 24. 1. Petr. II. 11. Per illam intelligitur *insita unicuique homini & superstes in ipsis regenitis naturæ per peccatum corruptio*, quæ cogitationum innumerarum ad actus peccaminosos irritantium scatu-

scaturigo est Jac. 1. 14. Matth. xv. 18. 19. Admovet autem *Caro* machinas suas:

(1) Per *cœcitatem*, quæ *intellectum* obumbravit.

(2) Per *cogitationum* circum objecta varia continuo volitantium *levitatem.*

(3) Per *præjudicia*, quæ alte hærent.

(4) Per residuam in ipsis Sanctis *inconstantiam* circa Bonum & Propensionem in Malum.

(5) Per *affectuum* motus nondum satis compositos.

(6) Per *Legem in ipsis membris corporis, quæ belligerat adversus Legem in mente* Rom. VII. 23. Legem hanc imponunt variæ Sensuum impressiones tam cum voluptate quam dolore conjunctæ, quarum tamen aliud corpus præ alio magis capax est.

IX. Quamvis *Hostis* hic ultimo ponatur loco, maxime tamen omnium terribilis est & credentes fatigat, ut constat ex querela Pauli, qui tot aliis certaminibus feliciter defunctus erat Rom. VII. 18. 19. 24.

(1) Hostis hic est proximus atque immediate animæ imminens.

(2) Hostem hunc habere, jam per se est peccaminosum & maledictione dignum. Ipsum *tentari* per *Carnem* ad peccatum est *peccare.* Quid enim est illa *Caro*, præterquam nos *carnales?* Et quid est per eam *tentari*, nisi primos ad peccandum motus in corde suo jam sentire? Unde sola hæc Tentationis species in Filium Dei non cecidit Hebr. IV. 15.

(3) Hostis hic est maxime *universalis* ad singu-

la momenta vigilanti, dormienti, ad extremum usque vitæ halitum præsens & imminens.

(4) *Conspirat* cum reliquis hostibus, qui absque *Carnis* consensu nocere non possent. Est quasi *hiatus* & *fissura*, per quam Satanas & Mundus in animam penetrant. Neque antea tentatus *peccat*, quam ex quo per Carnis inclinationem in objecta externe proposita assentiri incipit.

X. Hoc ipsum uberius confirmatur, quando perpendimus ipsam *Tentationum* materiam sive *Ictus*, qui intentantur, qui nihil aliud sunt, quam ipsæ illæ *Cogitationes* contra Legem Dei pugnantes & in actum paulatim matureſcentes, quas objecta externe per Satanam & Mundum admota excitant. Tales Cogitationes non ad *Intellectum*, peccati per se non capacem, sed ad *Voluntatem* solam & potissimum ad *Judicium* pertinent, per cujus obnubilationem ac corruptionem pravæ concupiscentiæ in regenitis incenduntur. Possunt nihilominus dividi in *Tentationes Theoreticas* & *Practicas*.

XI. *Tentationes Theoreticas* nominamus, per quas *judicium* inducitur, si non in *errorem*, saltem in *dubitationum* circa *dogmata fidei* fluctus, per quos illa in controversiam vocantur, quæ de Scriptura sacra, de variis virtutibus divinis, quin de ipsa Dei existentia, de mysterio Trinitatis, de operibus Providentiæ & Redemtionis, de vita futura, firmiter credita sunt.

XII. Magis communes sunt *Tentationes Practicæ*, per quas judicium circa illas veritates, quæ proxime *Legem Dei* constituunt, pervertitur.

Quam-

Quamvis enim *præcepta generalia* ita insita sua luce micent, ut vix scrupulus de iis subire possit, quamdiu regeniti sana mente gaudent, nihilominus in *applicatione* eorum ad *singulos* casus secundum varias circumstantias considerandos, non solum facillime perplexi hærent, sed etiam variarum leviſſimarum ratiuncularum probabili specie in deteriorem partem inclinantur.

XIII. Ad duo autem genera illæ possunt referri.

(1) Interdum *Fides* ipsa sollicitatur, quoties peccatorum commissorum atrocitas animum perturbat, sive illa *per se* censeantur esse *irremissibilia*, ut v. gr. ubi quis blasphemiæ contra Spiritum S. se reum esse putat; sive per *circumstantias*, quales sunt multitudo & *diuturna* in iis *perseverantia*. Hic sæpe Diabolus ignorantia & temperamento fidelium abutitur.

(2) Plerumque autem illectio ad transgressionem normæ *Sanctitatis* instituitur, quæ in utraque tabula Legis divinæ exhibetur, quo pertinent omnes casus residuæ in credentibus corruptionis passim a nobis observati.

XIV. Ut *Miles Christianus* contra tot Hostes persistat, quædam circa *omnes* in genere, quædam circa *singulos* observanda erunt. Virtus generalis, quæ hic requiritur est FORTITUDO, sive *ille fructus Spiritus sancti, quo regeniti persuasi de sufficientia gratiæ in ipsis habitantis promissionumque divinarum certitudine non solum animum non despondent, sed etiam vires divinitus concessas impendunt ad superandum omnia obstacula, donec optatam metam attigerint.*

XV. Fundamentum hujus Fortitudinis est *Fides*, qua Regeniti persuasi sunt, tum *in genere* de sufficientia Gratiæ & firmitate Promissionum Dei; tum *in specie* de seipsis, quod Gratiæ hujus initialiter participes evaserint, adeoque Promissionum Dei implementum sperare possint. Hæc quo clariora sunt, eo majorem reddunt Luctatoris spiritualis confidentiam. Hinc Fides tanquam generale medium victoriæ de quibuscunque hostibus reportandæ consideratur 1. Pet. 1. 5. Hebr. XI. 33--35. De Diabolo 1. Petr. v. 9. De Mundo 1. Joh. v. 4. De Carne, ejusque triplici concupiscentia Hebr. XI. 24--26.

XVI. Duplex autem *Fidei* negotium in hac Lucta est, ab una parte animum hostium multitudine & atrocitate perterritum erigere, ab altera parte *in conflictu* ipso fideles dirigere atque ita actuosos reddere, ut feliciter depugnent. Quid huc pertineat, in compendio proponitur Eph. VI. 10--18. Nam generale officium vs. 10. expressum, in sequentibus ita deducitur, ut vs. 11--17. describatur illa *armatura Dei*, quæ requiritur, comprehendens arma varia tam ad *defensionem* quam ad *offensionem* idonea. Illuc pertinent *Baltheus veritatis*, *Thorax justitiæ*, *ocreæ Evangelii Pacis*, *Scutum Fidei & Galea salutis*. Ad hæc spectat *Gladius verbi Dei*. Nulla pars hujus παιοπλίας est, quæ non mediante Fide indui atque exerceri debeat.

XVII. Ut autem sufficiens Fidei mensura ad hanc pugnam acquiratur & conservetur, duo alia adminicula debent addi, nempe *Precatio* & *Vigilantia* vs. 18. Hæc eadem conjungit Servator

Matth.

Matth. XXVI. 41. Luc. XXI. 36. Perpetua inter hæc duo alternatio requiritur. Per *Vigilantiam* tam contra interiorem, quam exteriores hoſtes, illi mature detegendi 1. Theſſ. v. 6. 7. Per *Preces* robur tam ad vigilandum, quam ad oppugnandum ac vincendum eſt impetrandum 2. Chron. XX. 12.

XVIII. Varias autem hæc Pugna pro variis viciſſitudinibus vitæ ſpiritualis nanciſcitur formas, quæ ſingulæ ſua officia requirunt. Aut enim Pugna *continuanda*, quando in ea recte verſamur, ne ſuccumbamus; aut ſi per imbecillitatem noſtram ſuccumbimus, *redintegranda* erit.

XIX. Ad *continuationem* Pugnæ præter officia commemorata requiritur SOBRIETAS *ſpiritualis*, qua *animus ab omni obnubilatione, ſive per præjudicia ſive per cupiditates carnis, liber congruum de Hoſtium indole ac certaminis ratione conceptum habet, per quem idoneus redditur ad mature & prudenter e veſtigio proſpiciendum ſingulis difficultatibus, quæ ſubnaſcuntur* 1. Cor. IX. 24. 25. Eadem virtus alias deſcribitur ſub emblemate *Accinctionis* Luc. XII. 35. & *Depoſitionis oneris* gravantis Hebr. XII. 1. Hæc *Sobrietas* 1. Petr. V. 8. Vigilantiæ recte conjungitur, quia ne quidem absque illa rite *vigilare*, multo minus cæteris certaminis partibus pares eſſe poſſumus.

XX. Porro & CONSTANTIA adjungi debet, quæ hic relate ad Pugnam ſpiritualem heroicam illam virtutem deſignat, per quam Miles Chriſtianus *diuturnitate militiæ ſuæ non defatigatur, ſed ſtrenue pergit in reſiſtendo hoſtibus ſpiritualibus*, etiam

etiam post victorias quasdam reportatas de novo semper imminentes, donec omnibus cum morte ipsa superatis triumphum perfectum de iis agat. Hæc Constantia urgetur Eph. VI. 13. Hebr. XII. 3. 4. Jud. vs. 3. Confer, quæ de Constantia quoad singulas actiones Lib. I. c. IX. §. 54. sq. & de Perseverantia in Statu Gratiæ cap. præced. §. 6. sq. dicta sunt. Singulare hujus *Constantiæ* momentum est in Pugnæ spiritualis aggravatione, quam interdum caussatur

(1) Plurium Tentationum tam *internarum* quam *externarum concursus* Ps. III. 2. 3. XLII. 8.

(2) *Derelictio* & *subtractio* Gratiæ divinæ tam *consolantis*, quam *sustentantis*, sine qua fideles non possunt vel per momentum subsistere. Job. VI. 4. 11—13. 2. Chron. XXXII. 31.

XXI. Circa Pugnæ *Redintegrationem* observandum est, quod Heros noster, quamvis prostratus jaceat, quotiescunque per Tentationes in peccatum est abreptus, propterea tamen de victoria non desperare, sed vires suas de novo colligere, atque ita sub auspiciis Ducis sui ad conflictum continuandum se incitare debeat. Huc pertinet, ut per repetitam sæpius *Resipiscentiam* lapsi identidem resurgant.

XXII. Resipiscentia hæc iterata quoad actus, quibus exseritur admodum analoga est illi, quæ tanquam primæ Conversionis potissima pars a nobis Lib. II. cap. 2. §. 20. sq. descripta est. Quamvis enim non requiratur tam generalis totius naturæ innovatio, quoniam regenitus in atrocissimis etiam lapsibus propositum cordis nunquam mutavit; neque *scopus* esse

queat

queat æternæ salutis impetratio, cujus donum est ἀμεταμέλητον; nihilominus cum nova peccata novam culpam atque maculam comparaverint, per eandem viam hæc repetita purificatio debet institui, per quam initialis facta est. Exempla Davidis ac Petri in hanc rem conferri possunt.

XXIII. Involvuntur ergo per hanc *Resipiscentiam* sequentia.

(1) Quoad Intellectum præparatio ad illam fit per *scrutinium* de peccato commisso, ejusque magnitudine & caussis Thren. III. 4.

(2) Præcipue tamen in voluntate sedem habet.

(a) Quoad Judicium nova adest *Agnitio* tum *peccati*, cujus fœditas per ipsa beneficia, quibus Deus antea amoris sui experimentum dedit, exaggeratur; tum *necessitatis* & *magnitudinis Gratiæ* divinæ, quæ ipsam hanc infidelitatem remittere vult Ps. LI. 5. 6.

(b) Quoad Voluntatem nova sanctæ *propensionis*, quæ cineribus quasi tecta fuit, *suscitatio* per repetitam a peccato *aversionem* & ad Deum *adversionem* accedit; dum

(α) *Tristitia* propter peccatum commissum cor humiliatur, quæ affectus pudoris, detestationis sui ipsius, sœpe etiam angoris, conjunctos habet, & semen novum lætitiæ spiritualis in se continet Ps. XXXVIII. 5--7.

(β) *Propositum* in animo redintegratur ad Deum redeundi, idque absque dilatione, cum recentissima vulnera facillime curentur.

(γ) Unde sequitur illico propositi hujus

sinceri per *actus* analogos declaratio, quales potissimum sunt supplices *Preces*, atque per illas

(א) Confessio humilis Ps. xxvii. 5.

(ב) Novum ad Deum in Christo confugium per petitionem remissionis peccatorum & auxilii divini ad ambulandum posthac in viis Domini cum majori fidelitate & constantia Ps. li. 1'. 12.

XXIV. Gradus autem *Resipiscentiæ* sunt diversi. Datur enim *quotidiana*, quæ pars est singularum Precum, nec non præparationis ad usum Sacramentorum. Ab hac distingui debet *extraordinaria*, quam hoc loco potissimum intendimus, quando fideles per Tentationum impetum in atrociora peccata inciderunt, atque iræ divinæ signa animadvertunt, quæ magis solennitet placanda est.

XXV. Summa hujus *Resipiscentiæ* fidelium est

(1) *Necessitas*, quia Deus peccatum etiam in maxime dilectis filiis exosum habet; quia sensus gratiæ divinæ per peccata non expiata diu potest obnubilari; quia summa in illis eluceſcit eorum, qui jam initia amoris divini nacti sunt, ingratitudo; quia liberorum genuinorum hæc indoles est, ut ne per momentum quidem possint tranquilli esse, quando Parentes offensos norunt.

(2) *Utilitas*, quia arreptione nova justitiæ Christi, conscientiæ vulnera sanat; quia tanquam superstitis Gratiæ salutaris indicium prostratam spem erigit; quia majorem sollicitudinem in posterum instillat; quia cum novi favo-

favoris divini experimento solet conjuncta esse.

XXVI. Quæ contra singulos singulorum Hostium conflictus conducunt, per experientiam optime addiscuntur. Contra *immediatas Diaboli Tentationes* observandum quod sit Hostis maxime imbellis, cujus omne jus quoad electos est abolitum, adeoque a nimio terrore cavendum, & impetus ejus tanquam hostis debellati per Christum contemtu ulciscendi sunt.

(1) Quoad *impias cogitationes* est tenendum, illas fidelibus non esse imputandas, quoniam eas detestantur.

(2) Suggestionibus ad desperationem sollicitantibus sufficientia meriti Christi erit componenda; quæ par est omnibus peccatis, etiam illis, quæ *irremissibilia* nominantur, quamvis ea in regenitos non cadant.

XXVII. *Mundo* ut fortiter resistatur, vanitas omnium ejus tum *illecebrarum* tum *angustiarum* alte animo infigenda est, sive in *abstracto* spectemus *Bona*, *Malave* in hoc mundo occurrentia, sive in *concreto personas*, quarum aut *favorem* ambimus, aut *iram* timemus. Hanc in rem

(1) Frequenter comparatio est instituenda inter *Deum & creaturas*, inter *corpus & animam*, inter *tempus & æternitatem* Matth. XVI, 26. X. 28. Jes. LV. 2. Ps. LXII. 9. 10.

(2) Comparatio hæc in hypothesi applicanda est ad casus occurrentes etiam minores, ad pudorem nobis incutiendum, quoties Bonorum mun-

mundanorum defectus animum inquietare, aut affluentia elevare illum incipit.

(3) Sigillatim agnoscenda est *maledictio*, quæ toti Mundo incumbit, ad communionem cum eo magis magisque abrumpendam & desiderium redemtionis ex Mundo intendendum Gen. v, 29.

XXVIII. Contra nos ipsos ut feliciter belligeremus.

(1) Perpendenda est frequenter miseria Servitutis eorum, qui sibi ipsis serviunt.

(2) In memoriam revocandum, quod primum Domini præceptum, cui statim a Gratiæ initio subscripsimus, sit *Abnegatio sui ipsius.*

(3) Illi *hiatus* occludendi sunt, per quos *Caro* nos secundum §. 8. oppugnat, *Mediaque* eapropter diligenter adhibenda, quibus illæ imbecillitates animæ nostræ magis magisque emendari queunt.

(4) Contra primos motus peccaminosos vigilandum, iique quando animadvertuntur, mature compescendi sunt.

CAPUT

XXXIV. 20. Quamvis enim & impiis multa adversa eveniant, plurimæ tamen Afflictiones ita sunt comparatæ, ut illos premere nequeant. Unde quoad externam speciem longe deterior piorum præ impiis in hoc mundo est conditio 1. Cor. XV. 19. Nec parum numerus hic accrevit in N. T. in quo non solum Canaanis bonis temporalibus renunciandum, sed etiam longe plures *Persecutionum* tempestates Ecclesiam exercent. Distinguimus autem illas in Passiones tum *Animæ*, tum *Corporis*. Idque tam propter *propria*, quam propter *aliena* Mala.

IV. *Animæ* regenitorum propter *propria Mala*, premuntur vel in *principio* vel in *progressu* operis Gratiæ.

(1) In *principio* huc pertinent omnes *Conscientiæ Angores*, qui ex agnitione Status peccati, periculique inde imminentis oriuntur Ps. XXXVIII. 4. 5.

(2) In *progressu* triste fidelibus esse pergit,

(a) *Generatim* quod adhuc *corpore mortis*, multisque *maledictionis divinæ* in peccatum signis circumsepti sint Rom. VII. 24.

(b) Sed *specialius* nova vulnera infliguntur, *tum* quoties se novis *peccatis* in transversum esse actos animadvertunt, quæ cum Gratia vera non posse consistere existimant; *tum* quoties Satanas magis immediate terrores fidelibus immittit, præcipue quando horrendis cogitationibus illos exagitat; *tum* quoties nova *derelictionis iræque* divinæ indicia animadvertunt Joh. VI. 1---3. Ps. LXXXVIII. 8.

V. Afflictiones *Corporis* quædam piis cum impi-

is

is sunt *communes*, quædam ad *solos* fideles spectant. Priores Apostolus videtur nominare πειρασμὸν ἀνθρωπινὸν *tentationem humanam* 1. Cor. x. 13. Sunt autem illæ aut *publicæ* aut *privatæ*.

(1) Afflictiones *publicæ* sunt quæcunque *Judicia*, quæ integros populos ac societates hominum feriunt. Tria præcipua ex illis sunt *fames*, *bellum & pestis* 2. Sam. xxiv. 13. Quartum nempe *transitus bestiæ malæ per terram* his additur Ezech. xiv. 15. Ejusdem generis sunt *violentæ tempestates*, *inundationes*, *incendia*.

(2) Afflictiones *privatæ* sunt Mala, quæ singulas *familias* ac *personas* onerant. Catalogus earum amplissimus occurrit Deut. xxviii. 15--68. Illarum quædam immediate magis per *Providentiam divinam* videntur dispensari, v. gr. *paupertas*, & incommoda cum ea conjuncta, *morbi*, *amicorum carentia*, *funera suorum*. Aliæ magis mediate per *manus hominum* immittuntur, *contumeliæ*, scilicet & *læsiones* quæcunque a Proximo illatæ. Ubi tamen minus in hunc censum merentur referri talia opprobria atque pœnæ humanæ, quas quis culpa sua aut maleficio quodam sibi ipsi conscivit 1. Petr. ii. 19. 20. iv. 15. 16.

VI. Ad *solos* fideles spectant quæcunque Mala, quæ propter conscientiam subeunda sunt, eaque iterum aut *publica* aut *privata*.

(1) Ad *publica* referimus *persecutiones* ab hostibus publicis instigante Diabolo contra Confessores veritatis excitatas Joh. xvi. 1. 2. 3. Apoc. xii. 17.

(2) Ad *privata* pertinent tum *contumeliæ*, *dicteria*, *odia hominum* illis perferenda, qui malo resistunt,

stunt, tum quæcunque *incommoda* hujus vitæ, quibus ultro se offerunt, qui per *Media* contra Legem Dei pugnantia illa declinare nolunt.

VII. Sed & *aliorum* Malis fideles sæpe simul coarctantur, non solum quatenus id ad communes Humanitatis regulas spectat, *commune onus portare*, sed etiam quatenus aliorum *peccata* in mundo hoc perverso animadvertunt. Sic & privatim *impœnitentia* nec non *scandala* aliorum, præcipue qui propinquiores nobis sunt, & publice tristis *Ecclesiæ status*, tum ratione *corruptionis* summæ, quæ illam deturpat, tum ratione *periculi* per provocata judicia divina imminentis, non parum *Afflictionum* numerum auget.

VIII. Qui per tot malorum fluctus jactantur, illis *Sensus* quoque *tristis* illorum adest, & quidem merito; quicquid etiam *Stoici* in *Antinomis* recentioribus redivivi ogganniant. Quomodo Tristitia *interna animæ* pars sit *Resipiscentiæ* tam *primæ* quam *renovatæ*, indicatum est Lib. II. cap. II. §. 24. sq. & Cap. præced. §. 22. Nec in reliquis *Afflictionibus corporis* indolentes esse debemus. Nam hoc pacto Deus scopum suum non attingeret. Unde ipse vult, ut dolorem ex castigationibus divinis sentiant & testentur Joel. II. 15--17. Thren. II. 18. 19. Et qui hoc præceptum negligunt, iram Dei provocant per signum hoc evidentissimum suæ impœnitentiæ Jes. XXII. 12. 13. 14. Jer. V. 3.

IX. Moderamen tamen singulare hic *Dolor* requirit. *Pati* debemus, non *ut gentiles, spem non*

habentes 1. Theſſ. IV. 13. ſed *ut Chriſtiani* 1. Petr. IV. 16. quo pertinet *tum* ut ſenſus afflictionum *ex vera origine* deducatur, *tum* ut ſub iis *decenter* nos geramus, *tum* ut ſecundum verbum Dei illas *lenire* annitamur.

X. Ut *Senſus Afflictionum* ſuis limitibus includatur, ex *vero fonte* deduci debet. Ille non eſt alius, quam ipſius Mali indoles, cui oportet Dolorem *proportionatum* eſſe. Duo hic præcipue commendamus.

(1) Ut *trutina*, ſecundum quam Malorum pondera libramus, ſit ipſa Lex Dei. Secundum illam

(a) Malum *morale* ſeu *peccatum* ipſum nos ſemper debet plus premere Malo *phyſico*, ſeu *pœna* ejus.

(b) Malum *phyſicum* tanto gravius erit, quanto magis propria culpa id nobis conſcivimus, aut iræ divinæ ſigna in eo animadvertimus.

(2) Ut *præjudicia* reſecemus, per quæ Malum ultra quam fas eſt, exaggeratur vel extenuatur.

(a) *Extenuatur*, quando nimium nos ipſos exculpamus, aut ad ἀπαθείαν componimus.

(b) *Exaggeratur*, quando ſequelis falſis ſenſum mali aggravamus, veluti v. gr. faciunt, qui *Caſtigationes paternas* conſiderant tanquam *pœnas infenſi judicis*.

XI. Ad decentem animi ſub ſenſu Afflictionum compoſitionem pertinet, ut *Impatientia* ejecta *Patientiam* ſectemur. IMPATIENTIA, quam Scriptura ſolet תלונה, γογγυσμὸν, *Murmurationem*, ראגה, *Anxiam ſollicitudinem*, *Brevitatem ſpiritus* appel-

appellare, est *perversus ille mentis habitus, quo quis afflictiones & incommoda hujus mundi seu incumbentia seu imminentia pro majoribus malis habet, quam revera sunt, atque ea propter in dolore propter illa modum egreditur.* Pertinet ergo hoc vitium partim ad *Judicium*, partim ad *Inclinationem* voluntatis.

XII. *Judicium* impatientis impingit, quoniam malorum pondus nimis aggravat.

(1) Dum non satis perpendit, quod tantum sint mala *corporalia & transitoria.*

(2) Dum ea putat majora esse, quam per peccata sua meruerat, sive *in se*, sive *comparate* ad aliorum mala ea consideret. Id quod locum habet

(a) Relate ad Deum, quando quis providentiæ ejus rationes carpit Eccl. II. 17.

(b) Relate ad alios homines, quando quis injuria ab illis se affectum esse quiritatur Jerem. XVI. 10.

(3) Dum remedio quocunque superiora esse mala, quibus premitur existimat Job. VI. 2.

XIII. Ex corrupto hoc judicio nascuntur *immoderatæ voluntatis commotiones* & actiones.

(1) Quoad casum priorem.

(a) Quando quiritationes propter minora etiam incommoda emittuntur Jud. vs. 16.

(b) Quando externa doloris signa, planctus, gestus indecori, ad scandalum aliorum accumulantur.

(c) Quando remedia illegitima arripiuntur aut postulantur 1. Cor. X. 9.

(2) Quoad casum secundum

(a) Quando verba impia effutiuntur Job. 11. 9.

(b) Quando vindictam contra Proximum cor meditatur, aut injuriæ injuriis opponuntur.

(3) Quoad casum tertium, quando *desperationi* fræna laxantur.

XIV. Ipsi regeniti huic vitio facillime expositi sunt, *tum* propter temperamenti infelicitatem, quod objecta tristia acutius sentit, *tum* propter consuetudinem vitæ commodioris, *tum* propter superbiam cordis *injurias* aliorum minus ex æquo ferentis, *tum* propter fidei exiguam mensuram, *tum* propter vigilantiæ, precum, aliorumque mediorum, quibus Caro constringi debet, defectum, unde per mala hujus vitæ, præsertim graviora, magisque diuturna, nimium sæpe, quam fas est, exulcerantur. Videre hoc est in Jobo, nec non in Assapho Ps. LXXIII. 13. 14.

XV. Gravitas hujus vitii ex eo deduci potest,

(1) Quia est *litigatio* contra Deum, qui gloriam suam non vult proculcari, unde castigationes divinas patienter non ferentes graviores sæpe provocant Job. XXI. 22. Rom. IX. 20. Jes. XLV. 9. Exemplo sunt murmurationes Israelis in deserto 1. Cor. X. 10.

(2) Quia signum est animi superbi, & propter meritum peccatorum suorum nondum satis fracti, cui Deus resistere pergit.

(3) Quia impatientia malum per se non lenit, sed exasperat, quoniam Deus propter impatientiam hominum suum propositum non immutabit

Job.

Job. IX. 4. 13--15. Hinc *ſtultitia* nominatur Prov. XIV. 29.

XVI. PATIENTIA, תקוה, ὑπομονὴ, eſt *habitus regeniti per Spiritum ſanctum productus, quo veram afflictionum tam præſentium, quam advenientium originem, indolem & finem cognoſcens renitentem carnem frænare, ſeque totum Deo ad paſſivam obedientiam ei præſtandam ſubmittere contendit.*

XVII. Fundamentum adeoque *Patientiæ* eſt rectum de Mali cujuscunque juſto pondere *Judicium*, quod nititur ſano de ejus *origine*, *indole* & *fine* conceptu.

(1) *Origo* Mali tam cauſſam *efficientem* complectitur, quæ ſemper eſt ſanctiſſimi potentiſſimique Dei voluntas, ſub qua creaturam fas eſt *humiliari* 1. Petr. v. 2. quam cauſſam *meritoriam*, quæ ſemper ſunt peccata noſtra.

(2) *Indoles* Mali triſtis, quod in hac vita immittitur, ea eſt, ut ad ſummum nonniſi corpus affligat, animæ autem per ſe nullum damnum afferat, ſed potius in ſalutare medium queat converti, ad ſalutem animæ promovendam. Sed & *fidelitas* Dei curat, ne Malum unquam *vires* piorum *excedat*. 1. Cor. X. 13.

(3) Idque eo magis, quoniam *Finis*, in quem Mala fidelibus immittuntur, ipſis eſt ſalutaris, uti ſequentia edocebunt.

XVIII. Ad agendum convenienter huic Judicio duo requiruntur. Cum enim Caro ad murmurandum contra voluntatem Dei ſemper inclinet, illa *frænanda* eſt Mich. VII. 9. Luc. XXI. 19. Huc ſpectat

(1) Ut *ſilentium* ei imponatur Pſ. LXII. 2.

xxxix. 10. cxxxi. 2. Thren. iii. 28 - 30. Exemplum ejus rei dat Aaron Levit. x. 3. Hoc fit, quando omnia Carnis ratiocinia rescinduntur; quamvis *silentii* emblema latius quoque in hac materia pateat.

(2) Ut ab omnis mediis illicitis, aut quibus sensus Mali, ultra quam fas est, abbreviatur, nec non a signis indecoris abstineatur Job. xxvii. 3. 4.

(3) Ut animum objectum erigat Psalm. xlii. 6.

XIX. Non tamen hic subsistit patiens Christianus, sed *patiendo* vel maxime *actuosus* est. Contendit enim *voluntatem Dei*, etiam *patiendo*, *facere* Hebr. x 36. Complectitur autem *Obedientia passiva* duo officiorum genera; quædam ejus *essentiam*, quædam illustriorem ejus *gradum* conficiunt.

XX. Ad *essentiam Obedientiæ passivæ*

(1) Ante omnia pertinet *Justificatio* omnium *viarum Domini* quæ involvit

(a) Scrutinium de peccatis, quibus castigationes Domini sunt provocatæ Job. x. 2. Thren. iii. 39. 40.

(b) Eorum Confessionem Thren. iii. 41. - 43.

(c) Glorificationem Domini propter ejus virgam paternam Job. i. 21.

(2) Hanc excipit resignatio sui ipsius in liberrimam Dei voluntatem 1. Sam. iii. 18. 2. Sam. x v. 26.

(3) Accedere debet constans in viis Domini *Continuatio* per fidei atque pietatis exercitium non obstante

obstante tempestatum sævitia ad portum veræ quietis enitens Hebr. XII. 1. 2. Tim. IV. 7. Hæc est ὑπομονὴ ἔργου ἀγαθοῦ *perseverantia boni operis* etiam *in patiendo* Rom. II. 7.

(4) Conjuncta est *Exspectatio* auxilii divini, quæ firmam Promissionum divinarum fidem, implementique simul earum desiderium designat, quod tamen voluntati divinæ non præcurrit, sed liberam temporis ac mediorum dispensationem Deo relinquit. Hoc vere est σπεύδειν βραδέως! *Qui enim credit, non festinat* Jes. XXVIII. 16. Hinc προσδοκᾶν & σπεύδειν conjunguntur 2. Petr. III. 12. Adde Rom. VIII. 25. Mich. VII. 7. 1. Petr. v. 7. Jac. v. 7. Ps. XXXVII. 15. 16. CXXX. 5. 6.

XXI. Cum autem secundum mensuram fidei *Patientia* quoque augeatur, in fide magis confortata accedit *Gloriatio in Afflictionibus* Rom. v. 3. Maxime quidem illa convenit Passionibus propter nomen Jesu. Aliquando tamen inter communes etiam vitæ hujus ærumnas fidelibus adest, quando per illas unionem suam cum Deo promotam conspiciunt.

(1) *Interne* in anima hæc *Gloriatio* involvit:

(a) Singularem Gratiæ divinæ sub Afflictionibus experientiam, quæ sensum Mali obtundit.

(b) *Lætitiam* inde prognatam, ad quem Patientiæ gradum discipulos suos Dominus incitat Matth. v. 11. 12. Sic & Jacobus Cap. 1. 2. Adde exempla Apostolorum Act. v. 41. & Hebræorum Hebr. x. 34.

(2) *Externe* illa se exserit talibus magnanimis

mis verbis & factis, ex quibus liquet, quod inter beneficia, quin prærogativas noſtras, Afflictiones adnumeremus; quod tamen plene tantum in Paſſionibus propter conſcientiam locum habet Jac. 1. 9. 1. Petr. IV. 14.

XXII. Ex dictis apparet, quod etiamſi irregenitus videatur aliquando *Patientia* eminere præ ipſis regenitis, virtus tamen ejus ſpuria ac ſæpe hypocritica tantum ſit. Non oritur ex perſuaſione de ſanctitate Dei, quoniam dolore de peccato caret. Nullam gratiam Dei ſperare poteſt, quia ipſum adhuc hoſtem habet. Meræ neceſſitati ſe ſubmittit. Ipſa ejus patientia vitium eſt, quoniam ſub ira Dei adhuc jacens quietus eſſe non debebat.

XXIII. Quantum ſit virtutis hujus momentum, *univerſalitas* ejus docet.

(1) *Fidei* genuina eſt filia, unde utraque conjunguntur 2. Theſſ. 1. 4. Apoc. II. 19. XIII. 10. Sicut non poteſt Patientia eſſe ſine Fide, ita nec Fideles absque Patientia.

(2) Adminiculum ad reliquas virtutes ſingulare affert. Qui patienter ferre adſuevit aliorum contemtum, facile reſiſtet *ambitioni*; qui dolores, *voluptati*; qui inopiam, *avaritiæ*. Qui Deum celebrare novit in aſperis, quanto magis in proſperis? Qui voluntati Dei *duriori* ſe promte ſubjicit, voluntatem ejus *faciliorem* non gravate perficiet. Obedientia ſane *paſſiva* ſummus activæ gradus eſt. Qui illam una exercet, ille totam voluntatem Domini implebit. Hinc *opus perfectum* patientiæ tribuitur Jac. 1. 4.

XXIV. Sed & argumentorum eſt affatim, quæ virtu-

virtutem hanc, Carni adeo *auſteram*, in ſe conſideratam commendant.

(1) Deo gloriam dat, quæ ei competit. Dum enim propter ipſas illas vias, quæ carni difficiles ſunt, eum glorificat, omnes ejus vias absque ulla exceptione pro ſanctis agnoſcit.

(2) Convenit creaturæ ſecundum omnia a Deo dependenti, cui Deus ad nihil eſt obſtrictus.

(3) Convenit peccatori, qui graviſſimas etiam pœnas temporales merito ſuo inferiores eſſe agnoſcet.

(4) Imagini Filii Dei conformem reddit, quæ ſigillatim per Patientiam debet emicare Hebr. x 11. 2. 3. 1. Petr. 11. 21. 2 1. IV. 13.

(5) Convenit cum exemplo Sanctorum aliorum, quod laudatur Jac. v. 10. 11. Hebr. VI. 12.

(6) Singulare *lenimen affert* ipſi malo, cujus ſenſum mitigat, & continuationem, hoſtes ipſos fatigando, ſæpe abrumpit, atque ad remediorum uſum aptiores reddit.

(7) Inſignem utilitatem habet

(a) Quoad *nos ipſos*, tum quoniam eſt criterium fidei adeoque & electionis noſtræ 2. Theſſ. 1. 4. tum quia parrheſiam dat promiſſiones Evangelicas, illas ſigillatim, quæ *patientibus* datæ ſunt, arripiendi. Tales v. gr. ſunt Jac. 1. 12. Job. v. 17.

(b) Quoad *alios*, quorum ædificatio per *Patientiam* admodum promovetur, cum exercitium ejus oſtendat, quid Gratia in electis valeat Apoc. VII. 14.

(8) Excellentior hujus Virtutis gradus requiritur in Nov. Testam. in quo magis consuetum est Domino per Afflictionum *ignem aurum* fidei excoquere 1. Petr. 1. 7. & excellentius est fidei robur, & solaminis cœlestis fontes magis sunt aperti.

CAPVT DVODECIMVM.

De diversitate tam vitiorum *quam* officiorum, *quæ secundum externam* ætatis humanæ differentiam *observanda est.*

SUMMARIUM.

Præmissa generali partitione §. 1. *agitur*
I. *De* Pueritia 2---5.
A. Vitia *cavenda* 2.
B. Officia *observanda* 3---5.
1. *Præscribuntur* 3.
2. *Argumentis inculcantur* 4. 5.
II. *De* Ætate adulta 6---8.
A. Vitia *cavenda* 6.
B. Virtutes *observandæ* 7. 8.
1. *Præscribuntur* 7.
2. *Inculcantur* 8.
III. *De* senectute 9---11.
A. Vitia *cavenda* 9.

B. Vir-

B. Virtutes *observandæ* 10. 11.
1. *Præscribuntur* 10.
2. *Inculcantur* 11.

I.

Posteaquam potissimas variationes Vitæ *spiritualis* secundum statum & incrementa *hominis* interioris consideravimus, verbo quoque illæ sunt notandæ, quas *Vitæ temporalis* diversæ ætates exigunt. Quemadmodum enim in vita spirituali alia pueros, alia juvenes, alia Patres in Christo decent, ita etiam singularia quædam tum circa *pueros*, tum circa *adultos*, tum circa *senes* proprie dictos observanda sunt, in quos tres *gradus* præcipuos omnem vitam nostram apte dividimus, præeunte Lege divina, quæ secundum hæc intervalla tempus ministerio Templi & militiæ aptum definivit.

II. Pueritiæ verum tempus & *infantiam* & *adolescentiam* simul comprehendit ad vigesimum circiter annum se extendentem. Ab inde jam *figmentum cordis tantum malum* est Gen. VI. 21. *Vitia*, quæ in eo potissimum obtinent, sunt

(1) *Insciti*a, in qua nascuntur *ut pulli onagri* Job. XI. 12. & quæ illis adhæret, quamdiu institutio & labor improbus non accedit 1. Cor. XIV. 20.

(2) *Stultitia* animo eorum alligata Prov. XXII. 15. qua *nesciunt eligere bonum & rejicere malum* Jes. VII. 16.

(3) *Levitas* & inconstantia Eph. IV. 14.

(4) *Pe-*

(4) *Petulantia*, quæ pædagogo indiget Gal. IV. 1. 2. Exemplum ejus singulare occurrit in pueris Elisæo illudentibus 2. Reg. II. 23. 24.

(5) *Concupiscentia carnis* ex temperamento sanguineo oriens, quæ illos impellit ad ludendum Matth. XI. 16. & ad vivendum hilariter Eccl. XI. 9. 10.

III. Ut his vitiis resistatur, a diebus juventutis nostræ *Creatorum recordari* debemus Eccl. XII. 1. quod latissime patet, quia Recordatio Creatorum omnia involvit, quæ Deo Triuno, Authori existentiæ nostræ, debemus. Sigillatim jam *a pueritia* commendatum esse debet

(1) Ratione *Dei*, ut ejus *cognitione* animus imbuatur 1. Tim. III. 15. ut *fœdus* cum eo erigatur Psalm LXXI. 5. 17. ut *Deum timeamus* Ps. XXXIV. 12. 1. Reg. XVIII. 12.

(2) Ratione *nostri ipsius*,

(a) Ut maturrime oppugnentur illæ voluptates & concupiscentiæ, quæ cum ætate alias invalescunt.

(b) Ut nimiam mollitiem fugiamus, atque ita animum paullatim adsuefaciamus ad vitæ hujus calamitates patienter ferendas Prov. XXII. 6. Thren. III. 27.

(3) Ratione Proximi, ut modestia & humilitas erga singulos exerceatur Prov. XX. 11. Matth. XVIII. 5. 1. Petr. V. 3. utque tenera ætas ad misericordiam adsuescat Job. XXXI. 18.

IV. Ad hæc officia cordi imprimenda *dies pueritiæ* supra reliquos inepti videntur: præsertim quamdiu *anni discretionis* nondum adsunt, qui institutionis capaces sunt. Nihilominus præterquam

quam, quod ingenia quædam accedente cultura citius matureſcant, gratiæ quoque ſalutaris operationes ſingulares aliquando in *pueris* apparent, non ſolum *extraordinarie*, uti in Joanne Baptiſta, ſed etiam *ordinarie*, uti in *Abia*, filio Jerobeami 1. Reg. XIV. 13. Sic & ſecundum literam ex ore infantium robur aliquando Deus ſibi parat Pſ. VIII. 3. coll. Matth. XXI. 16. Nec ſuſpicamur, Jeſum puerum gratia exſortem diſcipulis in exemplum proponere voluiſſe Matth XVIII. 2. 3.

V. Talibus autem incumbit per exercitium præſcriptorum officiorum Gratiam acceptam impendere:

(1) Quoniam omne tempus Deo debetur, in quem finem infantibus etiam Sacramenta fœderis tam in V. quam in N. T. collata ſunt.

(2) Quia honor Deo *acceptus* ei fertur ab illis, qui dum primam optimamque ætatis partem Deo conſecrant, oſtendunt, quomodo omnia Deo poſtponant. Hinc primitias & hoſtias teneræ ætatis, & primogenitos infantes in Templo offerri voluit.

(3) Quia Servator exemplo ſuo præluxit.

(4) Quia illis ſingularia promiſſa data ſunt, qui mature Deum quærere incipiunt Prov. VIII. 17.

(5) Quia maximum *peccatorum juvenilium* eſſe pondus, non ſolum ex comminatione judicii divini liquet Eccl. XI. 9. ſed etiam ex querimoniis piorum, quæ occurrunt Job. XIII. 26. Pſ. XXV. 7.

(6) Quia ætas illa ad motus teneriores idonea eſt

est, quamdiu peccandi longiori consuetudine cor callum nondum contraxit.

VI. Ad ÆTATEM ADULTAM ætas *Juventutis* & autumnus *Virilium annorum* referri potest. Cum annis saltem crescit peccati vis, nisi per Gratiam frænetur. In vegetis sane annis

(1) Viget maxime *mundanarum cupiditatum* amor, quia natura maxime ad earum fruitionem sufficit. Hæ dicuntur *cupiditates juveniles* 2. Tim. II, 22. Sic Salomonis *juventutem* absumtam fuisse ipse innuit Eccl. II. 4--10. Adde exemplum filii prodigi Luc. XV.

(2) Cum Virilis ætas maxime ad honores gerendos idonea sit, in ea regnat *Ambitio*, quæ est mater *iracundiæ* viro objectæ Jac. I. 20.

(3) Cum ea conjuncta est *Audacia* & temeritas in periculis subeundis Marc. XIV, 51. Judic. VIII. 21.

VII. Regenitorum officium quam maxume est, in *matura* hac *ætate maturos fructus* proferre Ps. CXIX. 9. Catalogum eorum integrum Timotheo juveni præscribit Apostolus l. c. *Sectare justitiam, fidem, charitatem, pacem cum iis, qui invocant Christum ex mundo corde,* Præ reliquis commendatur

(1) Sapientia, qualis decet *virum adultum*, qui *ad mensuram plenæ staturæ* pertigit Eph. IV. 13.

(2) *Promtitudo* & *robur* in lucta spirituali, ut illis possit dari testimonium, quod *Juvenibus in Christo* datur 1. Joh. II. 14.

(3) *Strenuitas* in gerendo negotio Domini Proverb. XX. 29.

(4) *Gra-*

(4) *Gravitas* despectum declinans per bonum exemplum 1. Tim. IV. 12. 1. Cor. XIII. 11.

(5) *Mansuetudo* iram & ambitionem frangens 1. Tim. II. 8.

(6) *Temperantia* utique sexui injungenda Tit. II. 5. 6.

VIII. Argumenta, quæ has virtutes suadent, sunt

(1) Ipsa ætatis vegetæ aptitudo, cujus cum Deus author sit, ad eundem quoque illa referri debet.

(2) Periculum, cui *Juvenes* præ aliis subjecti sunt, tanquam in *lapsum* proni Jes. XL. 30.

(3) Ætatis ejus fugacitas, quam si non cita mors abrumpit, *dies* tamen mali *senectutis* sequuntur, quos graphice describit Salomo Eccles. XII. 1. sq.

(4) Insignis fructus, quem illa ætas bene collocata affert, cum *juvenis pauper & sapiens* præstet *Rege sene & stolido* Eccles. IV. 13.

IX. Vitia in *Senectutis* hyeme magis propullulantia ac præcipue cavenda sunt:

(1) *Tarditas* in quibuscunque officiis ac negotiis, qui prætextum dat virium diminutio. Sed accedit, quod *timiduisculi* Senes passim sint, tum quoniam, quo magis vitæ finis imminet, eo magis *immoderato vitæ amore* occupantur; tum quia multiplex experientia rerum contra spem contingentium fallitatisque & malitiæ hominum illos *diffidentes* reddidit.

(2) *Morositas*, sive inde oriens, quia corpus incommodis multis est expositum, sive quia se non

non satis ab aliis honoratos putant. Præcipue quoniam sæpe accedit

(3) *Præsumtio* propriæ *Sapientiæ*, atque *meritorum*, per experientiam longiorem atque res gestas, quas amant commemorando jactare, aliosque contemnere, subnatam Job. xv. 9. 10. Hinc Senes magis solent esse *intractabiles*, & a pravis moribus, qui longo usu in habitum abiverunt, *incurabiles*, *obstinati*, consilia, juniorum præcipue, licet meliora, respuentes.

(4) *Avaritia* eo fœdius in illis transparens, quo magis instat Vitæ eorum terminus.

X. Virtutum, quæ *Senes* decent, insignis catalogus occurrit quoad utrumque sexum Tit. II. 2. 3. Venerabiles eos quam maxime reddit

(1) *Prudentia*, præcipue in *cognitionis Christi* majori modulo, per experientiam in viis Domini comparata Job. xxxii. 7. Per hanc *Patres in Christo* evadunt 1. Joh. II. 13. Per hanc idonei redduntur ad consilia salubria aliis reddenda, & ad eos erudiendos de virtutibus Domini Ps. lxxi. 18.

(2) *Constantia* in Bono imperterrita, posteaquam fidelitas Domini toties & tamdiu ab ipsis probata est.

(3) *Exutio curæ* rerum *mundanarum*, quæ brevi deserendæ sunt, conjuncta cum rerum *cœlestium* ac *futuræ vitæ meditatione*. Unde salutare est, paulatim, quantum circumstantiæ id permittunt, negotiis mundanis se exsolvere, ut animus contemplationi instantis vicissitudinis magis vacare queat.

(4) *Hu-*

(4) *Humilitas* & *Humanitas*, per quam gravitas senilium rugarum temperari debet.

(5) *Meditatio mortis* exemplo Isaaci Gen. XXVII. 2. ejusque *desiderium* præeunte Simeone Luc. II. 29. 30.

XI. Incitamenta ad has virtutes sunt:

(1) Brevissimum temporis, quod supereſt, spatium bene collocandum.

(2) Quoniam incommoda Senectutis singularem solaminis cœlestis modulum requirunt, qui ab illis solum sperari potest, qui fideliter Deo in omnibus ingravescentis ætatis molestiis adhærere pergunt.

(3) In hanc rem Scriptura commendat exempla Sanctorum, qui senectutem attigerunt, Zachariæ & Elisabethæ, & Hannæ Luc. I. 6. 11. 37.

(4) Talis Senectus in magno pretio est apud Deum Prov. XVI. 31.

CAPUT DECIMUM TERTIVM.

De Arte Bene moriendi, seu *officiis*, quæ Præparatio ad piam mortem involvit.

SUMMARIUM.

Post generalem divisionem *materiæ* §. 1. *agitur*

I. DE MORTE ORDINARIA 2---19.

quæ requirit triplicem PRÆPARATIONEM.

A. Remotior 2---8. *est*
1. Generalior *omnia officia pietatis comprehendens* 2.
2. Specialior 3---8. *involvens*
a. *Officia* interna 3---7. *quæ sunt*
α. Meditatio noviſſimorum 3.
β. Elevatio mentis a terra ad cœlum 4.
γ. Deſiderium futuræ gloriæ 5. 6.
δ. Vigilantia in ejus exſpectatione 7.
b. *Officia* externa *circa* diſpoſitionem domus 8.

B. Propinquior 9---18.
1. *Supponens* converſionem 9.
2. *Involvens* 10---18.
a. Scrutinium ſui ipſius 10---12.
b. Pœnitentiam ſinceram 13. 14.
c. Fidei exercitium 15---18. *quatenus*
α. Confortanda 16.
β. *Actibus quibusdam* demonſtranda 17. 18.
א. *Reſpectu* Dei 17.
ב. *Reſpectu* Proximi 18.

C. Proxima *per* commendationem animæ in manus Domini 19.

II. DE MORTE EXTRAORDINARIA 20---32. qualis eſt
A. *In quibuscunque* judiciis 21.
B. *In* judiciis humanis 22---32.
1. *Propter* maleficia 22---24.

a. *Sive*

a. *Sive* injuste *infligantur* 23.
b. *Sive* juste 24.

2. *Propter* veritatem *per* MARTYRIUM 25—32. *cujus exhibetur*

a. Definitio 25.
b. Deductio 26—32.
α. *Quoad* personas, *quibus hic honor competit* 26. 27.
β. *Quoad* officia *præstanda* 28—32.
א. *Fons eorum indicatur* 28.
ב. *Officia ipsa enumerantur* 29—31. *quæ observanda*
a. In præparatione 29.
b. In ipsa perpessione 30. 31.
ג. *Necessitas eorum urgetur* 32.

I.

Cum *finis coronet opus*, actuositati vitæ Christianæ, cujus varios gradus ac vicissitudines recensuimus, per officia circa *terminum* ejus, quem MORS ponit, colophonem imponemus. Dicuntur illa generali nomine PRÆPARATIO AD MORTEM, sive illa sit *ordinaria*, sive *extraordinaria*. *Præparationis*, quam MORS ORDINARIA requirit, diversi gradus sunt. Hinc distinguimus inter *remotam*, *propinquam* & *proximam*.

II. *Præparatio remota* se per totam vitam extendit, secundum illud *Platonis* ab *Hieronymo* Epist. ad Heliod. impense laudatum: *Omnis sapientum vita est meditatio mortis*. Sic Jobus instituit Cap. XIV. 14. Sic ipsa *Conversio*, omnesque actus *Fi-*

dei & *Pietatis*, quibus Spes Salutis promovetur, huc ſpectat. Nam

(1) Per ſingula momenta, per ſingulos greſſus Morti propinquiores evadimus.

(2) Nihil magis in ipſa Mortis hora conſcientiam tranquillare, ac ſpem beati tranſitus conciliare poteſt, quam teſtimonium de vita in timore Dei acta Apoc. XIV. 13. Hinc *Auguſtinus* de Civ. Dei libr. 1. c. 11. *Non poteſt male mori, qui bene vixit, & vix bene mori, qui male vixit.*

III. Sunt tamen & officia quædam *ſpecialiora*, quæ magis directe ad mortem præparant. Ante omnia huc ſpectat *Meditatio frequens de noviſſimis.*

(1) De *morte* ipſa, quæ tanti eſt momenti, ut ad illam divinum auxilium imploretur Pſ. XXXIX. 5. XC. 12.

(2) De *judicio*, quod ipſis fidelibus ad ſanctum timorem illis incutiendum ob oculos jugiter verſari debet 2. Cor. V. 9. 10. 2. Petr. III. 11. 12.

(3) De *æternitate*, præcipue *felici* beatorum in cœlo tranſigenda 2. Cor. IV. 17. 18. Sed & *æternitas damnationis*, licet fideles ab ea liberati ſint, utilis eſt ad ſtudium ſanctæ præparationis acuendum.

IV. Convenienter huic Meditationi agunt, qui hinc magis magisque *ſe exſolvunt cura* rerum *mundanarum*, inde autem *deſiderio* ac *ſectatione* rerum *cœleſtium* occupantur. Duo hæc ſemper ſibi invicem innexa ſunt, quia quantum a terra receditur, tantum ad cœlum appropinquatur. Utrumque præſcribitur Col. III. 1. 2. & in exemplo Pauli conjunctum eſt Phil. III. 13. 14.

Hinc

Hinc fideles considerantur ut *peregrini* in hac terra 1. Chron. xxx. 15. Ps. cxix. 19. Ab altera parte sunt *cives in cœlo* Phil. iii. 20. Utrumque conjunctum erat in Patriarchis Hebr. xi. 13–16.

V. Speciatim *desiderium futuræ vitæ* est actuositas ex fide sincera & spe viva necessario oriens, & fidelibus novi Testamenti, quibus vita longæva in hac vita producenda non est promissa, apprime conveniens Rom. viii. 23. 2. Cor. v. 2. Limitatio tantum duplex requiritur.

(1) Quoad fideles *in genere*, ut etiam in jucundissimo futuræ beatitudinis prægustu se ipsos tamen cum patientia termino certaminis, quem Deus secundum beneplacitum suum posuit, submittant Rom. viii. 25.

(2) Quoad illos *in specie*, qui norunt, quod Deus ipsorum opera ad gloriam suam in terris promovendam velit uti. Casus hic est rarissimus & in Paulo conspicitur Phil. i. 21–25.

VI. Quamvis ergo *timor mortis* in imbecillioribus excusari debeat, non tamen potest omni ex parte *justificari*. Circumstantias mortis natura potest metuere, sed *mortem ipsam timere*, recte judicante *Ambrosio* Epist. Lib. v. *non est perfectionis*. Quare male applicant dicta Scripturæ, qui ex Matth. xxvi 37. Hebr. v. 7. Christum mortem metuisse probare volunt. Qui ergo hac imbecillitate laborant, causas cur mortem timeant indagare, atque operam impendere debent, ut illæ tollantur.

VII. Ante omnia requiritur perpetua *Vigilantia*, propter terminum vitæ incertissimum, unde

unaquæque vitæ dies pro ultima reputanda, & non ſolum ſpes vitæ ulterius producendæ exuenda, ſed etiam ab omni negotio abſtinendum eſt, in quo nollemus, ut Dominus adveniens nos deprehenderet Prov. XXVII. 1. Jac. IV. 13--15. Marc. XIII. 37. 1. Theſſ. v. 6.

VIII. Pars hujus vigilantiæ peculiaris eſt *procuratio domus ſuæ* ac tempeſtiva de rebus hujus mundi ad nos ſpectantibus *diſpoſitio*, præcipue quando inde & propriæ conſcientiæ tranquillatio, & noſtrorum, quos hic relicturi ſumus, quies atque ſalus dependet Jeſ. XXXVIII. 1. Ex hoc principio fluit *Teſtamenti* conſignatio, quæ licet non fluat ex Jure naturæ *abſoluto*, ex *hypothetico* tamen, propter peccatum atque inde natam conditionis humanæ inæqualitatem, nec non Legum civilium defectum, ſalutaris & aliquando neceſſaria eſt, præeuntibus ſanctis Abrahamo Gen. XXV. 5. 6. Jacobo Gen. XLVIII. 5. 6. Ut autem *Teſtamenta* huic ſcopo conveniant, per ſe liquet, quod non privati affectus, & minime omnium *vindictæ*, ſed *æquitatis* ratio unice in illis habenda ſit.

IX. Ad *propinquiorem Præparationem* vocantur, qui tales circumſtantias adeſſe ſentiunt, quæ cum periculo mortis ſunt conjunctæ, quales ſunt aut communes in *morbis* periculoſis, aut peculiares, in *acie*, in *tempeſtate*, in imminente *naufragio* &c. Infelices, qui tum adhuc ſunt inconverſi, ac propterea, aut *falſa ſpe* ſe ipſos decipere pergunt, aut duplici terrori *mortis temporalis* & *æternæ* ſimul exponuntur. *Converſio* eorum, quamvis a parte Dei poſſibilis ſit, ferme tamen

tamen inter illas *extraordinarias* est reputanda, quarum Lib. II. cap. I. §. 3. mentio est injecta. Nihil tamen intentatum ut relinquant, & quicquid ex præscriptis eodem Capite Officiis præstare possunt per temporis incommodissimi circumstantias, festinanter ardenterque observare tentent, per amorem propriæ salutis & impendentis æternitatis pondus obligantur.

X. Id jam supponentes, regenitum deducere ad ipsam mortem hic adnitimur. Cum autem ille variis sæpenumero obseptus sit tenebris fluctuationum, omnisque in ipsa morte fiducia dependeat a persuasione de Statu communionis cum Deo, ante omnia maturum requiritur Scrutinium tam de *fundamento Spei*, quam de *præsenti* animæ *Statu*.

XI. *Fundamentum Spei* suæ denuo *pervestigare* omnes in mortis confinio fas est, ut etiam magis, confortati in Fide eo certius cognoscant, quod in arena non ædificaverint. Potissimum tamen id requiritur ab ὀλιγοπίστοις, ne *fluctuationes*, quibus toties jactati sunt in præcedenti vitæ cursu, in ultimo mortis certamine fidem debilitare pergant. Ea fini compendiose pro temporis viriumque ratione se explorent:

(1) Annon jam antea extra timorem mortis positi solliciti de Gratia Dei fuerint, ita ut totius mundi bonis lubentissime carere voluerint, si ejus duntaxat experientiam evidentiorem nacti fuissent?

(2) Annon *odio peccati* eousque impleti fuerint, ut non solum in occulto sæpe propter peccata sua se humiliaverint, sed etiam

nulli peccato amplius cum voluptate fuerint dediti?

(3) Annon id eos maxime afflixerit, quod tam inepti ad gloriam Dei promovendam fuerint, & media illa dilexerint medullitus, per quæ sperare poterant, se aptiores ad gloriam Dei redditum iri?

XII. Quemadmodum illi, qui hæc in se deprehendunt, de efficaci sua Regeneratione dubitare nequeunt, ita iis porro *inquirendum*, an digne tanta Gratia ambulaverint? quosve progressus, si diu in illa versati fuere, præsertim proximis temporibus senserint?

XIII. Scrutinium hoc semper ad *Humiliationem* instigabit. Non desunt, qui testimonium bonæ conscientiæ de sinceritate propositi sui in seipsis deprehendunt cum Hiskia Jes. XXXVIII. 3. Nihilominus variorum quoque nævorum subibit *memoria*, per quam impellimur ad *justificationem* Dei, qui in periculoso illo corporis statu nos constituit, & ad *Pœnitentiam* sinceram coram Deo agendam. Sunt etiam quidam *morbi*, aut alia *pericula*, quæ nostra culpa nobis conscisimus, atque eapropter specialiorem contritionem propter illa peccata requirunt, quæ tanquam causſae proximae illorum dolorum, malorumve, quæ premunt, spectari debent.

XIV. Aliquando peculiaria quaedam *Pœnitentiæ* signa sunt edenda.

(1) Si forte *scandalum* quibusdam exhibuimus improvidis factis, ingenua *Confessione* ac *Deprecatione* noxae illatae illud imminuendum est.

(2) Si

(2) Si quos meminimus contra nos *odia* agitare, tentandi omnes ad reconciliationem aditus, dum adhuc *in via cum adversarius* versamur Matth. v. 25. Quod ubi frustraneum erit, exemplo Domini *pro transgressoribus orandum* Jes. LIII. 12.

XV. *Fidei* autem sicuti in omnibus Tentationibus, ita in hac ultima potissimae partes sunt, utpote quae omnis fiduciae in quibuscunque Mortis periculis proximum medium est Ps. XCI. 1--6. Patriarchae omnes hinc in Fide mortui esse declarantur Hebr. XI. 13. Notentur autem paucis tum *media*, quibus *Fides* in ultimo illo certamine *fulcienda*, tum *Actus* tam quoad *nos*, quam quoad *alios*, quibus *demonstranda*.

XVI. Salutaria ad Fidem in confinio Mortis, quando Tentationes saepe multiplicantur, ipso Diabolo illud tempus observante, in quo fideles debilitatos simul corpore atque animo deprehendit, *fulciendam Media* erunt:

(1) Reminiscentia omnium *beneficiorum* & *viarum* Dei, per quas in vita anteacta experientia amoris & fidelitatis ejus acquisita est Gen. XLVIII. 15. 16.

(2) *Verbi divini*, promissionumque in eo, praesertim de constantia gratiae divinae, nec non aliorum solaminum, quae suppeditat, *meditatio*. Ita Christus praeivit, qui moriturus, quae in Psalmis ac Prophetis ad ipsum pertinebant, sibi applicavit Matth. XXVI. 30. XXVII. 46. Luc. XXIII. 46.

(3) Contemplatio *passionis* & mortis Christi, per quam non solum omnis timor mortis abla-

tas Hebr. II. 15. sed etiam exemplum perfectissimum sanctæ ac beatæ mortis exhibitum est.

(4) Additur interdum *usus Sacræ Synaxeos*, qui in morbis præsertim chronicis juxta veteris Ecclesiæ praxin *Clinicis*, si superstitio absit, non simpliciter negari posse videtur.

XVII. *Fides* per hæc media confortata, etiam desidentibus corporis viribus, actuosa esse perget:

(1) *Precibus* ardentibus, & quo magis mors appropinquat, eo efficacius Domino, etiam quando debilitas naturæ verborum nexum longiorem non amplius permittit, vel per *suspiria* adhærentibus Luc. XXII. 44.

(2) *Patientia*, quæ voluntati divinæ quoad omnia se submittit, non solum quoad mortem ipsam, sed etiam quoad morborum incommoda, mortisque genus & circumstantias, exemplo Eli 1. Sam. III. 18. & magis ipsius Domini Matth. XXVI. 39. 42.

(3) *Spe viva*, quæ in ipsa morte non destituit fideles Job. XIII. 15. Psalm. XXIII. 4. XXVII. 1.

(4) *Desiderio* liberationis ex corpore illo mortis 2. Corinth. V. 1. 2. Phil. I. 23. Apoc. XXII. 20.

XVIII. Sed & aliis sæpiuscule pii, ubi vires & opportunitas adsunt, appropinquantes morti Fidei suæ indicia exhibere studebunt.

(1) *Testimonium* dando tum Gratiæ Dei & veritati salutari, quam Evangelium revelat, in genere, tum experientiæ, quam de ejus efficacia habuerunt atque etiamnum sentiunt. Hinc pii

Veteres

Veteres a moribundis haud raro *confessionem fidei* flagitarunt.

(2) *Præcepta salubria* suis præscribendo, ad exemplum Davidis 1. Reg. II. 1--3. Præcipue id requiritur, quoad illos ex *liberis*, *propinquis*, *amicis*, qui in via carnis adhuc ambulant.

(3) *Benedicendo* suis exemplo Patriarcharum, ipsiusque Christi, saltem per vota ac preces pro eorum salute fusas.

(4) *Beneficentia* erga pauperes, in quam rem tamen non admodum congrua sunt loca Tob. XII. 9. Dan. IV. 24. Luc. XVI. 9. Turpissima sane meriti præsumtio in morientibus de eleemosynis esset, quas faciunt. Et quas Restitutio eorum, quæ male parta sunt, aut de quorum justo titulo morituri dubitare possunt, requirit, illæ eleemosynarum nomen non merentur. 1 Pet. 4. 19.

XIX. *Proxima præparatio* est illa, quæ in ipso *articulo mortis*, sive hæc præcedente morbo sit exspectata, sive subito adveniat, requiritur. Hic momentorum brevitas consilium respuit, ejusque defectum ipse Spiritus sanctus in morientibus fidelibus efficaciter necessaria præstans abunde supplet. Punctum istud appropinquare videntes Jesus Patri, Stephanus Domino Jesu suspirantes animam suam *commendarunt* Luc. XXIII. 46. Act. VII. 58. Ps. 31. 6. 1 Pet. 4. 19.

XX. MORS EXTRAORDINARIA est *violenta*, quo referimus non tam, qui in functione vitæ suæ ordinaria obeunt, uti *milites* in acie, *nautæ* in naufragio, quam, qui per *judicia* quædam seu *divinitus* immissa, seu *humana* tolluntur.

XXI.

XXI. Quibus facultas adest talibus *judiciis* se subducendi, quique per certas circumstantias non obligantur ad perseverandum in illo loco, ubi majori periculo, etiam præsentissimo, sunt expositi, illi *fuga* sibi consulere possunt, ad conservandam tamdiu vitam suam, quamdiu providentia divina ejus usum permittit Matth. x. 23. Et confirmant id exempla filiorum Prophetarum in speluncis latitantium; nec non fidelium Act. VIII. 1. ipsiusque Pauli *Damasco fugientis.* Plus tamen hic permissum est personis *privatis*, quam *publicis*; plus in judiciis *humanis*, quam *divinis*; plus in caussa *bona*, quam *mala.*

XXII. *Judicia humana* cum mortem infligant vel propter *maleficia*, vel in *persecutionibus* propter veritatis confessionem, ratione prioris casus observamus, illum ipsis electis & fidelibus evenire posse, non solum quando *injuste*, sed etiam quando *juste* capitali supplicio tolluntur.

XXIII. Qui *injuste* vel *Judicis* vel *Testium* culpa mortem oppetunt, postea quam frustra omnia licita media ad innocentiam suam ostendendam adhibuerunt, non solum providentiæ divinæ se permittere, sed etiam injustis oppressoribus ex animo remittere debent.

XXIV. In *supplicium* quoque *justum* possibile est, ut pii incidant, sive quando delicta ipsi pœnam in foro soli promerentia ante conversionem sunt perpetrata, sive quia concurrentibus quibusdam circumstantiis ex præjudiciorum fascino aut affectuum intemperie lapsus eorum in crimina suppliciis corporalibus pianda contingere potest. Posterior casus majorem requirit humi-

lia-

liationem, quam prior. In utroque præter officia ad mortem generaliter præparantia singularis lucta requiritur per *preces* & animi in Domino confortationem, ne nimium per *infamiæ dolorumve* metum, aliasque externas circumstantias vis mentis præpediatur. Maximi præterea momenti est, ut scandalum quod per crimen commissum est editum, exemplari quadam fidei veræque conversionis contestatione publice deleatur.

XXV. Glorioſius reliquis omnibus mortis genus est, quod tempore persecutionis per MARTYRIUM subitur, *quando* nempe *fideles Christi servi extraordinaria quadam virtutis & gratiæ divinæ mensura impleti, ex sincero pro causſa Dei zelo propter testimonium veritatis salutaris, carceri, cruciatibus, morti ipsi se exponunt, eamque constanter subeunt.*

XXVI. Inter *Martyres* ergo adscribendi sunt illi tantum, qui pro veritate salutari, cujus fundamentum Christus est, patiuntur, adeoque *propter Jesum* 2. Cor. IV. 11. *propter justitiam* Matth. V. 10. *ob testimonium Jesu & ob sermonem Dei* Apoc. XX. 4. Secundum hanc regulam inter *veros falsosque* Martyres discriminandum est. *Falsorum* duo genera notanda sunt.

(1) Plane excluduntur, qui non solum propter scelera ac seditioſos tumultus, uti Athei ac blasphemi, multique ex Enthusiastis, sed etiam *propter mendacium* patiuntur, quod non est constantiæ, sed *pertinaciæ*. Adde eos, qui in bello quamvis justo & vel religionis causſa susceptо mortem oppetunt.

(2) Falso sibi eundem honorem appropriant Pseu-

Pseudochristiani, qui licet *veritatem* profiteantur, non tamen per ejus amorem ad patiendum pro illa inducuntur, sed aut per residuum conscientiæ dictamen, aut ut opprobrium eorum, quibuscum communibus sacris utuntur, declinent, aut vanum honorem apud homines sectantes.

XXVII. *Verorum martyrum* tres classes constituimus.

(1) In *latiori sensu* huc *referuntur* infantes, nec non *rudes & simplices*, quos inter tamen esse possunt, in quos illud Martyris cujusdam idiotæ quadrat: *Non possum pro fide disputare, possum pro ea mori.*

(2) Illi quoque huc pertinent, quos veteres *Confessores* nominabant, passionibus variis propter nomen Christi excruciatos, morti tamen ipsi ereptos, quales *Danielis Socii* fuerunt.

(3) Qui mortem actu pro veritate oppetiverunt.

XXVIII. Hunc modum Deum glorificandi singulari grætiæ modulo indigere certum est. Ab illius providentia directio passionum pro nomine ejus unice dependet. Unde nonnisi *secundum voluntatem ejus* patiuntur 1. Petr. IV. 19. Per ejusdem fidelitatem robur necessarium adipiscentur Phil. I. 29. Interea singularia officia, tum circa *præparationem* ad martyrium, tum circa ejus *passionem* observari debent.

XXIX. *Præparatio* ante omnia prærequirit

(1) *Vocationem divinam* 1. Petr. II. 21. Hebr. XII. 1. Act. IX. 16. Hanc qui non exspectat, sive se ipsum absque necessitate præsentissimo pericu-

riculo exponat, sive ultro se persecutionibus offerat, Deum tentat.

(2) Interea quando ingruere videmus persecutiones, mature de illis mediis cogitandum, quibus adhibitis victoriam in hoc agone sperare possumus.

(a) Talis est præcipue fides Hebr. XI. 36. --39.

(b) Conjungi debet *abnegatio sui ipsius* & commodorum hujus vitæ Matth. XVI. 24. 25.

(c) Exercitatio in certaminibus minoris momenti Hebr. XII. 4.

(3) Ubi autem præsto sunt occasiones, in quibus provocamur ad certamen, promtitudo ad illud subeundum debet adesse Gal. I. 16. Act. XXI. 13.

XXX. Sub ipsa passione *internum* animi robur cum *externo* ejus indicio conjnnctum esse debet. *Internum* robur Spiritum sanctum tum maxime suppeditare dubitari nequit, cujus tanta sæpe est efficacia, ut præ gaudio interiori externos cruciatus Martyres sentire non videantur. Ut autem tranquillitas & constantia animi acquiratur exuendus potissimum erit intempestivus *hominum metus* Matth. X. 28. & consolationibus capite sequenti recensendis cor erit fulciendum.

XXXI. *Externa* fidei & constantiæ signa sunt

(1) Intrepida veritatis confessio Matth. X. 32. 33.

(2) Lætitia externis signis, ac sigillatim hymnorum cantu declarata Act. V. 41.

(3) Aliorum ad zelum pietatis, prout circumstantiæ permittunt, incitatio.

(4) Per-

(4) Perseverantia ad mortem usque Apoc. II. 10.

XXXII. Quamvis autem diversimode Gratia in diversis hic operetur, certum tamen est, quod unusquisque vere Christianus *Martyrio* se subducere non debeat, uti *Helcesaitas*, aliosque hæreticos, docuisse traditur. Nam

(1) Exerte a Servatore nostro hoc officium injungitur Matth. XVI. 25.

(2) Æquissimum hoc præceptum reddit non solum generatim *Amor*, qui debetur *Deo*, omnibus creaturis, etiam propriæ vitæ caussam ejus præferendo, sed etiam speciatim *gratitudo*, qua obstricti sumus Domino, qui ipse vitam suam pro ovibus suis posuit.

(3) Idem postulat *Amor Proximi*, cujus salus per *Martyrium* promovetur. Nam fideles per constantiam Martyrum in fide confirmantur 2. Cor. XII. 15. Infideles per eandem convincuntur & sæpe convertuntur. *Sanguis Martyrum est semen Ecclesiæ.* Sic per talem *mortem Deus glorificatur* Joh. XXI. 19.

(4) Eapropter ipse Spiritus S. heroicam Martyrum virtutem laudat & in exemplum ponit Hebr. XI. XII.

(5) Maximas promissiones perseverantibus datas esse Capite sequenti videbimus.

(6) Indoles N. T. adhuc magis hoc officium exigit, in quo tot persecutionibus Ecclesiam paulatim purgandam esse, Prophetæ docuerunt. Huc spectat istud Col. I. 24. Adde Apoc. VI. 10: 11. XII. 17.

CAPUT

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

De Consolatione Christiana *& Officiis in ejus legitima* applicatione *observandis.*

SUMMARIUM.

Post transitionem §. 1. *factam agitur*

I. De Consolationibus 2---48. *hoc ordine, ut*

A. *Detur* definitio 2.

B. *Illa* deducatur 3---48. *Hic*

1. Fontes Consolationum *aperiuntur* 3. ---5.

a. *Secundarius* 3. 4.

b. *Primarius* 5.

2. *Consolationes ipsæ enumerantur* 6---48. *Hæ sunt*

a. *Generales* 7---19. *desumtæ ex consideratione*

α. Causæ *Afflictionum diversæ* 8. ---14.

β. Indolis *Afflictionum* 15.

γ. Effectus *Afflictionum* 16---19.

א. *Generaliter considerati* 16---18.

ב. *Relate ad Oeconomiam N. T.* 19.

b. *Speciales* 20---48

a. *Contra* Mala in hac vita *incumbentia* 20---43.

א. Nobis 21---40. *oppositæ*

α. *Malis* internis 21---30.

a. Angoribus Conscientiæ in Gratiæ initio 21.

b. Reliquiis corruptionis 22. ---26.

c. Conscientiæ novorum peccatorum 27.

d. Insultibus Satanæ 28.

e. Desertionibus divinis 29. 30.

β. Malis externis 31---40. *ad quæ referimus*

a. Communia *cum mundanis* 31---39.

* Judicia publica 31.

** Molestias privatas 32. ---40. *quales sunt*

, Paupertas 33.

,, Morbi corporis 34. 35.

,,, Amicorum defectus 36.

,,,, Mors suorum 37.38.

,,,,, Injuriæ ab aliis illatæ 39.

b. Fidelibus peculiaria pro caussa Dei 40.

ב. Aliis 41---43.

α. *Quæ* singulos *premunt* 41.

b. *Quæ* Ecclesiæ *incumbunt* 42.43.

β. Con-

β. *Contra* mortem 44 ---48.
א. *In genere* 44 ---47.
a. *In se spectatam* 45.
b. *In circumstantiis* certis 46. 47.
ב. *In* Martyrio 48.
II. *De legitima Consolationum* APPLICATIONE 49---55.
A. *Supponit* Conversionem & Fidem 50.
B. *Involvit* arreptionem per Fidem 50---55. *quæ*
1. *In genere urgetur* 50.
2. *Specialius deducitur* 51 ---55. *continens officia.*
a. *Quæ* Fidem excitant 51.
b. *Per quæ* Fides jus suum exercet 52. ---55.
α. Coram Deo 53. 54.
β. Coram hominibus 55.

I.

Præsentissimum ad perdurandum in tot *Malis*, quibus fideles tam in vita, quam in morte exercentur, fulcrum præstant CONSOLATIONES DIVINÆ, quæ statum Christianorum, qui per illorum Malorum naturam atque cumulum videbatur esse miserrimus, etiam quando *afflictissimus* coram mundo apparet, præstantiorem longe quocunque statu mundi etiam *felicissimo* reddit.

II. Per *Consolationes* has comprehendimus integrum *Testimonium Gratiæ divinæ in Christo Jesu, tam præsentis, quam futuræ, secundum verbum Evan-*

gelii tam efficaciter per internam operationem Spiritus sancti singulis fidelibus in lucta positis applicatum, ut per veram fidem illud apprehendere atque in eo acquiescere possint. Juvabit hic primo *materiam* harum *consolationum*, ac deinceps earum *formam*, quam legitima & efficax *applicatio* constituit, lustrare.

III. *Materiam Consolationum* ipsi Gentilium *Philosophi* suppeditare, sed inauspicato, adnisi sunt. Neque enim verum earum *fontem* cognoverunt, in sola passim fatali rerum necessitate subsistentes, & remedia quibuscunque malis sufficientia se ignorare, *omnem consolationem dolorem vincere, imbecilliorem esse medicinam, quam morbum*, ingenue sæpe fassi sunt.

IV. Longe excellentius ergo *solidi Solaminis* contra omnia Mala fidelibus contingentia promtuarium est *Verbum Dei*, quod ea fini *scriptum est, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus* Rom. xv. 4. Ps. cxix. 50. 92. 93. Psalm. xxiii. 4. Totus enim ejus cardo vertitur in *Testimonio gratiæ de Deo per Christum peccatori reconciliato*, quod tanquam *unicum* & *universale* omnium Consolationum fundamentum debet considerari.

V. Author *Consolationis*, quem Scriptura indicat, est Deus Triunus, *Jehova*, qui solus illa sapientia, potentia, bonitate pollet, quæ omnibus malis sufficit. Sigillatim opus consolationis tribuitur:

(1) *Patri* tanquam primo omnis Gratiæ *Fonti* Jes. xlix. 13. Rom. xv. 5. 2. Cor. i. 3. 4.

(2) *Filio*, tanquam *caussæ meritoriæ*, qui ut מנחם *Consolator* a fidelibus V. T. exspectatus est

Gen.

Gen. v. 29. Jes. LI. 3. 12. Ejus adventus erat *consolatio Israelis* Luc. II. 25. Hinc vota & gloriationes Apostolicæ in ejus solamine fluunt 2. Thess. II. 16. 17. 2. Cor. I. 5.

(3) *Spiritui Sancto*, tanquam *cassæ applicanti*, qui abinde vocatur *Paracletus*. Adde Act. IX. 31.

VI. Ipsum *Solamen*, quod Deus populo suo præstat, est *Gratia*, quæ *in Christo* peccatori exhibetur. Extra illam Deus est *ignis consumens*. Hæ sunt *aquæ vivæ*, quæ ex Fonte salutis fluunt. In varios nihilominus illæ se dividunt alveos per diversa *argumenta*, quæ suppeditant, ad *lætitiam* atque *spem* sub ipsis afflictionibus producendam. Sunt autem hæc argumenta vel *generalia*, quibuscunque malis, vel *specialia*, certis eorum generibus opposita.

VII. Argumenta *generalia* tam late patent, quam ipsa doctrina salutis in Evangelio revelata patet. Quemadmodum enim singulæ *veritates* a Deo in verbo ejus manifestatæ eatenus sunt *practicæ* quatenus argumenta fidei sanctitatis studium suadentia exhibent, ita simul sunt *consolatoriæ*, quoniam medicinam malis quibuscunque afferunt. Id patebit, quando afflicti tum *causas*, tum *indolem* tum *sequelas* Afflictionum, quas perpetiuntur, ponderabunt.

VIII. Afflictionum omnium *caussa immittens principalis* Deus est Psal. XXXIX. 10. Jes. XL. V. 7. Thren. III. 38. Ille tamen non amplius ut *iratus Judex*, sed ut *placatus Pater* debet considerari Hebr. XII. 7. Hoc autem suppositio singulæ tam *perfectiones*, quam *operationes* Dei totidem novæ sunt Consolationis scaturigines,

IX. Inter *perfectiones* Dei solamen afflictis præstat

(1) *Omniscientia*, qua & suorum vires & Afflictionum omnes circumstantias novit Psalm. CIII. 14.

(2) *Omnipotentia*, qua illis modum ponere valet Eph. III. 20. Jud. vs. 24. Deut. XXXII. 39.

(3) *Omnipræsentia*, quia etiamsi non semper sentiant Deum sibi præsentem, nihilominus tamen dubitare nequeunt, quod propinquus ipsis sit Ps. XXIII. 4. Jes. XLIII. 1. 2.

(4) *Immutabilitas*, per quam susceptum & inceptum opus ad finem semper perducit Jes. LIV. 10. Ps. CIII. 17.

(5) *Sapientia*, quæ inexhausta est consilio, etiam in maximis difficultatibus Ezech XXXVII. 3.

(6) *Benignitas* infinitæ *misericordiæ*, cujus proprium maxime objectum sunt fideles afflicti Nehem. IX. 31. Ps. LXXVII. 10. Psalm. CIII. 8--13. CXLV. 8. 9. Thren. III. 22. 23. 31--33. Jac. V. 11.

(7) *Sanctitas* ipsa Dei fulcrum est maximum animæ afflictæ Joh. XVII. 11. Jes. XLVIII. 11. Illa enim requirit:

(a) Ut *justitiam* revelet per *conservationem* & *liberationem* suorum, vi meriti Christi Luc. XVIII. 7.

(b) Ut *veritatem* promissionum verbi sui demonstret Ps. CVIII. 5. XXXIII. 4. 5. Nihil enim clarius Dominus promisit, quam *conservationem* & *liberationem* populi sui ex omnibus malis Psal. XCI. 14--16. XXXIV. 18--21. Certitudo hujus promissionis inde maxime apparet, quod ipse Do-

Dominus *liberationem a malo* discipulos suos orare jusserit.

(c) Ut *fidelitatem* præstet fœderatis suis 1. Cor. x. 13.

X. Omnia *opera Dei* afflictis fulcra nova spei subministrant, quando per fidem considerantur. Ipsa *opera naturæ* tam *Creationis* quam *Providentiæ* huc spectant, non solum quoniam illarum perfectionum divinarum specimina ubique exhibent, quæ spei fidelium fundamentum sunt, sed etiam, quia ita sunt a Deo ordinata, ut Consilio gratiæ subserviant. Hinc Scriptura ex *Creatione* solamen elicit Jes. XL. 26---28. XLV. 18. Ex *Providentia* itidem argumentatur Psalm. CXLVII. 3. 4. 5. Matth. VI. 26. X. 29--31. Ex ea sane ipsis constat, nihil illis præter voluntatem Dei evenire Thren. III. 3.

XI. Exuberantius nihilominus animam recreat consideratio *Operis Gratiæ* in toto suo nexu ac singulis ejus partibus.

(1) *Electionis* firmitas sub *Testamenti* emblemate eleganter adumbrata nullis afflictionum nebulis obscurari potest Psalm. XXXIII. 11. In *electos* nulla cadit *seductio* Matth. XXIV. 24. nulla valet *accusatio* Rom. VIII. 33. Nulla illis timenda est *peràitio* Joh. XVII. 12. Et propter ipsos dies tribulationum abbreviantur Matth. XXIV. 22.

(2) *Acquisitæ* Salutis perfectio per lytrum a Christo persolutum immota est anchora salutis,

(a) Quoniam per illud ira Dei placata, & venenum ex omnibus afflictionibus fidelium ablatum, & summum constantissimi amoris

Domini erga suos specimen datum est Rom. VIII. 31. 32.

(b) Quia nostræ naturæ particeps factus singula genera afflictionum tam internarum quam externarum gustavit Hebr. IV. 15.

(c) Quia constanti sua sub omnibus passionibus conservatione & ex illis liberatione exemplum dedit, quid fideles sperare queant Hebr. XII. 3. 4.

(3) In *Applicatione Salutis* præcipui Consolationis solidæ fontes sunt sequentes.

(a) Quod fundamentum ejus sit *Gloria* Jesu Christi, qua post passiones est indutus in illum finem, ut perfecte suos servaret Joh. XVII. 2. qui finis irritus reddi nequit Joh. X. 28, 29. Rom. VIII. 34.

(b) Quod in hac Gloria pro suis *intercedat*, ut in omnibus malis conserventur Joh. XVII. 15. 16.

(c) Quod finis totius *Regni*, quod administrat, ille sit, ut Ecclesiam singulaque ejus membra certis gradibus ab omni malo liberet Ps. CXLV. 13. 14.

(d) Quod opus *Spiritus sancti* in cordibus fidelium sit efficax atque constans: quo spectant omnia argumenta, quibus ex Scriptura constantia Fœderis Gratiæ & singularum ejus partium evincitur.

(e) Quod per Spiritus S. operationem in arctissimam cum Christo unionem translati sint; quæ præsidium contra omnia mala præstat Matth. VII. 24. 25.

(f) Quod idem Spiritus fideles in unum cor-

pus

pus inter se uniat, sic ut singulorum precibus omnes sustententur.

(g) Quod promissus sit *adventus Christi*, cujus dies simul dies erit plenæ *reæmtionis*, quæ colophonem omnibus malis afferet 2. Thess. 1. 7. Jac. v. 7. 8.

XII. *Caussa instrumentalis* malorum, quæ fideles premunt, sunt *creaturæ*. Quare ad consolationem eorum pertinet, quando animadvertunt tum ἀδένειαν omnium creaturarum in se, tum absolutam earum a nutu Dei dependentiam Rom. VIII. 38. 39.

XIII. *Caussa meritoria* afflictionum omnium sunt *peccata*; quorum recordatio non solum fidelibus silentium imponit, sed etiam illos obligat ad gratiam Dei agnoscendam, quæ in eo eluceſcit, quod qualescunque castigationes hujus vitæ longe infra meritum illorum, qui eas patiuntur, sint.

XIV. *Caussa finalis* apud Deum in ipsis passionibus est, ut salutem suorum promoveat Rom. VIII. 28. quemadmodum ex fructibus mox recensendis apparebit. Unde sequitur, quod tanquam *Castigationes paternæ* beneficiorum loco haberi, Amor Dei erga suos in illis agnoscì, ac pro iisdem gratiæ Deo referri debeant Hebr. XII. 5. Ps. CXVIII. 21.

XV. Ex considerata *Afflictionum indole* ad solamen fidelium pertinet:

(1) Quod magna intersit inter *Afflictiones piorum* atque *impiorum* differentia, quoniam *pœnæ peccati* in omni emphasi dici nequeunt, posteaquam Christus pro illis satisfecit; quoniam sco-

pus Dei venenum earum in antidotum convertit ; & quoniam longe facilius tolerantur propter *auxilium divinum*, quo gaudent sub illis, & *spem* plenæ liberationis ab illis, qua fideles sunt impleti Ps. XLVI. 2—6. XXVII. 1. Jes. XLIII. 2.

(2) Quod sors hæc communis sit omnibus credentibus secundum diversam mensuram Hebr. XII. 7. 8. Ps. XXXIV. 20. Non quasi Deus non aliquando etiam halcyonia suis indulgeat in hac vita, quod directe contra alias promissiones, sigillatim illas, quæ de ultima Ecclesiæ gloria datæ sunt, pugnaret ; sed quia deficientibus etiam *externis malis* fideles in hac vita semper cum *internis* confligendum habent.

(3) Quod omnes Afflictiones fidelium *breves* sint & in nullam comparationem cum *aterna* Gloria veniant ; etiamsi per totam vitam continuentur Jes. LIV. 8. 2. Cor. IV. 17. 18. 1. Petr. I. 6.

XVI. Ex *effectis Afflictionum* hoc ad Consolationem spectat, quod illæ sint *fructuum* excellentissimorum in credentibus salubertima media Hebr. XII. 11. Ad duas potissimum classes illos referimus. Partim enim per *Afflictiones* Opus Gratiæ in illis *promovetur*, partim *manifestatur*.

XVII. *Promotionem* Operis Gratiæ per Afflictiones a Deo procurari indicatur Hebr. XII. 10.

(1) Quia promovent *illuminationem intellectus*, dum ansam præbent *agnoscendi tum* summam *Dei* majestatem, sanctitatem, justitiam, aliasque virtutes, quas immittendo Afflictiones revelat

lat ; *tum sui ipsius* indignitatem atque multiplicem culpam, qua castigationes divinæ provocantur.

(2) Quia *voluntatem* expurgant a defectibus, qui tam *Fidei*, quam *significationi* adhærent, instar *ignis* 1. Petr. 1. 7. • Ps. cxix. 67. 17. Zach. xiii. 9. Huc pertinet :

(a) Quod per illas cor humilietur Job. xxxiii. 16. 17.

(b) Quod nimium rerum mundanarum amorem exstinguant Hos. ii. 6.

(c) Quod e somno securitatis excitent Eph. v. 15. 1. Cor. xi. 32.

(d) Quod ardorem in precibus augeant 2. Chron. xx. 3. 4. Jes. xxvi. 16. Hos. v. 15.

(e) Quod ad variarum virtutum Christianarum, patientiæ, misericordiæ, prudentiæ exercitium incitent.

(f) Quod desiderium plenæ communionis cum Deo intendant.

XVIII. Sed & Opus Gratiæ per Afflictiones *manifestatur*, quatenus sunt media *explorationis*, ex quibus patescit discrimen inter veros & fallaces Confessores. Unde δοκιμὴ, *probatio* illis adscribitur 2. Cor. ii. 9. viii. 2. Talis autem *probatio* multiplicem ex se gignit Afflictionum usum.

(1) Quoad *Deum* illa detegit efficaciam Gratiæ ejus, per quam in tantis tempestatibus tenues scintillas Amoris sui conservat.

(2) Quoad *nos ipsos* exploratio illa non solum criteria fidei, sed etiam quousque in illa progressi

gressi fuerimus, detegit. Hinc parrhesia & firmitas spei incrementa capit Jac. I. 12.

(3) Quoad *alios*, quibus sinceritas nostra per hanc probationem innotescit, illos exemplum nostrum ad celebrationem Domini & ad sanctam æmulationem incitat.

XIX. Singulare pondus his Consolationibus accrescit per excellentiam Oeconomiæ N. T. in qua alvei earum efficacius aperti sunt & uberius fluunt Jes. LXI. 1--3. Id enim sequitur ex pleniori modulo Bonorum Gratiæ, quæ ad hanc Oeconomiam pertinent, quoniam post Deum per sanguinem Jesu Christi actu reconciliatum Spiritus sanctus corda fidelium efficacius illuminat, confortat, & lætitia spirituali implet.

XX. Præter has *Consolationes generales* Evangelium plurimas *specialiores* contra *singula Mala* tam in *vita*, quam in *morte* suppeditat, quarum præcipuæ digito quasi indicandæ sunt.

XXI. Ut ab *internis* animæ *Malis* initium faciamus, *contra* ANGORES CONSCIENTIÆ *propter peccata* in operis gratiæ initio monet:

(1) Quod illi signum sint suscitationis ex sopore securitatis, in quo peccator stertit.

(2) Quod *omnium peccatorum*, atrocissimis non exceptis, remissio sit promissa, quando pœnitentia de illis agitur Ps. CIII. 3. 2. Chron. XXX. 18. 19. Mich. VII. 19.

(3) Quod *infinitum meritum* Christi omnibus peccatis delendis sufficiat Act. X. 43. 1. Tim. I. 15.

(4) Quod *pœnitentia vera* de peccatis nunquam nimis *sera* sit Jes. LXV. 2.

(5) Quod

(5) Quod ipsa peccatorum *gravitas* propterea conscientiam subeat, ut ex inspecta altius eorum magnitudine omnisufficientia divina eo magis patescat Rom. v. 21.

(6) Quod illa peccata, quæ Scriptura pro *irremissibilibus* declarat, eapropter talia sint, quoniam cum obstinatione contra Christum sunt conjuncta, & in vere pœnitentes non cadunt, adeoque per ignorantiam huc trahantur.

(7) Quod etiamsi quædam peccata *ignoremus*, adeoque de iis sigillatim resipiscentiam exercere nequeamus, pro *peccatis* tamen *ignorantiæ* quoque sacrificia fuerint destinata. *Implicite* de iis pœnitentiam agi posse constat ex Ps. xix. 13.

(8) Quod etiamsi *sensus fœditatis, peccatorum* neque tam *vivus*, neque tam *diuturnus* sit, ut nobis videtur atrocitatem peccatorum nostrorum mereri; ille tamen genuinus esse possit, secundum monita Lib. II. cap. 2. §. 29.

XXII. *Contra* RELIQUIAS CORRUPTIONIS, seu *morales imbecillitates* in ipsis regenitis superstites in genere Scriptura notat:

(1) Hanc sapientem Dei dispensationem esse, cujus rationes alias dantur, quod imperfectiones multas in credentibus per totam vitam relinquat. Confer Lib. I. cap. 4. §. 15. sq.

(2) Quamvis verum sit, quod major *cognitionis & sanctificationis modulus* sit promissus, nihilominus hunc quoque suos gradus & decrementa habere, uti liquet ex prophetiis, quæ quibusdam N. T. temporibus exserte parciorem Spiritus sancti mensuram prædixere Jes. xl. 30. Matth. xxv. 5.

(3) Quod

(3) Quod hæc ſollicitudo nunquam ſit ceſſatura, ſed cum progreſſu Gratiæ incrementum captura, quoniam quo magis illa illuminat, eo clarius animadvertimus, & quantus ſit ſanctitatis in Deo ſplendor, & quid nobis deficiat.

(4) Deum auxilium ſuum in maxima imbecillitate fidelibus promiſiſſe Jeſ. XL. 11. XLII. 3.

(5) Quod eapropter ſingularis *patientia cum aliorum imbecillitatibus* præſcripta ſit, quoniam illa exemplum eſt *longanimitatis*, quam Deus etiam erga pios exercet Gal. VI. 1. 2. Col. III. 13.

(6) Quod quidem hæ imbecillitates eos *ineptos* hactenus *ad gloriam Dei* reddant; ſed quod Deus etiam in hac terra nonniſi imperfectam laudem exſpectet.

XXIII. Cum autem *Imbecillitates* illæ in diverſis fidelibus diverſimode ſe habeant, ſigillatim contra ſingulas Evangelium nos munit. Sic *contra* DEFECTUM COGNITIONIS facit:

(1) Quod omnis Cognitio in hac vita ſit imperfecta 1. Cor. XIII. 9. cujus exemplum dant diſcipuli Domini Matth. XVI. 9. 23. Luc. XXIV. 25.

(2) Quod ubi ille defectus oritur ex *facultatum phyſicarum* debilitate, in providentia divina ſit acquieſcendum; ubi autem ex *neglectu mediorum*, ibi conniventia divina certo ſperanda ſit, ſi tantum cum pœnitentia ſincera conjungatur *mediorum*, quæ in promtu ſunt, fidelior uſus.

XXIV. *Contra* DEFECTUM FIDEI oſtenditur:

(1) Quod

(1) Quod illius quoque in veris discipulis Domini admodum tenuis mensura esse queat Matth. XVII. 20.

(2) Quod Dominus curam etiam *minimi moduli in fide* singularem habeat Luc. XXII. 32. Matth. XIV. 31.

(3) Quod ea fini *tolerantia* imbecillium in fide commendetur Rom. XIV. 1. Matth. XVIII. 6. 10.

(4) Quod deceat Dominum, ut fidei imperfectionem manifestet, ne fideles ipsi fidei, quæ unicum salutis suæ medium est, aliquod subtile meritum adscribendi ansam capiant.

(5) Quod Fides, quæ *imbecillior* apparet, reapse *fortior* sit. Nam quo majores tenebræ ac tempestates animæ incumbunt, eo major vis est, quæ illius fidem sustentat 2. Cor. XII. 9. 10.

XXV. *Contra* DEFECTUM PRECUM animum consolatur:

(1) Quod *sinceritas desiderii* Preces etiam imperfectas acceptas reddat, atque plus apud Deum valeat, quam excellentissimum Precum *charisma*.

(2) Quod hunc defectum tegat interpellatio Domini perpetua pro electis Hebr. VII. 25.

(3) Quod singuli sancti vi communionis spiritualis pro omnibus membris Domini, ac præcipue pro imbecillioribus, intercedant.

XXVI. DEFECTUS SANCTITATIS cum duplex sit, *primo contra* CARNIS INHABITANTIS *tentationem* per tot pravarum concupiscentiarum identidem recurrentium examen luctatorem erigit:

(1) Quod

(1) Quod sanctissimos eapropter conquerentes percipiat, quos inter Paulus Rom. VII. 18. 19.

(2) Quod recursus ille pravarum *concupiscentiarum* nisi cum depositione illius *corporis*, in quo radices altissimas egerunt, exstirpari nequeat.

(3) Quod interna animi propterea afflictio & desiderium liberationis ab hoc hoste interno principii novi, Spiritus in nobis contra carnem belligerantis, sit indicium Rom. VII. 16. 17.

Porro *contra* Defectum Amoris pii confortantur:

(1) Quia id sæpius accidere ipsis fidelibus, ut Amor eorum debilitetur, Scriptura diversis exemplis docet Cant. v. 3. Gal. v. 7. 8. Apoc. II. 4. Matth. XXVI. 40.

(2) Quia ipsa animi humiliatio & inquietudo ex sensu hujus defectus proficiscens *sinceri Amoris* criterium est. Male cum illis esset constitutum, si hac cura carerent. Quo magis enim fideles pulchritudinem Domini cognoscent, eo magis Amoris sui imperfectionem sentient.

(3) Quia etiam in Amoris suorum inconstantia novoque tepore Deus tamen constanter amare pergit 2. Tim. II. 13.

XXVII. *Contra* Conscientiam novis peccatis *in ipso Statu Gratiæ commissis* læsam inservit:

(1) Quod fideles de *iteratis lapsibus* semper conquerendi ansam habeant Eccles. VII. 21. 1. Joh. 1. 8. Accedunt exempla Sanctorum, in quibus tamen *selectu* opus est.

(2) Quod

(2) Quod magnum discrimen sit inter peccata *regenitorum* & *irregenitorum*, uti ostensum est Lib. I. cap. 4. §. 19.

(3) Quod excellentissimæ promissiones Remissionis peccatorum in sacris paginis occurrentes concernant peccata fœderatorum post eorum regenerationem commissa. Inspiciantur tantum in nexu suo loca Ps. XXXII. 5. 6. CIII. 13. 14. Jerem. XXXI. 34. 1. Joh. I. 7. II. I. 2.

(4) Quod propterea Deus jusserit sæpe de novo fratri condonare, quia ad idem ipse pœnitentibus liberis suis præstandum paratus est Matth. XVIII. 21. 22.

XXVIII. *Contra* SATANÆ INSULTUS magis immediatos per *horrendas cogitationes* solamini est:

(1) Quod ejusmodi impiæ Cogitationes non sint habendæ pro actualibus peccatis, quoniam fideles eas detestantur.

(2) Quod Satanas earum *propositione* ipsum sanctissimum *Jesum tentare* ausus fuerit Ps. XVIII. 5. 6.

(3) Quod *horror* & *abominatio*, quam in credentibus caussantur, indicium sit luctæ eorum contra Satanam.

(4) Quod *clypeus fidei*, quem Apostolus contra *tela* hæc *ignita* commendat, quique ipse Christns est, ad ea extinguenda sufficiat Eph. VI. 16.

(5) Quod aliquando diutius inhæreant, ac sæpius redeant, Satana novam ex imbecillitate varia credentium ansam identidem captante; sed quod tamen nihil lucri inde Spiritui infernali sit

acceſſurum, quem Jeſus vicit, ligavit, ac demum *ſub pedibus* ſingulorum *credentium* conteret Apoc. XII, 9. 10. Rom. XVI. 20.

XXIX. Desertiones divinæ gravitate differunt, quatenus aut *Subtractionem ſenſus favoris divini*, aut contrarium *Iræ divinæ ſenſum* involvunt. Contra prius Malum pii muniuntur:

(1) Quia fideles eapropter cum Eccleſia ſæpius quiritantes introducuntur Jeſ. XLIX. 14. Pſ. XIII. 1.

(2) Quia ipſe Filius Dei in has tenebras mentis ſub eclipſi Solis incidit Pſ. XXII. 1.

(3) Quia fideles ſæpe Dominum procul eſſe putant, quando prope eſt Cant. III. 3. 4. Joh. XX. 29.

(4) Quia Dominus promiſit, quod ſuos nunquam plane deſerturus ſit Jeſ. XLIX. 15. 16. Hebr. XIII. 5.

XXX. *Contra ipſum Senſum iræ divinæ*, quo nihil eſt fidelibus gravius, monemur:

(1) Quod hæc quoque nobis communis cum aliis piis querela ſit Pſ. LXXIV. 1. LXXVII. 8--10.

(2) Quod hoc ipſum pertineat ad communionem cum paſſionibus Chriſti Pſ. LXIX. 2. 3. 4.

(3) Quod ſæpe pro indiciis iræ divinæ per errorem habeantur, quæ inter illa non eſſent referenda.

(4) Quod hæc tentatio, utpote graviſſima, brevior eſſe ſoleat Pſ. XXX. 6. Jeſ. XII. 1.

XXXI. *Contra* Judicia publica & communia, (ut ad *externas* afflictiones pergamus) confortare poteſt:

(1) Quod illa ſæpe *a domo Dei* incipiant 1. Petr.

Petr. IV. 17. Unde eorum communio per se statum fidelium non deteriorem reddit.

(2) Quod sub illis certum *latibulum* atque *refugium* fidelibus in Christo sit apertum, unde eorum si non corpora, certe animæ semper liberabuntur Jes. XXVI. 20.

(3) Quia, qui per Judicia divina tolluntur, sæpe *a majoribus malis præservantur*, & saltem vel sic eo citius in veram quietem intrant 1. Reg. XIV. 13. 1. Chron. XXXIV. 28. Jes. LVII. 1. 2.

(4) Quia *Judicia externa* promissiones Ecclesiæ de ejus constanti conservatione & gloria postrema factas non abrumpent, sed promovebunt, Deo semper semen sanctum sub omnibus tempestatibus sibi conservante Matth. XVI. 18. Jes. VI. 13. XXX. 17. Zeph. III. 12.

(5) Exstant quidem etiam promissiones liberationis ex malis externis Ezech. IX. 6. Apoc. III. 10. Ps. XCI. Exod. XV. 26. sed illæ secundum certas restrictiones ex nexu & scopo verborum erudendas intelligi debent.

XXXII. Minoris momenti sunt MOLESTIÆ PRIVATÆ vitæ præsentis, quæ singulas domos ac personas affligunt. Specialia contra illas remedia sunt:

(1) *Omnisufficientia* divina omnes omnium necessitates implens 2. Cor. IX. 8. Phil. IV. 19.

(2) *Communis* omnium, tam ipsius *Christi*, quam *fidelium sors*. Unde tantum abest, ut pro signo iræ divinæ haberi queant, ut potius maxime impii ac profani felicissime præ aliis vivant Luc. XVI. 19--21.

(3) Plerumque in promtu est memoria quo-

rundam vere piorum, qui longe *graviora* perpeſſi fuere.

(4) Neque nos morari debet, quod patientius talia ferri queant, quæ veritatis cauſſa ſubeunda; nam Deus pro lubitu ad hanc coronam vocat, quos vult, & in communibus afflictionibus gratiam ſuam ſæpe æque clare revelat. Quin ita gratioſus eſt, ut illis quoque Malis, quæ *propria culpa* nobis ſæpe accerſivimus, culpam gratioſe remittat, atque ea in Bonum nobis vertat Gen. XLII. 21. 1. 20.

XXXIII. Quando ſigillatim præcipuas percenſemus,

contra Paupertatem antidotum eſt, *quod* Chriſtus pauper factus ſit 2. Cor. VIII. quod opes hujus mundi pro ſuis bonis fideles non reputent: quod pericula ac damna ſpiritualia effugiant, quæ per divitias multis accedunt Marc. X. 23. quod rationem minorem reddituri ſint: quod ſolidiora bona poſſideant ac ſperent: quod brevi nullis amplius creaturis hujus mundi opus ſint habituri 1. Tim. V. 8. quod piis pauperibus maximæ promiſſiones datæ ſint Jac. II. 5.

XXXIV. *Contra Debilitationem & Morbos Corporis* facit, quod cum *corpore mortis corpus peccati* deſtruatur, quoniam peccatum in carne habitans per morbos ſæpe infirmatur: quod *morbi* ſint prodromus mortis, adeoque ſignum appropinquantis redemtionis: quod fideles certi ſint, ſe corpus glorioſius recepturos per reſurrectionem: quod ſaltem tales *morbi*, quales *Ægyptiis* inflicti ſunt, tanquam ſigna iræ divinæ, fœderatis non ſint timendi; quod *Jehova ſit Medicus Iſraelis*

Exod.

Exod. xv. 26. qui etiam in externis morbis vult *quæri* 2. Chron. xvi. 12. quod Jesus circa *ægrotos* singularem curam gesserit in diebus carnis suæ: quod fidelibus ægrotis promissio excellens data sit Job. xxxiii. 19--24. Ps. cvii. 17--20.

XXXV. Singulares quidam casus huc pertinent.

(1) *Cæcos & surdos* aliove *sensu* aut *membri* insignioris usu privatos consolari potest, quod irritamenta pauciora ad peccandum habeant, quibus alii sunt expositi, quodque facilius implere queant præceptum Domini Matth. xviii. 8. 9. nec non quod defectus quidem corporis in V. T. a Sacerdotio typico excluserit, verum in N. T. Sacerdotio antitypico nullum detrimentum afferat.

(2) *Orbi liberis* cogitent, quod in N. T. sterilitas non sit amplius maledictionis divinæ signum, quodque molestia *educationis* ac periculo degenerationis liberorum liberati sint.

(3) *Senectutis malis* laborantes perpendant, quod multiplicem præ aliis bonitatis divinæ experientiam habuerint; quod, quæ per deficientes naturæ vires præstare non possumus, Deus non exiget; quod immineat glorioſus in meliorem vitam transitus.

(3) Quorum *cerebrum obnubilatum* actuositatem animæ impedit, ita ut periculum etiam *usum rationis amittendi* immineat, illos erigere debet, quod per corporeas affectiones nunquam abrumpetur opus Gratiæ inchoatum, cum pleno rationis usu anima gauderet; quod Deus, ubi impotentia ad preces & meditationes adest, suspiria

ſuorum in Chriſto exaudiet ; quod *Patris cœleſtis* miſericordia longe major ſit , quam Patrum terreſtrium , qui natos etiam mente captos tolerant.

(4) *Morbis chronicis affectos* recreare poteſt, quod ſummus modimperator calicem unicuique miſcuerit , qui non poteſt ultra menſuram ab illo poſitam extendi ; quod longius fidei & patientiæ eorum exercitium *probationem* eorum magis manifeſtam reddat ; quod etiamſi a *Medio Gratiæ* diutius ſint ſeparati , Deus tamen , qui nullis mediis eſt adſtrictus , interne illos ſit docturus ac confortaturus.

(5) *Doloribus acutis excrutiati* erigi poſſunt exemplo non ſolum Jobi , ſed etiam Chriſti, qui multo majores cruciatus ſubivit , ut electis ſuis lenimentum dolorum acquireret.

XXXVI. *Contra amicorum* in mundo *defectum*, quo aut *egeni* , aut *peregrini* laborare ſolent, remedium dabit : *quod* omnes homines mendaces ſint , & amicitias utilitate metiantur : *quod* qui Dei favore gaudet , uti Abrahamus , *amicus Dei* per emphaſin vocatus , ille certum conſilium & opem exſpectare queat : quod integra fidelium vita *peregrinatio* : quod cœlum vera *patria* ſit, ad quam aditum per Chriſti meritum apertum nulla poteſtas tenebrarum intercludet.

XXXVII. *Contra mortem ſuorum* generatim animare poteſt , *quod* pro eorum tam diuturno uſu gratiæ Deo ſint agendæ ; *quod* per eorum obitum novum vinculum , quod vitæ præſenti nos alligabat , ruptum ſit ; *quod* exiguo temporis momento poſt eos ſimus in terra reſtituri ;

quod

quod Deus in nobis hoc pacto desiderium beatæ æternitatis suscitare velit.

XXXVIII. Specialiora autem solamina pro diverso defunctorum statu prudenter sunt dispensanda.

(1) De quibusdam *constat*, quod *in peccatis obierint*. Hic non solum cum *Aarone* silendum, Lev. x. 3. sed etiam cum Jobo cap. 1. 21. gratiæ Deo sunt agendæ, quod animam nostram in eodem periculo a natura constitutam voluerit liberare. Sed & vinculo naturali cum morte corporis fracto certum est, quod nulla tristitia ea propter in futura vita locum sit habitura.

(2 De quorundam *Statu dubitatur*. Id aliquando contingit Parentibus, quorum liberi mature obierunt; aliquando antequam ipsi parentes conversi essent. Hinc sanctitas Dei etiam in viis carni absconditis agnoscenda, & in ea acquiescendum, præcipue quoniam illius misericordia est infinita. Qui autem in hoc & præcedenti casu propter officium, quod circa vivos monelis precibusque observandum fuisset, neglectum anguntur, agnoscant patientiam Dei, quæ ipsis pepercit, & ubi seriam pœnitentiam egerunt, de remissione horum quoque peccatorum non dubitent. Nam quamvis perfide egerint, animæ Proximi curam non habentes, salus tamen & perditio hominis non a mediis, sed a voluntate Dei dependet.

(3) De quibus *bene sperare* fas est, propter illos non solum luctum mitigare, sed & gaudere fides jubet. Nimis magna eorum est beatitudo, quam ut, nisi perversa laboremus philautia, opta-

re, eorum reditum queamus. Non amisimus illos, sed præmisimus. Etiamsi aliquando singularia Gloriæ divinæ instrumenta potuissent esse, si supervixissent, Deus tamen, qui a nullis mediis dependet, de necessariis mediis populo suo semper prospiciet.

XXXIX. Contra iniurias *ab aliis illatas* fideles muniti sunt, quoniam illos æque ac reliquas creaturas in manu Dei esse, adeoque nihil præter ejus sapientiam & bonitatem ab illis sibi eventurum credunt. Duo casus singularem mitigationem requirunt.

(1) Quum læduntur ab *ingratis*, pro beneficio Dei reputandum, quod ingratitudinem, qua sæpe contra ipsum peccavimus, in mentem nobis revocare velit.

(2) Facilius læsiones contemnuntur, quando ab *impiis* proficiscuntur, a quorum cœcitate & dominante malitia per se talia exspectant Luc. XXIII. 34. Prov. XXIX. 9. quos ut objecta misericordiæ considerant, & a quibus illis sæpe magis proficuum est *odio haberi*, quam *amari*. Nihilominus & a *piis* judicari adsuescendum, quia norunt se non hominum; sed Dei solius judicio stare & cadere 1. Cor. IV. 3. 4. Sed & cum non ex malo animo verum ex præjudiis meris piorum sinistræ cogitationes oriantur, spes adest eas superandi, & alienationem eorum in sincerum amorem convertendi 1. Sam. I. 15. 16.

XL. Uberiora Contra passiones *pro tausa Dei*, solaminis cœlestis flumina Verbum Dei effundit. Quamvis enim illæ quoque ad sequelas peccati pertineant, & semper triste sit,

Pro-

Proximum eousque in malitia posse progredi, gaudii tamen materiam præbet:

(1) Quod hæ viæ peculiari ratione a decreto & voluntate Dei dependeant 1. Thess. III. 3.

(2) Quod tales passiones nos conformes Christo faciant Joh. XV. 18. 20. Matth. X. 25. XX. 23.

(3) Quod oriantur ex odio Dei & honorem ejus directe impetant, quem vindicare non negliget Psalm. LXXIV. 10. 18. 22. Zach. II. 8. Act. IX. 5.

4) Quod sint extraordinaria gloriæ divinæ instrumenta 1. Petr. IV. 14. Coloss. I. 24. 2. Tim. II. 9.

(5) Quod ita patientes præ aliis gaudeant testimonio *bonæ conscientiæ* ex justitia caussæ orientis 1. Cor. IV. 4. Ps. VII. 4. 5. 6. 1. Petr. II. 19.

(6) Quod sint media, per quæ fideles documentum sinceri sui erga Deum amoris & separationis a mundo possunt edere Joh. XV. 19. 1. Petr. II. 19. 20.

(7) Quod propter illas singularem curam Servator suis impendat, tum pro illis *intercedendo*, tum robore Spiritus sui eos sustentando & *conservando*, ne deficiant Joh. XVII. 11. 15. Matth. X. 32. 2. Cor. IV. 8. 9

(8) Quod sub illis singulari præsentiæ & amoris sui certificatione eos recreet Jes. XLI. 10. 11. 14.

(9) Quod liberationem glorioſissimam illis promiserit Joh. XVI. 20. 33. 1. Petr. IV. 13.

(10) Quod quicquid perdunt, secundum Spiritum iplis *centuplo* restituetur Matth. XIX. 28. 29.

(11) Quod propterea tales passiones ab Apostolis & Confessoribus pro maximis prærogativis fuerint habitæ Actor. v. 41. Matth. v. 11. 12.

(12) Quod majori præ aliis commiseratione digni sint, qui has passiones infligunt, quoniam ut potissima Diaboli mancipia & instrumenta atrocissimam Dei vindictam experientur Psalm. xciv. 23. Jes. xv. 11. 12. 2. Petr. ii. 9. 2. Thessal. i. 6.

(13) Quod peculiari præ aliis amore & intercessione populi Dei gaudeant, quia quicquid eorum recreationi impenditur, Jesus reputat, tanquam sibi impensam Matth. xxv. 35. 36.

XLI. *Contra* Dolorem propter peccata aliorum & quidem primo *peccatorum*, quibuscum conversamur, illorum præcipue, quos ut *carnis nostræ partem* debemus considerare, notetur, quamvis dolor ille sit justissimus, quod eundem tamen verbum Dei temperet.

(1) Quoniam obstinata aliorum impœnitentia pios incitat ad liberrimam Gratiam agnoscendam, quæ in ipsis tantam carnis perversitatem sustulit.

(2) Quoniam nescimus, quid vota atque monita nostra quamvis tamdiu inutilia fuerint, in posterum sint effectura, cum experientia doceat v. c. piorum parentum molimina post mortem eorum demum fructificare.

(3) Quoniam ita *dolentes* convenienter officio piorum agunt Ps. cxix. 136. & singularia promissa habent Ezech. ix. 4.

XLII. *Contra Corruptionem* publicam & *communem*,

nem, non solum in mundo, sed etiam in Ecclesia, confortat nos Evangelium:

(1) Quia Deo placuit Corruptionem maximam sæpe permittere, ut inde Gratiæ ejus necessitas appareat, quæ ex quorumcunque Mediorum insufficientia demonstratur. Sic Lumen *Rationis* sub Promissione, *Legis* sub V. T. quin ipsius *Evangelii* sub N. T. absque cooperante Gratia ejusdem inutilitatis est.

(2) Quia Deus etiam corruptissimis temporibus sibi supra omnem spem hominum conservavit *Sancti seminis reliquias* Rom XI. 2--5.

(3) Quia longanimitas ejus propter paucos residuos, qui apud ipsum interpellant, diu ingratum populum tolerare potest.

(4) Quia etiam tempore plane arido tantam tamen Gratiæ ac Spiritus sui mensuram sinceris non denegabit, quanta ad eorum conservationem requiritur Jes. LVII. 11. LIX. 21.

(5) Quia in verbo Prophetico novam uberiorem Spiritus sui effusionem promisit cum adventu suo ad Regnum glorioſum ultimorum temporum conjungendam Jes. XXXII. 15--17. LX. 21. LXV. 17. Talis autem effusio Spiritus sancti cum admirabili multiplicatione & amplificatione vetorum Ecclesiæ membrorum conjuncta erit Jes. LX. 22.

XLIII. Ex eodem fundamento *Contra Judicia* tam *imminentia*, quam *prementia* Ecclesiam solamen efficax consideratio viarum Dei præstat.

(1) Nulla judicia impedient unquam propositi gratiæ quoad electos executionem. Aquæ diluvii Noachi arcam non poterant absorbere.

Fun-

Fundamentum hujus spei est *nomen Dei* Jes. XLVIII. 9. 11. Ezech. XXXVI. 22. quod comprehendit:

(a) Virtutes fœderales Dei in perpetua Ecclesiæ conservatione demonstrandas.

(b) Meritum Filii ejus, cui tanquam Rupi æternæ Ecclesia est inædificata.

(c) Opus Spiritus sancti, per quod Ecclesia de nomine Dei est nominata 1. Sam. XII. 22.

(2) Etiamsi Ecclesia in uno loco funditus exscindatur, in alio tamen repullulascit.

(3) Ipsa Judicia sunt medium, per quod Deus Ecclesiam expurgat, & ad hæreditatem mundi atque gentium plenius occupandam idoneam reddit.

(4) Quo graviora sunt, eo propinquior est redemtio Matth. XXIV. 32. 33. Luc. XXI. 28.

(5) Præcedentes liberationes Ecclesiæ signum spei similium liberationum etiam in futurum tollunt 2. Cor. 1. 10. Jes. XLVI. 3. 4.

(6) Accedunt promissiones evidentissimæ per totum verbum propheticum disseminatæ; quæ gloriosam Ecclesiæ liberationem ex manu omnium hostium prædixerunt Deut. XXXII. 34. XXXIII. 29.

XLIV. *Consolationes* in ipsa MORTE *timorem* ejus pellentes aliæ *cuicunque morti communes*, aliæ *morti Martyrum peculiares* sunt. In morte *generatim* spectata duo sunt, quæ timorem provocant, tum quatenus *in se* est destructio naturæ, tum quatenus cum *circumstantiis*, quæ horrorem incutiunt, est conjuncta.

XLV.

XLV. *Timori mortis in se spectatæ* Evangelium hæc solamina eum lenitentia præbet:

(1) Quia illa dependet a Regimine Dei Job. XIV. 5. adeoque pertinet ad illa, quæ in bonum suorum dirigit.

(2) Quia per meritum Christi aculeus mortis est sublatus 1. Cor. XV. 55. 2. Tim. I. 10.

(3) Quia in Nov. Test. fideles etiam ab illo timore mortis sunt liberati, qui fideles Vet. Testam. exagitabat Hebr. II. 14. 15. Rom. VIII. 15.

(4) Quia Christus per resurrectionem suam documentum dedit, quod mortem pro suis vicerit & in suam potestatem redegerit Apoc. I. 18.

(5) Quia tantum est *hostis ultimus* 1. Cor. XV 20. cum quo reliqui hostes cessant animam affligere, & qui eodem modo ac reliqui vincendus est per glorioſam resurrectionem Job. XIX. 25.26.

(6) Quia *mors* est eorum *lucrum*, quorum *vita Christus* evasit Phil. I. 21. quoniam per eam ab omni malo liberantur & statim post illam in cœlestem beatitudinem transeunt 2. Corinth. V. 1.

(7) Quia qui *Domino vixerunt*, etiam *Domino moriuntur* Rom. XIV. 8. Unde eorum in ipsa morte, tanquam peculii sui curam gerit, atque Gratiam, qua in hoc agone indigent, illis subministrat.

XLVI. *Circumstantiæ* mortis terrorem augentes sunt vel *spirituales* vel *corporales*. Ad spirituales spectant *fidei fluctuationes*, per quas sœpe ipsius Judicii

Judicii cum morte conjuncti severitatem pii extimescunt. Verum hæ nebulæ pelluntur, quando animum subit:

(1) Quod Scriptura testetur ab omni *judicio condemnationis* fideles pleniſſime esse liberatos Rom. VIII. 1. Joh. v. 24.

(2) Quod hæ promiſſiones innitantur merito Christi, qui propterea condemnatus est, ut suos ab æterna damnatione liberaret.

(3) Quod coram judicio Dei non proprio quodam merito, sed unice merito Christi innitentes atque vestiti comparituri simus.

(4) Quod ipse Redemtor noster futurus sit Judex.

(5) Quod licet piorum etiam nævi ad eorum pudorem in judicio divino sint detegendi, finis tamen hujus pudefactionis nullus alius sit futurus, quam ut gratiæ divinæ excellentia eo evidentius in iis demonstretur.

(6) Quod ipsi cum Christo mundum & Angelos sint judicaturi 1. Cor. VI. 2. 3.

(7) Quod terror hic in mortis confinio intentatus ultimus & evanidus Satanæ sit impetus.

XLVII. Sæpe etiam circumstantias quasdam *corporales* sive *ordinarias* sive *extraordinarias* fideles extimescunt, quales sunt *Mortis* aut *celeritas* aut *dolores, obnubilatio cerebri, derelictio suorum in varias angustiis, sepulturæ incommoda &c.* In genere contra hæc omnia sufficit heic monere:

(1) Quod *Mors festina* non sit extimescenda, nisi in conversis Eccl. IX. 12. Reliquis beneficium

cium est, quoniam flumen mortis eo citius transfretant.

(2) Quoad *dolores Mortis* ignotum est, quid Deus de nobis constituerit. Quos alii videntur pati, sæpe minores sunt, quam apparent, quoniam appropinquante Morte sensus morbi passim diminuitur. *Breves* saltem sunt, & proximus ad æterna gaudia transitus.

(3) Quæcunque in *obnubilatione mentis* stulta & *indecora* accidunt, illa Domini misericordia nobis non imputabit. Sæpe in febribus ardentissimis aliisque animi deliquiis talia intervalla animadvertere licet, quæ præsentiam Spiritus Christi indicant.

(4) Dolor, quem *suorum derelictio in mundo* gignit, oritur aut ex *amore carnalis*, aut ex *diffidentia* providentiæ divinæ. Quare dissipabitur, ubi fides repræsentabit, vinculum naturæ mox ruptum iri, ut amor purissimus & perfectissimus cor impleat: *domi* in cœlesti Hierosolyma præsente Domino ac beatis Cœlitibus consortium amicorum terrestrium non amplius desideratum iri: nostram saltem præsentiam tam ad salutem animæ quam ad sustentationem corporis nostrorum non requiri: prius *liberrimæ gratiæ*, posterius *providentiæ*, quin *fidelitati* divinæ, relinquendum esse propter singulares promissiones, quæ *viduis*, *orphanis*, aliisque *derelictis* factæ sunt Deut. x. 18. Ps. LXVIII. 6. 7. Mal. III. 5.

(5) *Sepulturæ* cura eo minus fideles distinebit, quia nihil neque animæ neque corporis refert, an, ubi & quomodo terræ mandetur. Universa *terra*, quin ipsum *mare* Domini est, mortuosque suos dabit

dabit Apoc. XX. 13. Nihil nocuit Martyribus in cœlo triumphantibus, quod corpora eorum insepulta fuerint objecta.

XLVIII. Singulares denique prærogativas *Mors Martyrum* habet. Omnes enim *Consolationes*, quas §. 40. illis proposuimus, qui pro caussa Dei patiuntur, in emphasi plenissima locum habent, quando his passionibus per mortem constantem pro nomine Jesu coronis imponitur. Adde

(1) Quod; si prærogativa magna sit pati, multo major sit *mori* pro caussa Domini. Per talem *mortem* enim *Deus glorificatur* Joh. XXI. 19. Hinc *pretiosa est in oculis Domini mors Sanctorum suorum* Ps. CXVI. 15.

(2) Promissiones speciales glorioſæ liberationis ex tali morte datæ sunt Joh. XII. 25. 26. 2. Tim. II. 11. 12. Apoc. XIV. 13.

(3) Nomen eorum in Ecclesia in perpetua benedictione manet, quo pertinet *nubes testium*, Hebr. XI. & *resurrectio mystica* illis adscripta Apoc. XX.

(4) In extraordinariis occasionibus extraordinaria Dei sustentatione ac recreatione gaudent. Sic Stephanus gloriam Jesu vidit Act. VII. 55. Polycarpo vox e cœlo contigit: *Fortis esto Polycarpe & viriliter age.*

XLIX. Ut autem *Consolationes* hæ effectum optatum habeant, rite *applicari* debent. Saluberrima remedia male applicata in venenum abeunt. Nulla major animarum laniena editur, quam ubi promiscua salaminum Evangelicorum detorsione vanitas ac securitas carnalis fovetur.

L. No-

L. Notetur ergo diligenter, quid *Applicatio* hæc & *supponat* & *involvat*.

(1) *Supponit* initia sinceræ *Conversionis* & *Fidei*. Spiritum S. qua *Paracletum*, mundus accipere nequit Joh. XIV. 17. Hinc Apostolus 2. Thess. II. 16. 17. in apprecatione solaminis divini tanquam ad *dilectos Dei* scribit. Extra Christum Deus est *ignis consumens*. Quid a tali peccator speraret?

(2) Ubi autem initia Gratiæ adsunt, illic fidelibus incumbit, Consolationes has per veram *Fidem arripere* & in usum suum convertere. Id requirit tum *gratitudo*, quæ Deo pro tanto beneficio, quantum est solamen Evangelicum, debetur, tum fidelium *debilitas*, quibus robur spirituale, quod hæ Consolationes suppeditant, admodum est necessarium, ut in tot Malorum fluctibus conserventur. Quare ad hoc opus *Fides* debite & *excitanda* & *impendenda* est.

LII. Ut Fides ad *arripiendum* Consolationes Dei *excitetur*.

(1) Qui ullatenus de Statu suo dubitant, *Scrutinium* renovent, secundum *Criteria* Conversionis data Cap. II.

(2) *Præjudicia* illa exuant, quæ Solaminis sensum præpedire possunt, qualia sunt:

(a) Quod nemo sibi debeat Solamen Evangelicum applicare, nisi qui pleniori Gratiæ divinæ certitudine gaudet; cum tamen illa ipsa certitudo insignis Solaminis Evangelici pars sit.

(b) Quod Status eorum, qui propter peccata sua gravi ac diuturno dolore sunt impleti, sanctior sit, aut saltem securior, Statu

corum, qui magis in Deo lætantur.

(c) Quod non antea fas sit Consolationes Evangelicas sibi applicare, quam donec extraordinario quodam modo animus magis immediatum Dei alloquium percepit.

(5) *Precibus* Deum fatigent, ut parrhesiam fidei largiatur, & per internas operationes Spiritus sancti corroboret Ps. LI. 10. 14. LXXXV. 9. CXLIII. 6.

(4) *Verbum Dei* sibi familiare reddant, non solum attendentes ad ea, quæ peccatoribus terrorem incutiunt, aut tardioribus calcar præbent, sed etiam quæ ad *solamen* fidelium sunt destinata, ejusque dulcedinem veram constituunt Ps. XIX. 11. CXIX. 103. Jerem. XV. 16.

LIII. Ubi cor ita est præparatum, illic Fides est occupata in *jure* illo rite *exercendo*, quod omnibus piis circa Consolationes Evangelicas competit. Est autem hoc exercitium partim *occultum* coram Deo, partim *manifestum* coram hominibus.

LIV. In *occulto* Fides *jure* suo utitur, quando Consolationes verbi divini sibi *appropriat*; atque ita *lac* earum ex *uberibus* utriusque Testamenti avide fugit In qua suavissima occupatione ita procedere debet, ut & *singulas* & *universas* sibi *intimare* contendat.

(1) In *singulis* primo *argumentis* confortantibus, quæ Scriptura suppeditat, rationali meditatione hæreat, ut *veritates* in illis contentas cum circumstantiis, in quibus versatur, conferat.

(2) Et quamvis vel unicum Scripturæ dictum

ctum ad graviſſima Mala lenienda rite applicatum ſufficiat, per illius tamen vim atque ſuavitatem incitetur, ad ſe *totum* in hoc flumine aquæ vivæ proluendum, & Bonitatem Jehovæ in reliquis conteſtationibus, juramentis, promiſſionibus porro guſtandam.

LV. Adjumentum ſalubre Meditationibus hiſce afferunt *regulæ* circa Scripturæ ſenſnm amplisſimum & deſideriis piorum accommodatum notandæ. Tales ſunt:

(1) Quod principalis univerſæ Scripturæ *ſcopus* ſit *Conſolatio pectoris*, qui ſalutem ſincere quærit.

(2) Quod eapropter vix aliqua ejus pars ſit, quæ non, ſaltem per *legitimam ſequelam*, huc pertineat.

(3) Quod unumquodque Scripturæ Solamen peculiares circumſtantias habeat ex *nexu* & *ſcopo* loci, unde hauritur, optime detegendas, ultra quas non debet extendi.

(4) Quod non opus ſit, ut *omnes circumſtantiæ* concurrant, in quibus Solamen aliquod proponitur, ad illud nobis applicandum; ſi duntaxat quoad principales ſimilitudinem ſtatus noſtri deprehendamus.

(5) Quod Solamen pertinens ad totum *corpus Eccleſiæ*, ſingula quoque *membra* attineat.

(6) Quod externa beneficia ac prærogativæ in hiſtoria Sacra concurrentes umbra ſint beneficiorum ſpiritualium.

(7) Quod quicquid *uni membro* ſalubre eſt, totius corporis, adeoque & cæterorum membrorum

brorum illud constituentium sanitatem promoveat.

LVI. Qui autem *Consolationum divinarum* dulcedinem, experti sunt, *indicia* quoque *externa* dabunt effectuum, quos inde senserunt.

(1) Laudes Domini sub ipsis Afflictionibus propter ejus fidelitatem pangendo Psalm. CXLIII. 5.

(2) Spem suam cum exultatione non obstantibus hostibus externis & internis declarando Mich. VII. 8.

(3) Patientiam tanto solamini respondentem actu ipso ostendendo Mich. VII. 7. 9. Psal. LXXI. 13--16.

THEOLOGIÆ ACTIVÆ

LIBER TERTIUS,

Officia ſpecialiſſima, quæ in Relationibus diverſis *obſervanda ſunt, pertractans.*

CAPUT PRIMUM.

De Communione Sanctorum, *&* Officiis *circa illam quoad* ſingula membra *Eccleſiæ internæ excolendam præſtandis.*

SUMMARIUM.

I. *De* nexu & ordine *agitur* §. 1—4.
II. COMMUNIO SANCTORUM *explicatur* 5—29.
A. *Per definitionem* 5.
B. *Per deductionem* 6—29.

1. *Quoad membra* Ecclesiæ triumphantis 7---12.
   a. *Officia recensentur* 8---11.
   b. *Rationibus fulciuntur* 12.
2. *Quoad membra* Ecclesiæ militantis 13---29. *Hæc* communio pressius
   a. *Describitur* 13---28.
      α. Indoles *ejus* spiritualis *in genere sup. ponitur* 13.
      β. *Officia recensentur* 14---28.
         א. Fundamentum *eorum* 15.
         ב. *Diversi eorum* actus 16---28.
            a. *In judicio* Honor 16.
            b. *In propensione* PHILADELPHIA reciproca 17---28.
               α. Passiva 18.
               b. Activa 19---28. continens
                  †. *Officia* spiritualia 19---26. *præstanda*
                  , *Remotius* 20.
                  ,, *Strictius* 21---26. dona aliis impendendo
                  * *In usum communem* 22---24.
                  ** *In usum* privatum 25. 26.
                  †† *Officia* corporalia 27. 28.
   b. *Commendatur* 29.

I.

Posteaquam vitæ novæ actuositatem, quatenus a singulis Regenitis absque *personarum discri-*

mine

mine in se consideratis per gradus exerceri solet, percensuimus ; nunc iidem nobis considerandi, ut pars diversarum *Societatum*, in quibus constituti *Relationem* ad cætera earum membra habent, cui convenienter se gerere debent. Cum autem & illæ *Societates* diversam gerant faciem, & diversa singulorum *membrorum* integrum eorum *Corpus* quasi conficientium sit conditio, hinc insignis Officiorum huc pertinentium nascitur *differentia*.

II. Duo SOCIETATUM, ad quas Regenitus *Relationem* habet, sunt genera. Quatenus enim membrum est Ecclesiæ in *Sacram*, quatenus simul in Mundo versatur, in *communem* seu *secularem* Societatem est insertus. Utramque iterum spectare potest vel ut *publicam* vel ut *privatam*. Hinc ansa nobis nascitur distinguendi inter quatuor *Communionum* species, quas eo ordine recensebimus, quo aliæ aliis subordinatæ sunt.

III. Incipimus a *Communione Sacra*, quoniam illa *basis* & *norma* est omnis Communionis *mundanæ*. Cum autem duplex ejus *Vinculum* sit, alterum *internum* & *immediatum* per Spiritum sanctum connexum, alterum *externum*, quod *mediate* per ordinem humanitus institutum & administratum conservatur, hinc duplicem esse *Communionem sacram* apparet : alia *privatim* quoad illos, quos *interna* Ecclesiæ membra præsumimus esse, alia *publice* quoad illos, quos pro *externis* membris agnoscere oportet, exercetur. Priorem distinctionis caussa *Communionem Sanctorum*, posteriorem autem *Communionem Ecclesiasticam* nuncupamus.

IV. Primas damus *Communioni Sanctorum*, quoniam illa scopus est Communionis Ecclesiasticæ mediatæ; tanto hac præstantior, quanto sanctior ipsa Domus Templi præ Atrio erat. Quamvis enim in Societate civili publica anteponenda aliquando sint privatis, secus tamen res se habet in Communione Sacra, quoniam in illa *publica* commoda cum *privatis* in conflictum nunquam veniunt.

V. Per hanc *Communionem*, Κοινωνίαν, intelligimus illam *Relationem*, *quam Regeniti ad omnes Sanctos, ut veros subditos Regni Christi habent, quos tanquam partem sui ipsius, ejusdemque corporis secum membra considerant, & quibuscum hanc unionem omnimode conservare atque promovere quærunt.* Distincte hic notemus tum *personas*, quæ hanc Communionem conficiunt, tum ipsos *actus* Communionis hujus exercitium ingredientes.

VI. Personæ sunt omnes *Sancti*, quos tanquam *subditos Regni Christi* consideramus. Fundata ergo est hæc *Relatio* in alia, per quam omnes, tam *mali Angeli*, quam *irregeniti*, a quacunque tam *activa* quam *passiva* parte in hac Communione excluduntur, tanquam *semen Serpentis* irreconciliabili inimicitia *Semini Mulieris* oppositum. Duæ autem eorum *Sanctorum* classes sunt. Pertinent enim partim ad *Ecclesiam triumphantem* constantem tum *Angelis*, tum *Spiritibus consummatorum iustorum*, partem ad *Ecclesiam militantem* in terris.

VII. Propter majorem *Sanctorum in cœlis* a Sanctis in terra, quam *Sanctorum in terra* inter se, distantiam Communio, quam Regeniti cum Sanctis in cœlo habent, obscurior est. Verum

hoc

hoc non obstante cum de ipsa Communionis veritate ex Scriptura constet, fas quoque est, ut Regeniti per Fidem omnibus officiis defungantur, quæ ex natura illius Communionis, in quantum illa nobis est revelata, fluunt.

VIII. Quoad *Judicium* Beatos Cœlites *æstimare* atque *honorare* fas est, prout convenit fastigio illius Excellentiæ, in quo sunt positi. Quamvis enim corporale nobis cum illis non intercedat commercium, adeoque *verbis* ac *gestibus* honorem nostrum erga illos declarare nequeamus, *animo* tamen alte debet infigi excellentia summa illarum creaturarum, quas inter omnes, quæ nobis innotuere, proximum Deo locum obtinuisse credimus.

(1) *Angelos* oportet *honorare* propter eximiam *Sanctitatem*, quam inconcussa eorum *constantia* supra mortalium sortem evexit; & propter insignem *usum*, quem Christo communi Regi, in Regno ejus promovendo, tanquam proximi ejus *Ministri & Satellites* præstant.

(2) *Beatas animas* decet suspicere propter victoriam, quam per Christum super omnes hostes spirituales obtinuerunt, perfectam a peccato justificationem, purificationem, & honorem, qui ipsis a Deo, Christo, Angelis bonis & reliquis Sanctis exhibetur.

IX. Potissima autem Communionis cum Ecclesia triumphante pars absolvitur illa *unione Amoris reciproca* (Confer Lib. II. cap. 5. §. 28.) qua, quæ *eorum* sunt, *nobis*, & quæ *nostra* sunt, *illis* addicimus atque appropriamus.

X. In *Communionem Beatorum Cœlitum passivam*

transimus, quando per Fidem *Bona*, quæ illi possident, *nobis* usurpamus, sive *omnes*, sive *singulos* respiciamus.

(1) Omnium *universim* Bona pro nostris reputamus, quoniam eodem cum ipsis Rege & Capite fruimur, eandem cum ipsis hæreditatem exspectamus, ipsisque curæ esse persuasi sumus, ut & nos cum illis ad eam plene possidendam introducamur.

(2) Quoad *singulos* hoc discrimen facimus, quod *Angelos* consideremus ut Domino nostro ad salutem nostram procurandam ministrantes; *Beatas* autem *Animas* tanquam *Præambulones* quosdam, qui ejusdem nobiscum naturæ consortes, pro toto quasi Ecclesiæ corpore jam in possessionem perfectissimæ hæreditatis sunt immissi. Quæ fiducia, non in quodam Cœlitum merito, sed in beneplacito Dei atque ordine ab eo posito recumbens, lætitiam spiritualem non parum promovet.

XI. *Amorem* autem, quo fideles *fruuntur rependere* vicissim *active Beatis Cœlitibus* quærunt.

(1) Quoad *universos*, desiderant magis magisque illis *assimilari*. atque ea fini Virtutes ad perfectam eorum sanctitatem pertinentes, quas Scriptura in illis laudat, sibi in exemplum proponunt, jugiter orantes, ut *voluntas Patris in terra fiat, quemadmodum in cœlis.*

(2) Quoad *singulos præsentiam Angelorum* reverentur, adeoque & propter illam omne quod *indecorum* est, fugiunt 1. Cor. XI. 10. *Animarum* autem *Beatarum* vestigia, quæ in terris relique-

liquerunt, grata memoria recolunt Hebr. XIII. 7. XII, 1.

XII. Merito hæc officia fidelibus commendata sunt:

(1) Quia a Beatis Cœlitibus se diligi norunt, atque hunc Amorem ipsis indignissimis exhibitum Amore reciproco compensare debent.

(2) Quia Communio hæc admodum gloriosa ipsis est, eosque vere *nobilitat.*

(3) Quia illa pertinet ad primitias cœlestis gloriæ.

(4) Quia maxime convenit temporibus N. T. in quibus vinculum hujus Communionis *velo* inter Sanctum & Adytum *rupto* arctius evasit Hebr. XII. 22. 23. Joh. 1. 52. Ephes. 1. 10. Matth. VIII. 11.

XIII. Sanctorum *in terra* inter se Relatio est multo arctior, tum propter majorem naturæ eadem imbecillitate adhuc laborantis *similitudinem*, tum propter *commercium* propinquius, quod inter se exercent. Neque tamen *commercium* hoc per se ad essentiam *Communionis Sanctorum* pertinet. Nam ab una parte Communio illa se ad *ignotos* æque ac *notos* extendit, quoniam cum toto Corpore mystico Ecclesiæ exercetur. Et ab altera parte Communio cum illis ipsis, quibuscum *commercium* colimus, nonnisi *hypothetica* est, in quantum nempe de illis speramus, ac præsumimus, quod non hypocritica, sed vera Corporis Ecclesiæ membra sint. Quod enim *Fanatici* quidam sibi hic tribuunt, tantum non infallibile, *Spirituum Scrutinium*, fundamento caret, & glo-

gloriæ ſummi ſoliusque *Renum ſcrutatoris* injurium eſt.

XIV. Obligationum huc pertinentium natura optime deduci poteſt ex *Fratrum* nomine, per quod conſtanter hæc relatio in ſacris exprimitur. Inde enim tum *fundamentum*, tum *officia hujus* Communionis fluunt.

XV. *Fundamentum* Communionis eſt eadem origo non *carnalis* ſed *ſpiritualis*, quæ vel tanquam *paterna* vel tanquam *materna* conſiderari poteſt. *Pater* omnium unus eſt Deus, & quidem Pater per *adoptionem*, Filius per ſpirituale *conjugium* cum Eccleſia, Spiritus ſanctus per *regenerationem*. *Mater* eſt Eccleſia ipſa, cœleſtis Hieroſolyma. Illa Chriſto eos genuit mediante Verbo tanquam *ſemine* regenerationis. Sic ejusdem *naturæ*, *imaginis*, *domus*, *bonorum*, *hæreditatis* participes redduntur.

XVI. Hæc cum ita ſint, *officia* eadem, quæ *Sanctis in cœlo*, ſibi invicem in *terra* jam præſtare debent. Per *Sacramentum Pedilavii* illorum totam rationem Servator adumbravit, cujus myſticum exercitium omnibus diſcipulis ſuis commendavit Joh. XIII. 14. 15. Eædem autem claſſes officiorum hic redeunt. Quare primo requiritur in *Judicio Honor* eorum, quos Deus honoravit. Quamvis enim in Judicio de ſingulis perſonis prudentia illa ſemper ſit exercenda, quam Lib. II. cap. 8. §. 54--56. commendavimus, ubicunque tamen juſtæ præſumendi opus Gratiæ rationes ſunt, ſancta merito animi veneratione eos proſequimur; qui *Regnum Sacerdotale* Domini, *Filii* ejus non mentientes, *Hæredes Dei*, *Cohæredi*

des Christi, *Fratres*, *Sponsa*, *Soror Filii Dei*, *Templum Spiritus sancti* &c. evaserunt.

XVII. Quidni fideles cum personis tam pretiosis coalescere propius per *Unionem Amoris* reciproci contenderent? Hæc exercetur per illam toties laudatam ΦΙΛΑΔΕΛΦΙΑΝ 2. Petr. I. 7. 22. III. 8. Hebr. XIII. 1. 1. Thess. IV. 9. quæ *Honori* jungitur, & propter summam, quam requirit, intimi affectus teneritudinem φιλοστοργία dicitur Rom. X. 10.

XVIII. Cum autem in omni Communione *reciprocum jus* obtineat, ab una parte Bonis aliorum Christi membrorum ad nostram perfectionem promovendam frui licet. *Bona* sane Sanctorum aliorum tanquam *sua* considerandi jus Sancti habent 1. Cor. III. 22. 23. De illis etiam actu participare tum maxime contendunt, quando per illa Gratiæ dona, quæ Deus aliis indulsit, ipsi proficere & ad cultum atque celebrationem Domini aptiores fieri contendunt. Quo pertinet, ut *precibus* eorum se commendent, ut *consilia* eorum & *incentiva* expetant, ut in illis *profectibus*, quos in aliis deprehendunt, procul omni invidia *lætentur*, atque propter illos ex sincero corde Deum *glorificent* Col. I. 3. 4. 1. Thess. I. 2. 3.

XX. Ut autem jus hoc in aliorum membrorum Corporis mystici Bona sartum tectumque conservent, ipsi vicissim, quæcunque acceperunt, in commune commodum impendere parati sint. Quo spectant officia tam *spiritualia*, quam *corporalia*, quibuscunque Ecclesiæ militantis membris præstanda.

XX. Ad

XX. Ad officia *spiritualia* pertinet, ut unusquisque promovere incrementum aliorum spirituale quærat. *Remotius* & *generalius* id fit:

(1) Per *Preces sinceras*, tam pro totius Ecclesiæ salute Ps. cxxii. 6. quam pro singulorum necessitatibus, quæ propius nobis innotuere, fusas Jac. v. 16. Confer Lib. ii. cap. 6. §. 42.

( ) Per prudentem illorum *Mediorum usum*, quibus adhibitis animi propius coalescere atque omni offendiculo ansa præcidi potest. Huc referatur

(a) *Humilitas cordis* perpetua praxi ita declarata, ut appareat nos, tanquam Fratres ejusdem sortis coram Deo atque ex eadem liberrima ejus Gratia per omnia dependentes, nullum in alia membra Christi Dominium nobis arrogare velle Matth. xx. 25--28. xxiii. 8--12. Luc. xxii. 24--27. Jerem. xxxi. 34.

(b) *Veritatis* studiosa sectatio, quæ *pacis* solidæ fundamentum esse debet Zach. viii. 19.

(c) *Evitatio* sollicita *dissensus* circa veritates etiam non fundamentales, quantum humana imbecillitas permittit, Rom. xv. 5. 6.

(d) Multo magis *logomachiarum* & *disputationum* de rebus quoque minoris momenti, prophetandi libertatem evertentium, præcisio 2. Tim. ii. 14. 23. Tit. iii. 9.

(e) *Accommodatio* sui ipsius etiam in rebus licitis secundum imbecillitatem puerorum in Christo 1. Cor. x. 23. 24. Confer Lib. ii. cap. 8. §. 18. 19.

(f) Amica & familiaris cum piis *conversatio*. Nihil tamen impedit, ut absque aliorum contemtu

temtu selectum quendam observemus, in quo morum atque inclinationum similitudo, educatio, longior usus &c. non parum momenti habet. Ipse Dominus Lazari domui, & inter discipulos Joanni familiarius assuevit.

XXI. *Strictius* huc referimus *officia specialiora* eo directa, ut *dona*, quæ in *singulos* fideles Deus contulit, in *plurium* usum impendantur. Varietatis enim *charismatum* in Ecclesia eadem est ratio, quæ *artium* ac *mercium* in Republica, ut nempe singulis membris de suo ad commune commodum conferentibus toti corpori mystico bene sit Eph. IV. 16. 1. Cor. XII. 14--20. 1. Petr. IV. 10. Sic compositum fuisse cum *donis extraordinariis*, quibus Ecclesia primitiva gavisa est, liquet ex 1. Cor. XII. 7--11. Potest autem illa *collatio* donorum vel magis in *commune commodum* vel magis *privatim* institui.

XXII. Communius commodum præstatur per *Statа* quædam de rebus divinis inter *Laicos Exercitia* & *Colloquia*, quæ odioso *Conventiculorum* nomine traduci solent, eum in finem destinata, ut non solum per *preces*, sed etiam *sermones* ac *disquisitiones* sive de *veritatibus Scripturariis*, sive de *Casibus conscientiæ* uno, pluribusve præeuntibus, incrementum in cognitione, prudentia spirituali, fide & sanctificationis studio promoveatur. Tales societates ita conformes sunt veræ Christianismi indoli, & tam idonea sunt profectuum in vita spirituali media, ut non solum *tolerari*, sed etiam *foveri* ac *promoveri* debeant.

XXIII.

XXIII. Requiritur tamen, ut *ordine* ac *decenter* omnia fiant 1. Cor. XIV. 33. Idque eo magis, quoniam hoc pacto præcavendum est incommodis, quæ eo neglecto facile suboriuntur, atque invectivarum in quæcunque *Conventicula* prætextus specioſos præbent. Curandum ergo, ut *præambulones* in hiſce colloquiis ſint homines ſpectatæ *pietatis* & veritatis *cognitione* ſufficienti imbuti, utque in illis nihil occurrat, quod aut contra *decorum* in genere, aut contra *cultum publicum* ejusque *moderamen* impingat, ſed ut omnia ei *ſubordinata* ſint.

XXIV. Nihil magis eſſet optandum, quam ut communes paſſim *Converſationes* inter Chriſtianos eo eſſent directæ, ut loco inutilium *Confabulationum* ſermones de rebus ſacris miſcerentur, ſive *repetendo* collatis ſymbolis, quæ publice audita ſunt, ſive *Scripturam ſacram*, aliumve librum pium *legendo* & ex hac lectione pro re nata amicas diſquiſitiones inſtituendo, ſive *canticis* ſacris *precibusque* corda ac vocem ad Dominum tollendo. Tale genus conſuetudinis inter Chriſtianos commendatur Col. III. 16. 1. Theſſ. V. 11.

XXV. Privata magis *Communionis Sanctorum* officia diverſitas circumſtantiarum requirit, in quibus ſinguli, in quos incidimus, occurrunt. Sunt illi aut tales, quos cenſemus adhuc *irregenitos* aut *regenitos* eſſe. Priores directe Communio ſanctorum non tangit. Et quid Amor Proximi circa ejus animam præſcribat, in genere oſtenſum eſt Lib. II. cap. 8. §. 60. Stimulum tamen hic addit *Communio Sanctorum*. Unum-

quod

quodque enim tam illustris Societatis membrum merito contendit limites ejus, & cum illis ipsius Regni Christi, pro virili extendere.

XXVI. Directius autem huc faciunt, quæ circa illos observare debemus, quos speramus *regenitos* esse. Illorum salutem in casibus variis promovere possumus:

(1) Quando *rudiores* in cognitione viarum Domini erudimus Act. XVIII. 26.

(2) Quando *errantes* cum prudentia & mansuetudine a falsis præjudiciis reducere quærimus Gal. VI. 1.

(3) Quando *imprudentes* toleramus Rom. XV. 1. 2. 7.

(4) Quando *peccantes* fideliter corripimus & ad resipiscentiam hortamur Ps. CXLI. 5. Prov. XXI. 6. Ubi tamen fervor lenitate pro circumstantiis temperandus est 2. Thess. III. 15.

(5) Quando *segnes* incitamus Hebr. III. 13. X. 24.

(6) Quando *afflictos*, *fluctuantes* & *tentatos* consolamur 1. Thess. XIV. 15.

(7) Quando hortando & incitando *currentibus* calcar addimus Ps. XXXIV. 4. Jes. II. 5. modestiæ legibus tamen erga honoratiores observatis 1. Tim. V. 1. 2.

(8) Quando *pacis* vinculum cum piis conservare omni modo annitimur Ps. CXXXIII. 1. Eph. IV. 3.

(9) Quando ad *remittendum* Fratrum *offensas* paratissimi sumus Col. III. 16.

XXVII. Sed & quamdiu una in *corpore* degimus, varia officia corporalia requiruntur pro va-

riis neceſſitatum, in quibus fideles verſantur, generibus. Huc ergo pertinent

(1) *Hoſpitalitas* erga peregrinos Rom. XII. 13. Hebr. XIII. 2.

(2 *Compaſſio* in malis, quæ patiuntur, ſive doloribus, *morbis* ac moleſtiis communibus hujus mundi expoſiti, ſive Chriſti cauſſa ſub perſecutionum gravitate ingemiſcentes, exules, captivi, oppreſſi Hebr. XIII. 3.

(3) *Viſitatio* afflictorum, ægrorum & captivorum Jac. I. 27. Matth. XXV. 36.

(4) *Patrocinium* viduarum, orphanorum, peregrinorum aut qui injuſte opprimuntur. Job. XXIX. 12. 13. 15. 16. præſertim pietatis cauſſa

(5) *Eleemoſynæ* pauperibus piis erogandæ & primo loco, & cum ſingulari gaudio propter illam prærogativam, quod in membra Chriſti miſeria aliquid erogandi anſa detur. Unde & eorum pudori conſulendum, ipſaque petitio anticipanda eſt Act. XI. 29. 2. Cor. VIII. 1—4. Rom XII. 13.

XXVIII. Neque tamen hanc Communionem ad omnia Bona promiſcue extendi neceſſarium eſt. Singularis enim circa *Communionem Bonorum* in Eccleſia Apoſtolica obtinuit diſpenſatio, quæ licet *laudanda*, non tamen illico imitanda, cum *neque omnia Bona* in commune conferrentur, *neque* ipſa illa Collatio ab Apoſtolis exigeretur, *neque* aliæ Eccleſiæ Hieroſolymitanam imitatæ fuerint; & divinum conſilium eſſet, per hoc medium illam e longinquo ad relinquenda Canaanis Bona præparare. Multo minus *περιτομὴ* & Sodalitates *Monachorum* in Papatu, *Labadiſtarum*, *Fanaticorum* in cenſum hic venire merentur.

XXIX.

XXIX. Quanti momenti *Communionis* hujus observatio omnibus regenitis censeri debeat, liquet.

(1) Quoniam illa est singulare *criterium Conversionis & Fidei* in ipsis 1. Joh. III. 18. 19. IV. 7. 8. 20. 21. V. 1.

(2) Quoniam hoc per emphasin est capitale præceptum Jesu Christi, quod tanquam peculiare *præceptum probationis*, præ omnibus aliis, discipulis suis cum mundum relinqueret inculcavit, ac proprio exemplo confirmavit Joh. XIII. 34. 35. XV. 9. 12. 13. 17.

(3) Quoniam sic imaginem Dei Triunius exprimunt Joh. XVII. 20. 21.

(4) Quoniam ita gratias rependunt Deo pro maximo amore, quo a Deo amati sunt. Cum enim ipsi nihil referre queant, aliquatenus tamen gratum animum exhibent, quum reapse ostendunt, quanti æstiment illos, in quibus *Deum & Christum* inveniunt atque suspiciunt 1. Joh. IV. 10--11. Matth. XXV. 49. XV. 11. 5.

(5) Quoniam Communio hæc *sanctitate*, *felicitate*, vinculo *arctissimo* & *constantia* sua omnibus reliquis Relationibus longe est excellentior.

(6) Quia ab hac unita vi Ecclesiæ ejus fortitudo in resistendo omnibus tentationibus dependet.

(7) Quia illa splendorem singularem Ecclesiæ coram hominibus conciliat Ps. CXXXIII. 2.

(8) Quia amplissimas promissiones habent, qui hunc unionem colunt Ps. CXXXIII. 3. Matth. X. 42.

(9) Quia sub Oeconomia N. T. hæc Commu-

nio illustriorem splendorem nacta est, sublato & pariete intergerino, & fœdere externo. Hinc exercitium ejus diebus N. T. promissum Zeph. III. 9. Zach. VIII. 21. XIV. 9. Joh. X. 16. Initium implementi visum est Act. IV. 32.

CAPVT SECVNDVM.

De Communione Ecclesiastica, & officiis, *quæ illa circa membra Ecclesiæ externæ* in diverso gradu *constituta observare jubet.*

SUMMARIUM.

I. *Definitio* Communionis Ecclesiasticæ *datur* §. 1.

II. *Illa deducitur per partes* 2 --- 41.

A. Fundamentum *officiorum eo pertinentium* 2.

B. Personarum, *ad quas illa pertinent, differentia* 3.

C. Officiorum *enumeratio* 4 --- 41.

1. *Quæ* singulis *in suo ordine competunt* 4 --- 21.

a. Moderatoribus *Ecclesiæ* 5 --- 9.

α. Ministris *Verbi divini* 5.

β. Sociis *eorum* 6 --- 9.

א. Presbyteris 6. 7.

ב. Diaconis 8. 9.

b. Mem-

b. Membris *Ecclesiæ* 10---21.
α. Quibuscunque *in genere* 11---15.
א. *Quoad* Ministros 11---14.
a. *In eorum* constitutione 11.
b. *Quoad illos, qui jam* constituti sunt 12---14.
ב. *Quoad* Presbyteros & Diaconos 15.
β. Magistratibus *in specie* 16---21.
א. *Quid illi debeant Ecclesiæ* 16---20.
a. *Exponitur* 16---19.
α. *Quoad* exercitium Juris sui 16---18.
† *Circa* spiritualia 17.
†† *Circa* temporalia 18.
b. *Quoad ejus* temperamentum 19.
b. *Argumentis urgetur* 20.
ב. *Quid membra Ecclesiæ debeant Magistratui* 21.
2. *Quæ a* pluribus *simul junctis desiderantur* 22---41.
a. In Ecclesia libera 22---39.
α. Ordinando, *quæ sunt salutaria* 22.---34.
א. Personarum *requisita* 23.
ב. Officia *ipsa* 24---34.
a. *Circa* Fidei FORMULAS *conficiendas* 24---26.
b. *Circa* DISCIPLINÆ exercitium 27---33. *Illius*
α. *Definitio* 27.
b. Fundamenta ejus 28. 29.

c. Officia ipsa per partes deducta 30 --- 33.
† *Quoad peccata* 30.
†† *Quoad* modum disciplinæ *observandum* 31 --- 33.
„ Censoribus 31.
„„ Illis, quos censura fecerit 32.
„„„ Toti cœtui 33.
c. Circa Ritus ecclesiasticos 34.
β. Reformando a corruptione 35 --- 39.
Ubi explicatur
א. *Quid incumbat* singulis fidelibus 36 --- 38.
ב. *Quid* Magistratibus & Ministris 39.
b. In Ecclesia pressa 40. 41.
α. *Sub Magistratu diversæ religionis* 40.
β. *Ingruente persecutione* 41.

I.

Quemadmodum Sanctuarium eingebatur ab Atrio, ita *Communionis Sanctorum* sepes est COMMUNIO ECCLESIASTICA *ea fini ex authoritate divina secundum præscriptum Verbi & indolem Evangelii inter illos, qui externe Fidem veram profitentur, per hominum ministerium instituta & conservata, ut per observationem officiorum hanc Communionem constituentium ipsa interna Sanctorum Communio promoveretur.*

II. Author adeoque hujus *Communionis* ipse Deus est, tanquam *Dominus Zebaoth* & *Deus ordinis* & si-

& sigillatim *Filius Dei* Joh. xx. 21. sq. Ephes. iv. 11. qui generalia saltem præcepta eo pertinentia ipse proposuit, quamvis eorum executionem, ampliationem & variationem secundum diversas circumstantias *Ministris* ex hominibus, *primario* extraordinariis, sed *secundario ordinariis* reliquerit. Impellens autem seu finalis hujus instituti caussa quando dicitur *internæ Communionis* promotio, ex eo ipso apparet, quanti ipsa hæc *externa Communio* æstimari debeat, & quomodo tam in propria commoda quam in ipsum Christum, ejusque membra delinquant, qui vanis prætextibus utentes se ab illa *separant*.

III. Personas in hac Communione *correlatas* Scriptores Ecclesiasti in CLERICOS & LAICOS mature distinxerunt. Nec discrimen hoc penitus rejicimus, si duntaxat fermento Papistico expurgato ad *priores* referantur, quicunque in Moderamine Ecclesiæ strictius considerato partem aliquam habent, ad quos hodierna praxis pro variarum Ecclesiarum particularium morte iterum diversos tam *ordinatos*, sive sint *Episcopi*, sive *Presbyteri*, quam *non ordinatos* quales sunt *Seniores Diaconi*, aut quicunque alii cœtum repræsentantes sedem in Dicasteriis ecclesiasticis habent. Posterioris autem ordinis sunt, personæ tam *publicæ*, quam *privatæ*, quæ tanquam singularia Ecclesiæ membra Moderamini ejus certa ratione se subjecerunt. Quæ circa *Ordinum Ecclesiasticorum* in abstracto spectatorum *institutionem* aut *jura* controversa sunt, hic sicco pede præterimus. Personis tantum in *concreto* consideratis, quocunque *gradu* gaudeant, *officia* scribimus. Quamvis

enim *Moderamen Ecclesiæ* in uno loco melius se habeat, quam in alio, omnis tamen mutatio circa illud cum periculo insigni conjuncta est. Ipsi nævi in eo occurrentes eo minus Ecclesiæ nocebunt, quo studiosius singuli officiis suis defungentur.

IV. *Officia* autem alia *omnibus*, alia *singulis* incumbunt. Ad *omnes* pertinent, quæ *Cultum Dei publicum* constituunt & Lib. II. cap. 6. §. 30. enumerata sunt. Quæ *singulis* sunt observanda, aut *solos*, aut cum aliis *unitos* concernunt.

V. Qui in Ministerium *Ecclesiæ* per *Impositionem manuum* adscisCuntur aut adsciti sunt, in illis, si soli spectentur:

(1) Quædam *qualitates* supponuntur, tum *communes* cum omnibus Christianis, tum quæ *peculiariter* ipsos ad Ministerium idoneos reddere queunt. Catalogus earum occurrit 1. Tim. III. 1--10. 2. Tim. II. 24--26. Tit. I. 5--9.

(2) Alia *officia* proxime ipsa muneris ratio exigit, tam in illo *suscipiendo*, quam in illo rite *obeundo*.

(a) In eo *suscipiendo* & legitima *Vocatio* & debita *Præparatio* commendata esse debet.

(b) Ad munus Ministri Evangelici *obeundum* duas officiorum classes referimus. Alia enim ei ut *Pastori*, alia ut *Doctori* competunt. *Doctoris* partes docendo tum *ore* tum *scripto* sive per *sermones* sive per *catechizationes* implebit, quando in illis sese simul ut fidum *Interpretem* & ut patheticum *Ecclesiasten* præstabit. *Pastoralis* cura, quamvis & ipsum *Doctoris* munus certo respectu involvat, magis tamen per *privatam* cum cœtus singulis

lis membris conservationem ac sigillatim per pia colloquia, consilia, hortationes, errantium convictiones, litigiorum tempestivas compositiones, scandalorum præcautiones, visitationes ægrotorum, captivorum, *afflictorum* & similia exercetur. Quæ explanatius, Deo volente, alias pertractabimus.

VI. *Ministris Ecclesiæ* in plurimis Ecclesiis Reformatis conjuncti sunt PRESBYTERI *Laici*, quales Apostolus 1. Tim. v. 17. videtur distinguere ab illis Presbyteris, qui *laborant in sermone & doctrina*, & Rom. XII. 8. 1. Cor. XII. 28. sub nomine προϊσταμένων atque κυβερνήσεων involvere. Praxis saltem Ecclesiæ diuturna ordinem hunc non inutiliter conservavit. Cum autem hi proximi Ministrorum in dirigendis rebus Ecclesiæ sint adjutores, eo magis per ipsos Ecclesia ædificabitur, quo magis easdem *qualitates* possidebunt atque exercebunt, quas in *Presbyteris* stricte ita dictis Evangelium desiderat. Sint ergo Viri cognitione Verbi ac Viarum Domini non mediocriter tincti, prudentes ac valentes consilio, spectatæ authoritatis, negotiis aliis non ita implicati, ut non simul curæ Gregis vacare possint ac velint, pacifici, vitæ inoffensæ.

VII. *Officiorum* autem, quæ illis incumbunt, hæc est summa; attendere ad illa, quæ Ædificationem totius cœtus singulorumque ejus membrorum concernunt; invigilare casibus & circumstantiis, quibus ea impediri queat; studium impendere, ut omnes remoræ atque offendicula tam doctrinæ quam vitæ mature tollantur, atque ubi id in eorum potestate non est, Ministros mature

monere ; consiliis fidis illos adjuvare ; privatis admonitionibus , convictionibus , visitationibus vices eorum pro re nata subire ; quin ipsorum Ministrorum errantium aut impingentium curam gerere ; denique in moliminibus eorum piis ad cœtus salutem spectantibus indefessi eorum adjutores esse.

VIII. DIACONORUM qualitates per compendium Apostolus exhibet 1. Tim. III. 8--13. Præcipua autem *officia* in ordine Ecclesiastico Ecclesiæ Belgicæ ita exprimuntur : *Diaconorum proprium officium est , eleemosynas ac alia quæ pauperum spectant bona , diligenti opera colligere, eaque fideliter & solerter, ut penuria egentium, qua indigenarum , qua exterorum exiget , consensu communi distribuere ; anxios animi invisere ac consolari , atque omni ope eniti ne Eleemosynæ male collocentur.*

IX. Ecclesia primitiva Diaconis adjunxit *Diaconissas* , in quibusdam cœtibus etiamnum residuas Harum requisita occurrunt 1. Tim. v. 6. 10. Munus earum comprehendit certa quædam, cumprimis circa pauperes, peregrinos, captivos, & ægrotos, puerperas, infantes, charitatis officia, quæ non tam commode aut decore a Viris præstari possunt.

X. Ipse Grex Ecclesiæ sub LAICORUM seu *Populi* nomine distinctus secundum varias differentias tam *externas*, quam *internas* spectari potest. *Internæ* solam coram Deo præcellentiam dant; *externarum* apud homines quoque ratio , procul omni tamen *prosopolepsia* Jac. II. requiritur. *Magistratuum* sane ad Ecclesiam singularis præ aliis membris est relatio, quæ ansam dat distinguendi

di inter officia *quibuscunque Christianis* circa Præpositos exercenda, & *Magistratibus* sigillatim incumbentia.

XI. Quibuscunque Christianis, cum Præpositi Ecclesiæ suo munere rite defungentes *Parentum* loco sint habendi, incumbit quoad ipsos Ecclesiæ Ministros ante omnia de illis *adipiscendis* curam gerere. Quo pertinet

(1) *Orare*, ut Deus fideles Doctores mittat Matth. IX. 37. 38.

(2) Doctores falsos a veris *discernere*, eosque evitare Matth. VII. 15. 16. XV. 13. 14. Joh. X. 5. 2. Joh. vs 10. 11.

XII. Circa Ministros, quos Deus indulsit, eadem *judicii* libertas singulis Auditoribus competit, idque tam quoad *doctrinam*, quam quoad *vitam* eorum. *Doctrinæ* eorum scrutinium secundum Verbum Domini cuilibet privato est instituendum Act. XVII. 11. 1. Joh. IV. 1. Quoad *vitam* licet prudentia & æquanimitas sit adhibenda, *correptiones* tamen itidem sunt observandæ 1: Tim. V. 19. 20. Quin ubi per illas *non proficiunt*, ac in scandalum publicum hæresis aut vitia Pastoris graviora prorumpunt, & nihilominus per *vitiosam tolerantiam* illis connivetur, ad tempus a communione cum tali Pastore abstinere fideles tenentur.

XIII. *Legitimis* autem *Ministris* debetur

(1) *Interne Honor* atque *Amor* tanquam Dispensatoribus mysteriorum divinorum, quorum medio Deus ex singulari misericordia ad salutem hominum utitur 2. Cor. V. 19. 20. 1. Cor. IV. 1. 1. Thess. V. 13. 14. 1. Tim. V. 17. Eminentior hic affectus

affectus erit in illis, quibus verbum ſuorum Præconum reapſe in ſemen regenerationis evaſit 1. Cor. IV. 15. Gal. IV. 14.

(2) Hic animi affectus *externe* demonſtrandus eſt:

(a) *Precibus* Rom. XV. 30. Epheſ. VI. 18. 19 Hebr. XIII. 18.

(b) *Obedientia* Verbi eorum, in quantum conſcientia teſtatur cum Verbo Evangelii id convenire, 1. Theſſ. II. 13. Rom. VI. 17. Hebr. X. 11. 17. Obedientia hæc non ſolum *activa*, ſed etiam *paſſiva* eſſe debet, quando correptiones & reprehenſiones adhibentur Jac. I. 21.

(c) *Patientia* ac manſuetudine, qua ipſi eorum nævi ſunt tractandi atque operiendi.

(d) *Imitatione* boni eorum exempli 1. Cor. IV 16. Phil. III. 17.

(e) *Neceſſariorum* ad vitam corporalem *ſuppeditatione* 1. Tim. V. 18. 1. Cor. IX. 14.

XIV. Quæ *ſelectum* inter Miniſtros ſpectant, maximam prudentiam & circumſpectionem deſiderant. Ubi unus tantum cœtus Miniſter eſt, diſcrimen locum minus habet. Quin vero inter plures regenitus irregenito ſit præferendus, quis dubitabit? Verum ecquis pius etiam ſibi facile judicium de ea re ſuper alieno ſervo arrogare audebit, niſi criteria nimis aperta ſint? Ex *charismatibus* quoque præferenda, quæ ad ædificationem ſunt aptiora. Cavendum tamen & a contemtu eorum, qui minori donorum Spiritus ſancti menſura gaudent, & multo magis ab omni partium ſtudio, omniumque humanorum nominum appel-

appellatione, quæ schismati ansam præbet 1. Cor° 1. 11. 13. III. 4 -- 7.

XV. Officia Ministris Ecclesiæ exhibenda exemplar sunt, secundum quod exigi possunt, quæ reliquis Præpositis debentur. Et ad *Seniores* quidem relatio est universalior, quam ad *Diaconos*. Quoad hos speciatim incumbit *ditioribus*, ut Collectis sufficientibus eos in dispensando sublevent; *egenis*, ut illis tanquam *Benefactoribus* suis filialem reverentiam atque affectum præstent.

XVI *Jus*, quod MAGISTRATUI Christiano *circa sacra* utique competit, quamvis pro diversa Rerumpublicarum constitutione in quibusdam circumstantiis differat, maximam tamen illi prærogativam conciliat. Convenit ergo ei, Jure hoc ad finem, in quem concessum est, rite uti, ut Ecclesiæ commodum per curam tam circa *spiritualia*, quam circa *temporalia* exercendam promoveatur.

XVII. Cura circa *spiritualia* potissimum hæc involvit.

(1) Prospiciant Ecclesiæ de aptis dignisque Pastoribus, sive eos *constituendo*, ubi *Jure patronatus* gaudent, sive impediendo, ne Cœtus libera electione fruentes privilegio suo in vocandis indignis abutantur. Idem circa *scholas*, quæ magis a Magistratibus passim dependent, incumbit.

(2) Quæ ad *Cultus publici* decorem atque ordinem spectant, ita dirigant, ut Ædificatio Ecclesiæ promoveatur 1. Chron. XIV.

(3) Ad *corruptelas* tam in *doctrina* quam in *culta*

culta & *moribus* gliscentes debite attendant, illisque aut præstruere aut consulere pro re nata studeant. Sic instituerunt Assa 1 Reg. xv. 12. Josaphatus 2. Chron. xvii. 6. Ezechias 2. Reg. xviii. 4. 2. Chron. xxix. 5. sq. Josias 2. Reg. xxiii. 4. sq. 2. Chron. xxxiv. 3. sq.

(4) Ministros probatæ fidei *consilio*, *favore*, *authoritate* sua fulciant, ut sancto Ministerio *honor* & *existimatio* illa integra conservetur, sine qua contemtui aliorum exponeretur.

(5) *Devotionis* in Cultu publico exemplo præluceant 2. Sam. vi. 22.

XVIII. Ad curam circa *temporalia* referimus, ut *Bona Ecclesiastica*, quæ requiruntur partim ad *alendos Ministros*, partim ad *ædificiorum* Cultui publico destinatorum *sustentationem*, & quantum sufficit, præstent, & quæ destinata sunt, conservent; neque facile patiantur illa abalienari Luc. vii 4. 5.

XIX. De cætero pius Magistratus intra cancellos juris & æqui se libenter continebit.

(1) Ante omnia abominabitur *dominium in conscientias* quod soli Deo reservatum est.

(2) Circa *tolerantiam religionum* media via incedendum erit. *Dogmata impiorum* fundamenta omnis Religionis concutientia ex Republica Christiana prohiberi atque ejici debent. *Dissentientes* in minus fundamentalibus, si quietem publicam non turbent, non sunt temere inquietandi. Qui inter utrosque sunt medii, pro circumstantiis Reipublicæ diversis interdum *conniventiam*, interdum majorem *rigorem* requirunt. Videtur tamen *Judæis* aliquam in *tolerando* prærogativam præ

præ aliis æque declaratis Religionis noſtræ Hoſtibus concedendam eſſe, tum propter *Patres*, quia *ſalus noſtra eſt ex Judæis* Joh. IV. tum quoniam eorundem Converſio adhuc ſperanda Rom. XI. 22--28.

(3) *Limites authoritatis*, qua fruuntur, non facile migrent, vel ea de cauſſa, quoniam Magiſtratus ſucceſſu temporis variis in Religione mutationibus ſunt obnoxii, eorumque uſurpata poteſtas, a ſucceſſoribus contrariæ Profeſſionis in Eccleſiæ veræ inſigne præjudicium & diſcrimen poſſunt converti.

XX. *Fidelitas* in præſtandis his Eccleſiæ officiis Magiſtratui Chriſtiano maximi momenti eſſe debet.

(1) Si *Salus* Reipublicæ ſuprema ipſis Lex eſt, tum perſuaſi erunt, quod ſalus Reipublicæ a ſalute ſingulorum civium dependeat. Quidni ergo omni modo & *in ſummo gradu* cives *felices* reddere contenderent?

(2) Si unusquisque Chriſtianus, quantum valet, ad ſalutem *animæ* Proximi afferre obligatus eſt, quanto magis, qui plus cæteris valent, illam poteſtatis præeminentiam Bono Proximi *ſolido* & *ſempiterno* impendent?

(3) Nihil ipſum Reipublicæ Statum florentiorem, magisque morigeros Magiſtratui ſubditos reddet, quam florens illius Religionis ſtatus, quæ præ omnibus aliis ad fidelitatem & obedientiam ſtrictiſſime Superioribus præſtandam incitat, atque ſaluberrima media præſcribit ad illas cupiditates malas compeſcendas, quæ omnium ſeditionum ac turbarum prima ſcaturigo ſunt.

(4) Hanc

(4) Hanc gratiam Deo debent pro eo, quod præsidium atque hospitium dilecti sui populi ipsis demandaverit & quasi in pretiosum depositum dederit 2. Sam. VI. 21.

(5) Quemadmodum Deus populum suum pro pupilla oculi sui reputat, & contemtum ejus gravissime est vindicaturus, ita & *benedicet* illis, qui Abrahamo benedicent Gen. XII. 3. Psalm. CX. 13--15.

(6) Sic & ipsius Christi, summi Regis Ecclesiæ, & piorum Regum, quorum memoria in perpetua benedictione est, vestigia prement.

(7) Sic per eos magis magisque implebuntur splendidissimæ promissiones, diebus Nov. Testam. & præcipue ultimis factæ, de dandis *Regibus* ac *Principibus* in *nutritios* Ecclesiæ Psalm. XXIX. 1. 2. XLVII. 10. Jes. XLIX. 23. LX. 10. Apoc. XXI. 24.

XXI. Singularis etiam est tam *Moderatorum* quam *Populi* Christiani ad tales Magistratus relatio. *Prioribus* incumbit non solum in jura ejus non involare, qui character verus est Antichristianismi in tyrannide Papali Jud. vers. 8. sed etiam authoritatem ejus, tanquam sacram ipsius Ecclesiæ anchoram pro virili tuebuntur. *Posteriores* in illis tanquam vero Orbis Christiani delicio lætabuntur, & eorum exemplo animati cum fervore majori Cultum Deo placentem præstabunt.

XXII. *Officia*, quæ non a singulis dependent, sed *plurium* conspirationem ad Bonum Ecclesiæ requirunt, sunt illa, quae pertinent ad *exercitium Juris Ecclesiastici*, cujus veri limites accurate debent

debent constitui, ne aut potestas spiritualis in corporalem convertatur, aut Clerici ad se rapiant, quæ simul ad Magistratum Politicum spectant. Huc referimus tum in genere JUDICIA Ecclesiastica certo ordine sibi per *Consistoria*, *Classes*, *Synodos* subordinata, tum specialius *Decisiones* de rebus majoris momenti, sive ad *fidem*, sive ad tam *disciplinam* tam *instituendam*, quam a *corruptelis* insignibus *repurgandam* pertinentibus, sive ad *Rituum Ecclesiasticorum* modum constituendum, ad quas extraordinarii *Conventus*, *Colloquia*, *Concilia* authoritate Magistratus indicta, requiruntur.

XXIII. Negotiorum tanti momenti demandatio facienda est personis singulari Spiritus sancti modulo, cognitione voluntatis Domini, prudentia, robore animi, experientia pollentibus. Qui autem in illis actu versantur, ab una parte sibi caveant, ne perversis quibusdam affectibus, ambitionis præsertim & dominandi in fratres libidinis, in transversum agantur; ab altera parte zelum pro veritate ac domus Jehovæ puritate cum amore salutis animarum semper conjungant. Illud Deo, hoc Proximo debent. Nihil ad communem Æoificationem majus momentum afferet, quam *fervidus* gloriæ Dei amor *mansvetudine* ac lenitate erga illos, quibuscum ejusdem imbecillitatis atque indignitatis coram Deo consortes sumus, temperatus.

XXIV. Ubi ergo *Decisiones* de Articulis *Fidei* formandæ, ubi FORMULÆ ac *Symbola* componenda, illic alia *Concipientibus*, alia *Subsignantibus* incumbunt.

XXV. *Concipientes hinc* quidem uni Ecclesiæ *Fundamento* debent inhærere, & per ejus conservationem unionem mysticam Corporis Christi promovere; *inde* tamen æque sollicite cavere, ne ultra limites in Verbo Dei fixos progrediantur. Nam.

(1) Quæ ad fundamentum stricte non pertinent, illa Deus suo judicio *reservavit* 1. Cor. III. 11--15. Rom. XIV. 3. 4.

(2) Nimius rigor *unionem Ecclesiæ* non promovet, sed perturbat atque impedit.

(a) Dum *libertas prophetandi* coarctatur, schismata interne multiplicantur & foventur.

(b) *Anathemata* seu *detestationes* dissentientium verbo Dei non nixæ viam *Pacis religiosæ* cum illis, qui separati sunt, & quorum reconciliatio omni modo optanda quærendaque esset, intercludunt.

XXVI. Introductæ Formulæ *fideliter* in sensu orthodoxo & cum *Scriptura* ac mente *Ecclesiæ*, cujus professionem exprimunt, conveniente debent *adoptari*, *signari* ac *servari*. Duplex autem hic *obligatio* distinguenda est; una in *foro externo* Ecclesiæ, altera in *foro interno* Conscientiæ. In priore eousque *Formulæ* obstringunt, ut qui illas recipere detrectat, per hoc ipsum juri omni communionis externæ cum tali Ecclesia renunciet. In posteriori non obligant, nisi in quantum post maturum examen convicti sumus eas Verbo Dei convenire. Quare si contingeret ut quis deinceps Verbo Dei non respondere animadverteret, quæ antea ei consona esse judicavit, illi integrum esset in tantum a Formu-

tan

tanquam humana discedere & contrarium statuere, sub hac tamen conditione, ut simul se abdicet illis privilegiis, quæ cum Formulæ illius professione conjunctæ erant, ne Sycophantam in Ecclesia agat.

XXVII. DISCIPLINA nominatur illud *jus quod Ecclesia in corpore seu repræsentativa habet ad illos, qui scandalo magis enormi Communioni Sacræ stigma inurunt, ab illa ad tempus suspendendos aut segregandos, donec spem emendationis præbuerint.*

XXVIII. Non dubitamus, Jus illud *Ecclesiæ* competere, & *exercitium* ejus *Communionem* Ecclesiasticam perficere.

(1) Exsertum adest Domini præceptum de *dicendo Ecclesiæ & habendo pro ethnico & publicano* Matth. XVIII. 17. Adde loca statim citanda, in quibus peccata enumerantur, quæ *Disciplinæ* objectum sunt. Magis indirecte huc faciunt dicta Jes. LVI. 1. Matth. VII. 6. 1. Corinth. IV. 1. XI. 31. 32.

(2) Indoles Ecclesiæ hunc ordinem requirit.

(a) Quatenus enim est *societas, domus, civitas, regnum*, suos habet limites, sua instituta, quibus qui publice refragantur, pro membris talis societatis falso & inique habentur.

(b) Quatenus est *societas sanctissima*, major quoque ejus cura esse debet, ne a membris indignis proculcetur.

(3) Maxime hic ordo convenit Ecclesiæ N. T. tanquam communionem sanctiorem, posteaquam

fœdus externum cum V. Teſt. exſpiravit, colenti. Unde

(a) Illa tales promiſſiones habet, quæ absque Diſciplinæ exercitio nequeunt impleri, præſertim in ultimis temporibus Ezech. XLIV. 23. 24. Apoc. XXI. 27.

(b) Eadem laudatur, quando hoc officio defungitur v. gr. *Epheſina*, quod malos nequeat *tolerare* Apoc. II. 2.

(c) Defectus ejus miſerrimum ejus ſtatum reddit Jeſ LIX. 14. 15. Apoc. XI. 2.

(4) Inſignes ſunt ejus fructus, *tum* quia anſa blaſphemandi nomen Dei illis, qui extra Eccleſiam ſunt, eripitur; *tum* quia ipſius Eccleſiæ ſplendor ac potiſſimum *criterium*, quod eſt *Sanctitas*, ita magis apparet; *tum* quia deceptioni prætenſorum Eccleſiæ membrorum ſic melius via intercluditur; *tum* quia converſio peccatorum hoc pacto promovetur. Contraria damna in ejus neglectu ſunt timenda.

XXIX. Ut autem ſalutaris Diſciplinæ effectus exſpectetur, rite erit adminiſtranda. Quam in rem generatim præmonemus.

(1) Quod judicium Eccleſiæ ſit mere *ſpirituale*, omnem pœnam *civilem* & *corporalem* excludens *Virgam* enim *Apoſtolicam* & *traditionem Satanæ* ad charismata extraordinaria Apoſtolorum referimus.

(2) Quod omne *præjudicium* tam *authoritatis* quam *antiquitatis* in eo adminiſtrando debeat exui, cum & Iſraeliticæ Eccleſiæ diverſa fuerit Oeconomia, & monumenta nondum adulterata antiquitatis Chriſtianæ deficiant, & mature uſum hujus poteſtatis nævi multi commaculaverint.

(3) Quo

(3) Quod scopus ejus unicus sit *salus* primo *Ecclesiæ*, & quantum cum illa consistere potest, illorum peccatis inquinatorum, in quos Disciplina exercetur. Huic scopo convenienter brevibus *officia* notamus, quæ tum circa *peccata*, tum circa *modum* disciplinæ a *Præstitibus* Ecclesiæ, ab illis, in quos *animadvertitur*, & a *cœtu* ipso observanda sunt.

XXX. Peccata sunt *Scandala*, non qualiacunque, sed

(1) Magis *enormia*, tam contra *dogmata* quam contra *vitam* Christianam impingentia. *Hæreses* censura ferit Rom. XVI. 17. 2. Thess. III. 14. 15. Tit. III. 10. Sed & ad alia *vitia* extenditur, quale est obstinatio in animo irreconciliabili Matth. XVIII. 15. Plura adduntur 1. Cor. V. 11.

(2) Scandala, quæ eousque *palam* innotuerunt, ut de iis cognosci & delinquens convinci possit.

XXX. Illis, quibus Censuræ Exercitium hic demandatum est, sequentia incumbunt.

(1) Ipsi sint in doctrina vitaque *irreprehensibiles* & gravitate Christiana conspicui.

(2) Quantum penes ipsos est, omnem *prosopolepsias* speciem effugiant.

(3) Scopum sanctum habeant, non ut suum sed ut Ecclesiæ honorem sartum tectumque conservent; non ut malum vindicent, sed emendent, & peccantem servent.

(4) Convenienter huic scopo zelum lenitate, indignationem misericordia ac patientia temperent.

(5) Prudenter per *gradus* pergant, qui tamen locum non habent, ubi scandalum in nervum erupit, sed duntaxat, ubi majori scandalo potest præcaveri. Præcipui *gradus* sunt accurata caussæ cognitio, delinquentis convictio, hortatio privata & publica, suspensio, exclusio, pudefactio.

(6) Excluforum curam non deponant, sed media ad ovium pereuntium reductionem congrua usurpent.

(7) Ubi sufficientia pœnitentiæ signa exhibentur, faciliores sint ad recipiendum, quam excludendum, sibique & Ecclesiæ de talis animæ lucratione impense gaudeant.

XXXII. Ex numero illorum, quos disciplina ferit, *summum Magistratum* magis exemtum esse, contra fastum Ecclesiæ Antichristianæ defendimus, non solum, quia conventus omnes Ecclesiastici ab authoritate *Principis* dependent, sed etiam quia periculosissimum est, contemtui subditorum illum exponere. Quoad reliquos, qui *censuram* in se provocarunt, eos fas est

(1) Illam non pro pœna sed pro correctione salutari habere, & inter beneficia divina reputare, quod acrioribus hisce aculeis a via perversa revocentur.

(2) Correptiones cum *reverentia*, quæ Verbo Evangelii debetur, secundum cujus normam instituuntur, admittere, etiam tum, cum honore inter homines excellunt. Turpitudo enim non *censuræ* sed *peccato* ipsi inest. Qui censuram legitimam corde humiliato admittit, probrum peccati tegit. Qui ei resistit, idem obstinationem sua adauget.

XXXIII.

XXXIII. Cœtera cœtus membra quod concernit, fas est:

(1) Suæ *imbecillitatis* singulos esse memores, ne super *lapsos* se efferendo ipsi a gratia Dei destituantur.

(2) *Precibus* pro *lapsis* apud Deum intercedere.

(3) *Hortando* atque *pudefaciendo* ipsos, magis quam ab omni conversatione eorum se separando, instare, ut ad pœnitentiam eos incitent.

(4) Adjuvare Rectores Ecclesiarum in convictione impœnitentium, atque illum in finem indicio ac testimonio veritatis se non subtrahere. *Dic Ecclesiæ!* Mat. 18.

(5) Ab obstinatis, obsequendo judicio Ecclesiæ, se tanquam ab *ethnicis* ac *publicanis* separare, donec emendatio sequatur.

XXXIV. Cum *Judicia Ecclesiastica* sæpenumero etiam Ceremonias & *Ritus externos* definire soleant, quos Deus libertati ac prudentiæ Ecclesiæ reliquit, negari nequit, quoad fieri potest, *Conformitatem* eorum admodum esse desiderandam. Nihilominus caute illa est urgenda. Nam Ecclesiæ salus ab unitate non Rituum sed fidei & spiritus dependet Eph. IV. 3. Et liberum Ecclesiæ semper fuit circa Ritus abrogandos, addendos, mutandosque judicium. Præterea oportet *Ritus* esse *simplices* & *paucos*, ne Ecclesiæ libertas pessumdetur, aut sub eorum prætextu superstitio invehatur; veluti exemplo Papismi constat. Ubi autem ritus sunt invecti, nisi Verbo Dei e diametro adversentur, propter eos non debent fluctus in sympulo moveri. Incumbit tamen illis, quibus

quibus id negotii demandatum est, occasionem emendationis eorum idoneam propter *antiquitatis præjudicium* temere non prætermittere.

XXXV. Ubi *Corruptio* Ecclesiæ *universalior* evasit, mature ejus Reformatio est suscipienda. *Totalem* Reformationem requirebant tempora Christi & exitus Patrum nostrorum ex Antichristianismo. *Partialis* desideratur nostra ætate. Notandum ergo, quid relate ad illam tum *singulis* Christianis, tum iis præcipue, qui circa ejus *promotionem* aliquid valent, incumbat.

XXXVI. *Singulis* commendamus, de *temporum* nostrorum *infelicitate* conceptum congruum formare, idque per collationem eorum tum cum *Lege Dei* in genere, tum specialius cum *Prophetiis* præcise nostram ætatem spectantibus.

(1) Ex *priori collatione* confici potest, *tum* quanta deformatio omnes Status pervaserit; *tum* quinam fontes Ecclesiæ in tam clara Evangelii luce tantopere deturpatæ sint; *tum* quænam Judicia eapropter merito sint timenda.

(2) Ex *posteriori* collatione apparebit; *tum* quod a providentia divina hic insanabilis morbus Ecclesiæ Protestantis dispensetur; *tum* quod nunquam eousque sit progressurus, ut reliquias seminis sancti plane sit absorpturus; *tum* quod meliora sperare liceat; *tum* quod Deus ad purgandam Ecclesiam Judicia tremenda sit adhibiturus; *tum* quod in limine eorum temporum simus constituti, ac propterea ad illa nos præparare debeamus.

XXXVII. Hæc ubi rite animadvertentur, *præjudiciis*, quæ multi contra necessitatem cujuscunque

que Reformationis conceperunt, & propterea Ecclesiæ vero splendori promovendo superſedent, non erit locus. In horum numerum referimus, *quod* feliciora præ majoribus noſtris tempora vivamus; *quod* ſingulari prærogativarum ac bonorum Eccleſiæ N. T. abundantia gaudeamus, quam in rem inconſulto varia Prophetarum dicta ſolent detorqueri, quaſi quæ certo intervallo promiſſa ſunt, ad totam Oeconomiam Nov. Teſt. pertinerent; *quod* mundus ſemper in malo jacuerit; *quod* omnis mutatio ſit periculoſa; *quod* major neceſſitas ſit exſpectanda, antequam quicquam innovetur; *quod* Eccleſiaſtici ſub hoc prætextu authoritatem ſuam ſtabilire quærant &c.

XXXVIII. Quos ſenſus dolorque *labis* noſtrorum temporum altius occupavit, eos fas eſt

(1) Deum *precari*, ut promiſſiones de majori Eccleſiæ puritate reſtituenda velit implere. Tales v. gr. ſunt Pſ. LXXII. Jeſ. LVIII. LX. LXVI. Apoc. XX--XXII.

(2) *Reformationem* proprii *cordis* ſerio inſtituere, præcipue cum ad temporum noſtrorum calamitatem vel maxime exigua Spiritus illuminantis in ipſis regenitis menſura pertineat.

(3) Non præcurrere *importuna imprudentia* illis, ad quos proxime hoc opus ſpectat, multo minus ab eorum communione ſi cunctentur, *divortium facere*; ſed potius agnoſcere, quod ad Reformationem Eccleſiae generaliorem inſtituendam & ſingularia dona Spiritus ſancti & arctiſſima Virorum manus operi admonentium harmonia pertineant; atque eapropter opportunitatem

a Deo ipso suo tempore praestandam patienter exspectare.

XXXIX. Illi autem, ad quos magis tanti operis *susceptio* pertinet, sunt *Magistratus* & *Rectores* Ecclesiæ manus inter se amice jungentes, illi *authoritate*, hi *consilio* valentes. Ab utraque parte ergo fas est ad vocationem Dei & opportunitates agendi attendere, & ubi illa apparet, strenue rem agere. Quod si *unus* forte aut *pauciores* necessitatem emendationis agnoscant, nec tamen reliquis eam persuadere queant, posteaquam convincendo, hortando, tentando iverunt, quo poterant, ac difficultatibus superandis se impares esse experti sunt, in providentia divina acquiescant, & curam Ecclesiæ Deo permittant, qui in Ministris suis nihil requirit, præterquam *fidelitatem*.

XL. Quod si contingat Ecclesiam PRESSAM sub *Magistratu diversæ Religionis* agere, incumbit ei

(1) Invigilare accuratius, ut *vinculum Communionis* integrum conservetur, utpote a quo singulare robur ei accedet.

(2) Quæ ad decentiam atque *ordinem* bonum pertinent, studiosius conservare, ut per exemplum bonum instar Ecclesiæ Hierosolymitanæ gratiam apud Deum atque homines nanciscatur Actor. II. 47.

(3) Quamvis in exercitio jurisdictionis ac Disciplinæ Ecclesiasticæ minus a Magistratu dependeat, nihilominus ei non resistere in quibuscunque, quæ directe conscientiam non contaminant; ac potius etiam iniquis eorum *interdictis*, si res per naturam suam sint *adiaphoræ*, mo-

rem

rem gerere, & meliora tempora exspectare, quam renitendo fortius conservationem cœtus in discrimen adducere.

XLI. Ubi autem Ecclesia *sub cruce* agens gravius premitur ac *persecutionibus* ad ejus interitum tendentibus sive clandestinis sive publicis est exposita.

(1) *Communio* Ecclesiastica tamdiu est conservanda, quamdiu absque præsentissimo periculo singulorum membrorum licet.

(2) Unde & *Moderatoribus* non antea se subducere competit, quam liqueat, quod ipsorum personæ & capita speciatim impetantur.

(3) Cavendum tamen sollicite a quibuscunque conatibus & actionibus, quæ in suspicionem seditiosorum moliminum adduci queunt. In quem finem etiam communionem ad tempus dissolvere præstat.

(4) Ubi spes omnis restituendæ Communionis dissolutæ decollavit, voluntarium exilium quibuscunque vitæ commodis erit præferendum; mnlto magis quando violentæ exactiones accedunt, quibus conscientia ad actus Honori Dei contrarios cogitur, aut propinqui ac speciatim liberi periculo apostasiæ exponuntur.

(5) Ecclesia exulans ac dispersa, quamprimum & ubicunque locorum fieri potest, denuo colligi ac restaurari debet.

CAPUT

CAPVT TERTIVM.

De Communione Politica, & Officiis, *quæ illa a* Magistratibus ac Subditis *Christianis in diverso gradu constitutis ad Reipublicæ salutem requirit.*

SUMMARIUM.

Post transitionem §. 1.

I. Communio Politica *describitur* 2.

II. *Officia ex hac descriptione deducuntur* 3 --- 44.

A. Fundamentum *eorum indicatur* 3 --- 5.

B. Officia ipsa *enumerantur* 6 --- 44.

1. *Officia* Magistratus 6 --- 26.

a. *Quod eum gerere liceat, defenditur* 6.

b. Quomodo *gerendus sit, docetur* 7. --- 26.

α. *Virtutis, quibus fulgere debet* 7. 8. 9.

β. *Exercitium illarum virtutum* 10. --- 26.

א. *In* susceptione Regiminis 11.

ב. *In ejus* administratione 12 --- 29. *cujus*

a. *Partes præcipuæ sunt* 12 --- 25.

* *Populum intrinsecus* regere 12---21. *quo spectat*
† *Potestas* LEGISLATORIA 13. 14. *quæ*
› *Describitur* 13.
›› *Limitatur* 14.
†† *Potestas* JUDICIARIA 15---21.
— *Illa describitur* 15.
= *Pondus ejus rite exercendæ indicatur* 16.
≡ De objectis *ejus agitur* 17. 18.
≡ Officia ipsa *enumerantur* 19---21.
› *In* sententia dicenda 19.
›› *In* sententiæ executione 20. 21.
** *Populum extrinsecus* tueri 22---25.
† *Per* Fœdera 23.
†† *Per* Bella 24. 25.
b. Media *administrationem hanc prosperantia* 26.
2. *Officia* SUBDITORUM 27 --- 44.
2. *Quæ* immediate *debentur Magistratui ab omnibus* 28 --- 33.
α. *Quoad internum* affectum 28.
β. *Quoad externum* effectum 29. ---33. *quo spectat*
N. Obedientia activa 29 --- 32. *quæ*
a. As-

a. Asseritur. 29 --- 31.
b. Limitatur 32.
ב. Obedientia passiva 33.
b. *Quæ* Reipublicæ *a singulis pro varia conditione præstanda* 34 --- 44.
α. A Nobilibus 35.
β. Ab Ecclesiasticis 36.
γ. A Jurisconsultis 37.
δ. A Medicis 38.
ε. A Mercatoribus 39.
ϛ. Ab Opificibus 40.
ϛ. Ab Agricolis 41.
η. A Nautis 42.
ϑ. A Militibus 43.
ι. A Pauperibus. 44.

I.

Contemplati sumus Regenitum agentem in *Ecclesia*. Videamus eundem sancte in *Mundo* degentem. Hic iterum duplicis *Communionis* membrum est; quatenus in Republica vivit, *Politicæ*, quatenus in privata domo aut familia, *Oeconomicæ*.

II. COMMUNIONEM POLITICAM nominamus *Societatem civilem, quæ diversimode per singularem quandam Dei providentiam inter Imperantes & Subditos coaluit ad communionem Reipublicæ salutem.* Nos missis, quæ de origine ac forma Rerumpublicarum promiscue consideratarum disputari possunt, illa duntaxat libabimus, quæ Regenito Christiano relate ad Rempublicam incum-

cumbunt, sive *Magistratus*, sive *Subditi* personam gerat.

III. Ante omnia *Scopus* obversari Christiano debet, in quem *Societas Civilis* tendit. Ille non secundum intentionem hominum, perversis affectibus actorum; sed secundum intentionem ipsius Dei est æstimandus. Quære hic supremus omnis Reipublicæ rite institutæ *finis* nobis est, *ut peccator in corrupto hominum statu externam opportunitatem operandi salutem suam ad gloriam Dei nanciscatur.* Id sequitur:

(1) Quoniam necessitas primaque ansa Respublicas legitimas erigendi data est per peccatum, ac sigillatim per eorum violentiam, qui hanc opportunitatem eripere volebant.

(2) Quia Finis, in quem ipse Deus mundum conservat, est Ecclesiæ conservatio & electorum salus. Rom 2. 4. 2 Pet 3. 9. – 15.

(3) Si *Salus Singulorum* est Finis Reipublicæ, tum liquet, quod quo perfectior est Salus, ad quam Leges Societatis civilis tendunt, eo perfectior sit ipsa Reipublicæ Forma.

(4) Salus *temporalis* & *æterna* ita sibi invicem sunt innexæ, ut illa absque hac inanis umbra sit.

IV. Impudentissima ergo calumnia est, quæ non solum Religionem in genere, sed etiam *Religionem Christianam* præ reliquis cum fundamentis Societatis civilis esse ἀσύστατον pronuntiat. Contrarium non solum liquet ex Regimine tum Patriarchali, tum Theocratico Vet. T. sed etiam ex interiori Legum Christi indole, quæ quo accuratius

tius obſervabuntur, eo florentior Reipublicæ Status reddetur.

V. Quicquid idcirco Criſtianus pro ſalute Reipublicæ ſuſcipit, convenienter huic Scopo ſuſcipere debet. Unde infertur, quod ubi Communionis Eccleſiaſticæ ac Politicæ ſalus inter ſe committitur, prioris ſemper potior ratio habenda ſit.

VI. Hoc ſuppoſito incipimus ab *Officio* Magistratus *Chriſtiani.* Longiſſime enim ab eorum errore abſumus, qui Chriſtiano indecorum ſtatuunt, Magiſtratum gerendi provinciam *ambire* ac *ſuſcipere.* Dantur quidem *caſus* in Republica, ſive infidelium, ſive peccaminoſis moribus plane deturpata, in quibus nequidem *ſuſcipere*, nedum *ambire*, eum licet, quia *abdicare* ſe Magiſtratu ſatius eſt, quam conſcientiæ vim inferre. Ubi tamen illi non extant, non ſolum *licitum* eſt, ſed etiam pro re nata incumbit Chriſtiano, Regiminis politici onus promte in nomine Domini ſuſcipere.

(1) Magiſtratus eſt inſtitutionis divinæ Rom. XIII. 1. Ad ipſos Magiſtratus gentiles id extenditur Joh. XIX. 11. & inter beneficia, quæ Filius Dei in Regno Gratiæ præſtat, recenſetur Prov. VIII. 15. Hinc *oleo ſacro* Reges Iſraelis ungebantur.

(2) Magiſtratus ſumma eſt neceſſitas, ita ut ſine eo ne Eccleſia quidem hoſpitium in terris invenire poſſet.

(3) Principes *pios* Spiritus S. in Scriptura teſtimonio ſuo exornat atque in exemplum proponit.

(4) Ma-

(4) Magistratus *Deum timentes* egregiam præ aliis occasionem habent gloriam Dei & commodum Ecclésiæ promovendi.

(5) Qui Christianismum ex Optimatibus in primitiva Ecclesia amplexi sunt, etiam sub Principibus gentilibus publicum munus non deposuere, nec exuere jussi sunt.

VII. Verum quo illustriori loco sunt positi, eo clariorem lucem *Virtutum Christianarum* spargere de se debent. Tantum abest, ut licentia majori gaudeant præ subditis in foro poli, quemadmodum a parasitis sæpenumero ipsis persuadetur, ut potius major in quocunque *Pietatis* genere accuratio ab illis requiratur.

(1) Plus Deo debent pro *prærogativa*, quam ipsis supra aliorum sortem indulsit.

(2) *Fini* respondere debent, in quem Deus tanto honore præ aliis eos ornavit, qui non est, ut suæ voluptati litent, sed ut aliis prosint.

(3) Majori gaudent sanctimoniæ exercendæ *opportunitate*, quia aliorum contradictioni ac contumeliæ propter praxin pietatis non ita facile sunt expositi.

(4) Si proximi salutem per pium *exemplum* unusquisque Christianus promovere debet, quanto magis illi, quorum exemplum longe plus apud homines valere solet.

(5) Contrarium Exemplum tanto plus damni affert, quanto magis in omnium oculos incurrit 2. Chron. XXXIII. 9.

(6) Tum maxime merentur *Uncti Domini* appellari, si *Unctos* se a Spiritu sancto per fructus Spiritus uberiores demonstrant.

(7) *Regnandi onus* humeris eorum impositum singulare *Dei auxilium* requirit, quod illis est promissum, qui causſam Dei fideliter agunt.

(8) Cum summa animi lubentia alia parebunt Magistratui, quem non suum, sed Dei honorem quærere animadvertent.

VIII. Ex dictis colligitur, quod quarumcunque virtutum Christianarum studio eminere fas sit Magistratum. Sunt tamen quædam, quæ præ reliquis eos idoneos reddunt ad Rempublicam feliciter gerendam.

(1) *Sapientia* indigent ad discriminandum, quæ verum Bonum Status conficiunt, aut impediunt. Hanc eapropter primo loco Salomon expetiit & obtinuit 1. Reg. III. 9. 12. IV. 29. 30. Eccles. IV. 9. 10.

(2) *Prudentia* requiritur ad *Consilium* singulis circumstantiis conveniens tempestive capiendum 2. Sam. XIV. 17. Prov. XVI. 10.

(3) *Magnanimitas* & Spiritus Heroicus eos idoneos reddit ad ardua negotia intrepide aggrediendа Jos. I. 9.

(4) *Temperantia* tam a *magnificentia*, quam *luxuria* & voluptate, illos vigiles agilesque reddet ad negotia Eccles. X. 17. Per eandem impedientur ab iniquis exactionibus populi Deut. XVII. 16, 17. Adde Prov. XXXI. 4. 5.

(5) *Constantia* eos fulciet, ut alacriter pergant in susceptis negotiis ad finem optatum remotis obstaculis assequendum Jos. I. 18. 1. Chron. XXII. 13.

(6) *Veritas* in verbis fiduciam tam Subdito-

rum

rum quam Confœderatorum, in qua robur imperantium consistit, provocabit.

(7) *Justitiæ* rigor illos bonis venerandos; malis autem tremendos reddet Prov. XVI. 2. XXIX. 14. Job. XXIX. 14.

(8) *Clementia* tam verborum *comitate*, quam *munificentia* factorum, demonstrata efficiet, ut non solum corpora, sed etiam corda subditorum sibi devota habituri sint Prov. XX. 28. Hinc per emphasin Magnates dicuntur ευεργέται Luc. XX. 25. Confer Job. XXIX. 12. 13. 15. 16. Prov. XVI. 15.

IX. Illas virtutes tanquam *coronam* omni auro ac gemmis fulgentiorem atque verum *Majestatis*, *Sanctitatisque* characterem, quem Scriptura ut כבוד, הוד, הדר *gloriam*, *decusque* regnantium considerat, æstimabunt. Nam

(1) Per eas instar Dei atque Filii ejus in terris gerent, præcipue cum de Messiæ Regno agentes Prophetæ easdem virtutes ipsi tribuant Psal. XLV. Jerem. XXIII. 5. 6.

(2) Per eas erunt fundamenta felicitatis Reipublicæ ac deliciæ populi, generisque humani, quin & suam authoritatem firmabunt.

X. Exercitium harum Virtutum se dividit tum ad omnes partes Muneris eorum, sive in *suscipiendo*, sive in *administrando* Imperium, quod tam *regendo* quam *tuendo* subjectos gerunt; tum ad omnia *Media*, quibus rite adhibitis Regnum eorum prosperabitur.

XI. Ad *suscipiendum* fasces Reipublicæ justus titulus requiritur, quo gaudent, qui ad eos a Deo, si non *immediate*, quæ quorundam in Theo-

cratia Israelis duntaxat prærogativa fuit, saltem *mediate* admoventur. Singularem enim Dei circa Regnorum constitutionem providentiam obtinere liquet ex Deut. XXXII. Dan. IV. 32. Hæc tamen sola non sufficit, quoniam Deus etiam Reges dat *in ira* Jes. XIX. 4. Hos. XIII. 10, 11. Jus ergo coram hominibus accedere debet. Eo autem pertinet *consensus populi* sive per liberam *electionem*, sive per *successionem*, illo modo, qui Legibus Status conformis est.

XII. Regnum legitime susceptum rite *administrari* debet. Huc primo spectat, ut populi Salus intrinsecus promoveatur per legitimum *Potestatem* tum *Legislatoriæ* tum *Judiciariæ* in *regendo* exercitium. Illa hujus fundamentum, hæc illius stabilimentum est.

XIII. *Potestas Legislatoria* Magistratus non concernit *Leges divinas*, sed *humanas* seu *civiles*, *normam* exhibentes *actionum externarum*, *per quas salus Reipublicæ conservari atque promoveri potest*. Circa eas summo Magistratui competit authoritas non solum id, quod conducere videtur, *ordinandi*, sed etiam, prout variæ mutationes oboriri queunt, *dispensandi* quin iterum *abrogandi*.

XIX. Generalia harum *Legum* requisita sunt

(1) Ut legibus divinis tam *naturalibus* quam *revelatis* innitantur, tanquam basi suæ, unde earum tam *justitia*, quam *æquitas*, sine qua nec minem in conscientia obligare possent, dependent.

(2) Ut conveniant *Legibus* Status fundamentalibus, in quas fides est data.

(3) U

(3) Ut Sanctionibus talium *præmiorum* ac *pœnarum* sint stabilitæ, quæ *proportionem* ad *merita* habeant, quæ proxime ex *utilitate* aut *damno* Reipublicæ dimetienda sunt.

(4) Ut ad notitiam subditorum perveniant, idque claris verbis, ne facile lis circa sensum earum oboriatur.

XV. *Potestas Judiciaria actiones & negotia Civium controversa secundum Leges tam divinas quam humanas examinat, atque præmia & pœnas in Sanctione earum expressas actu dispensat.*

XVI. Singularis hujus potestatis instituendæ ac rite gerendæ cura Deo semper fuit Deut. XVI. 18. Hinc *Judicia Dei* vocantur Deut. I. 17. quia non solum ex authoritate Dei, & apud Israelitas olim vice Dei, sed etiam secundum exemplum Dei, summi cœli terræque Judicis administranda 2. Chron. XIX. 5--7. Quod ut eo sanctius observaretur, in *portis*, *foro*, & publica populi panegyri Judicia ab antiquo sunt exercita.

XVII. Objecta hujus potestatis sunt Actiones quæcunque externæ Subditorum, non solum quæ Legibus hominum sed etiam Dei continentur, tam *civiles* quam *criminales*, sive *ex officio* de illis cognitio suscipiatur, sive ad ipsos *deferantur*. *Delatio* hæc spectat tum Actiones, quarum cognitionem adque animadversionem salus publica requirit, tum privatas qualescunque, unde *Processus*, ut vocantur, judiciales nascantur.

XVIII. Pro virili Christiano incumbit *Processus* evitare 1. Cor. VI. 5--8. Dantur tamen casus, in quibus permissi sunt.

(1) Si rei, de qua litigatur, insigne pondus est.

(2) Omnibus pacis viis in antecessum frustra tentatis.

(3) Quando *scopus* non est ultio injuriæ, quam passi sumus, sed aut damni æqua reparatio, aut majoris periculi aversio.

XIX. Præcipua *Judicis Christiani* officia sunt:

(1) *Causam* bene *cognitam* habere, atque eapropter sententiam non ferre ante utramque partem auditam: ante media explorandi veritatem, quæ in obscuro latet, & extraordinariis aliquando viis indiget, adhibita: ante pondera probationum rite excussa Deut. XVII. 4. Job. XXIX. 16. Joh. VII. 51. Act. XXV. 16.

(2) Ad *Sententiæ* formationem promte progredi, neque de industria lites protrahere Luc. XVIII. 2. 3. 4.

(3) In prolatione Sententiæ *Justitiam* pro summa Lege habere Levit. XIX. 15. Deut. I. 16. 2. Chron. XIX. 6. 7.

(4) Ab omnibus pravis Affectibus sollicite abstinere, per quos Justitiæ rigor diminui potest, & quæ προσωπολημψίαν caussantur, severe prohibitam Deut. I. 17. XVI. 19. Prov. XVIII. 5. Psalm. LXXXII. 2. Exerceri autem ea potest vel nimia *facilitate* vel nimio *rigore* circa reum.

(a) *Facilitate*, quando in favorem personæ in variis caussis Judex inclinat. Turpissimum est, ubi per *munera accepta* Judex corrumpitur Exod. XXIII. 8. Deut. XXVII. 25. 1. Sam. XII. 3. 4. Jes. XXXIII. 15.

(b) *Rigor* etiam ne intendatur aut inhiando lucro

lucro, uti Jesabel 1. Reg. XXI. aut privatam offensionem ulciscendo Ezech. XXV. 12. 15.

XX. *Sententiæ* lationem sequi debet *executio*, ad quam spectat non solum *litis compositio*, sed etiam *præmiorum* inter bene merentes distributio ac *pœnarum* inflictio, quæ potestas Judicibus terræ utique est concessa & exercenda Prov. XVII. 15. Rom. XIII. 3. 4. 1. Petr. II. 14. Latissime hæc potestas se extendit, *tum* quoad *personas*, non exceptis, ut Romana Ecclesia prætendit, ipsis *ecclesiasticis*; tum quoad *pœnas*, ad quas pertinent & *mulctæ* pecuniariæ, & *supplicia* tam *corporalia*, quam *Capitalia*, nequicquam intercedentibus Anabaptistis quibusdam, veluti constat ex Gen. IX. 6. Num. XXXV. 31. 33.

XXI. Ut *pœna* juste infligatur:

(1) Finis ejus proximus debet rite pensitari, qui est vel *generalis*, securitas Republicæ, *tam* respectu iræ divinæ, quam malitiæ hominum; vel *specialis*, & quidem in *pœna reparatoria* compensatio damni, in *pœna vindicatoria*, si *capitalis*, exemplum aliorum, si *non capitalis*, absterritio peccantis in futurum. Non ergo ultro in pœnas propensus erit Magistratus populi amans, sed vi obligationis, qua tenetur, ad hos fines potestatis ipsi demandatæ obtinendos.

(2) Prout autem hi *fines* requirunt, *proportio* inter pœnam & delictum est observanda, quæ hinc ex delicti gravitate, illinc ex personarum, quibus pœna infligitur, conditione æstimanda est. *Legem talionis* hinc Deus impense commendat Exod. XXI. 23. 24. 25. Levit. XXIV. 18. 19. 20. Deut. XIX. 21. Illa tamen non semper secundum literam

literam observari potest. Inde autem sequitur, quod non solum sontes non dimittendi, sed etiam insontes non puniendi, adeoque mera authoritate humana pœna a sonte in plane insontem transferenda non sit.

XXII. Sed & *extrinsecus* securitatem populi *tueri* debet pius Magistratus contra quamcunque vim, quæ ei parari aut inferri potest. Huc spectant & *Fœdera* cum extraneis Potestatibus ineunda, & *Bella* cum illis gerenda.

XXIII. In Foederibus ineundis cumprimis abesse debet *Fiducia* in *brachio carnis*, quæ Deo semper exosa fuit Psalm xxxiii. 16. 17. Jes. viii. 12. xxx. 1--3. Jerem. xvii. 5. Adeoque cavendum ab omnibus, quæ diffidentiam in auxilio Jehovæ involvunt.

(1) Quoad *personas*, Fœdera cum Atheis inire ipsi prudentiæ politicæ, multo magis pietati contrarium est. Neque ulla securitas inest fœderibus cum professis religionis hostibus ac persecutoribus, multo magis illis, qui *hæreticis fidem servandam esse* negant. Cavendum ante omnia, ne Fœderibus cum adversæ religionis assecla ullum præjudicium nostræ afferatur.

(2) Ipsi Fœderum *Articuli* ita sint constituti, ut servari *possint* ac *debeant*. Nam ad res *impossibiles* atque *illicitas* nulla vincula quemquam obligant; licet nomen Dei turpissime profanent, qui ad illas scientes volentesque se obstringunt.

(3) Articuli, in quos servata hac cautela conventum est, sancte sunt servandi.

XXIV. Ubi publica Pax Reipublicæ per Hostes externos turbatur, Jus Belli ad eam asseren-

rendam aut restituendam Magistratui Christiano est demandatum. Hoc non solum ratio sed etiam Scriptura docet, in qua occurrunt tum *Leges bellicæ*, quas Deus Israelitis dedit, tum *exempla* Virorum Sanctorum, Abrahami, Josuæ, Davidis, Cornelii, tum vita militaris a Joanne Baptista non improbata, sed regulis justis circumscripta Luc. III. 14.

XXV. Ut autem *Bellum* sit *legitimum*

(1) Ante omnia requiritur causa justa, qualis est tum satis *sontica*, quoniam vel sub justissimo titulo bellum non temere est suscipiendum; tum natura sua *justa*, qualis tum solum obtinere potest, quum jura Reipublicæ, a quorum conservatione ejus Salus dependet, alia via sarta manere nequeunt. Iniquissime autem Princeps agit, qui prætextus alios belli externe præfert, etiamsi justissimi sint, alias autem causas impulsivas interne habet, non populi, sed privato lucro inhians.

(2) Bellum susceptum legitime est gerendum

(a) *Pietatis* ante omnia habenda est ratio, ut *Dominus exercituum* placetur 2. Chron. XX. 3. 1. Reg. VIII. 44. 45.

(b) *Disciplina militaris* rite exerceatur. Nec enim propitium Deum exspectare poterit exercitus sceleribus contaminatus Jos. VII. 12.

(c) *Humanitatis* Leges etiam erga hostes, multo magis erga devictos & supplices exerceantur.

(d) Finis belli, *Pax*, semper respici debet, unde non diutius illud gerendum, quam ad Pacem æquam obtinendam requiritur.

XXVI. *Media*, quibus rite adhibitis Regi-

men Christianum maxime prosperabitur, hæc sunt.

(1) Familiare cum Deo per *Preces* commercium, per quas pii Principes *consilium* æque ac auxilium expetent, & pro suorum salute intercedent 1. Reg. VIII. 2. Chron. XX.

(2) Legis divinæ in Sacra Scriptura exstantis jugis meditatio Deut. XVII. 18 -- 20. Jos. 1. 7. 8. Præsertim attendendum est ad exemplum legitimi Regiminis, quod Deo placuit in *Theocratia Israelis* exhibere; si duntaxat accurata judicii lance discernantur illa, quæ ut Oeconomiæ V. T. propria in exemplum trahi nequeunt. Ex Oceano sane Mosis vetustissimos *Legislatores* atque Rerumpublicarum conditores bibisse constat.

(3) *Humilis* propriæ indignitatis & æqualis coram Deo cum omnibus hominibus conditionis fragilitatisque in singula momenta a Deo dependentis meditatio Deut XVII. 20. 1. Chron. XVII. 16. 17. Jes. XL. 23. 24. Dan. IV. 17.

(4) *Selectus* inter Consiliarios ac Ministros præsertim propioris admissionis ita instituendus, ut Deum timentium ratio habeatur Psal. CI. 6. 7. Prov. XVI. 13.

(5) Fuga *parasitorum*, qui proprii lucri causa pravis affectibus potentiorum blandiuntur, *Despotica*, quin *tyrannica*, consilia subministrant, & sub inanibus prætextibus licentiam imperantium augent. Huc inter alia pertinet detorsio *Juris Regii*, quod 1. Sam. VIII. 11 -- 18. describitur. Hic enim non *legitimam* sed *usurpatam* potestatem describi, cujus durum jugum Israeli in pœnam constitutum erat, in propatulo est.

XXVI

XXVII. Officia SUBDITORUM sunt aut *generalia* aut *specialia*. Illa immediate & præcise Magistratui ab *omnibus*; hæc autem proxime *concivibus* atque ita mediate Reipublicæ, secundum diversam uniuscujusque membri Societatis conditionem debentur. Priora non solum *Christiano*, sed etiam *impio* Magistratui debentur Rom. XIII. 1. 2. 1. Petr. II. 13. Huc pertinet tum *affectus* debitus, tum ejus per congrua *officia* demonstratio.

XXVIII. *Affectus* debitus involvit quoad judicium *honorem* ac *venerationem* Eccles. x. 20. Prov. XXIV. 21. Rom. XIII. 7. 1. Petr. II. 17. Cum *amore* autem eam conjunctam esse oportet, qui præcipue demonstratur in *occulto* per preces pro salute Principum 1. Tim. II. 1. 2. Honorem *externe* demonstramus

(a) Per *gestuum* reverentiam, qualem Abrahamus populo regionis Gen. XXIII. 12. Josepho fratres Gen. XLII. 7. Nathan Salomoni 1. Reg. I. 23. exhibuit.

(b) Per *verba* eandem reverentiam spirantia Exod. XXII. 28. Ipse Paulus id agnovit Actor. XXIII. 5. Unde Stephani & Pauli acerbius dicta Act. VII. 51. XXIII. 3. quæ extraordinariam quandam Dei dispensationem involvunt, in exemplum non sunt trahenda.

(c) Per *obedientiam*, quæ sincere ac propter conscientiam Ipsis præstari debet Rom. XIII. 5. Tit. III. 1. Hujus *obedientiæ* veri termini quoad ejus tam *extensionem*, quam *limitationem* constare debent.

XXIX. Quoad *extensionem* hæc obedientia involvit

volvit omnes actiones externas exserta Lege Dei vel *innata* vel *revelata* non interdictas. Adeoque non debent excipi:

(1) *Mandata* de actionibus *occultis*, quorum inobedientiam, licet illa cognitionem fori humani fugiat, Deus novit & puniet.

(2) *Duriora* mandata, quæ fortunas, ipsamque vitam corporis concernunt.

(3) *Obscuriora* mandata, quorum contrarium præcisa Lege non est definitum. Ambiguitas enim mandati non potest præjudicare mandato claro de obedientia Magistratui præstanda.

XXX. Obedientiam hanc unusquisque Christianus præstare in conscientia sua est obligatus ex iisdem argumentis, quibus §. 6. Magistratum legitime obiri posse evicimus. Addantur heic:

(1) Disertum ipsius Domini nostri tum *præceptum* tum *exemplum* Matth. XXII. 21.

(2) Pœnæ in rebelles pronunciatæ tam temporales quam æternæ Rom. XIII. 2. Jerem. XXVII. 8.

(3) Exempla judiciorum divinorum in rebelles Korachum cum sociis, Absolonem, Simei, Seba, Barrabam, Theudam, Judam Galilæum atque alios.

XXXI. Vanissima ergo sunt eorum effugia,

(1) Qui per hanc obedientiam divinæ Majestati quicquam derogari prætendunt. Quod enim *hominibus obedimus* non *propter homines*, sed *propter Dominum* fit 1. Petr. II, 13.

(2) Qui opponunt *libertatem Christianam*, quam Apostolus commendat 1. Corinth. VII. 23. Nam

23. Nam ipse Apostolus illam limitat statim vs. 24.

XXXII. Et certe, quod illa *libertas* neutiquam repugnet obedientiæ Magistratus, ex *limitibus obsequii humani* rite positis apparet. Ubi enim mandatum Dei & Magistratus clare sibi invicem contrariantur, illic *oportet Deo magis obedire, quam hominibus* Actor. v. 29. Jus Cæsaris non derogat *Juri Dei* Matth. XXII. 21. Et manifesta ejus ordinis est ratio, quoniam ingens Legis divinæ præ Lege Magistratus est prærogativa, sive *universalitatem*, sive *immediatam* obligandi rationem, quæ soli priori competit, consideres.

XXXIII. Strictior adhuc est obedientia *passiva*, quam *activa*. Possumus enim ac debemus sæpe iniqua pati; sed nunquam integrum est iniqua agere. Unde intricatum est jus renunciandi in totum obedientiæ Magistratus, quando Regimen ejus in tyrannidem degeneravit. Et tum quoque inviolabilis certa ratione quorundam Potentatuum *Sanctitas* & *Majestas* est 1. Sam. XXIV. 7. 2. Sam. I. 10.

XXXIV. Ut *Officia specialiora* hic nobis obversantur, quæ proxime *Concivibus* exhibentur, ac per eos ad *Reipublicæ* commodum promovendum non parum afferunt momenti. Cum enim secundum Lib. II. cap. 7. §. 65. 66. unicuique incumbat, non solum per sui sed & Proximi amorem, *Labore* honesto de necessitatibus hujus vitæ sibi providere, atque ea fini talis vitæ functio sequenda sit, quæ simul Societati est utilis; hinc omnes Virtutes, quæ in obeunda illa functione Proximo sunt exhibendæ, huc referri queunt. Vitia vitan-

vitanda Lib. II. cap. 8. §. 46. sq. officia exercenda Ibidem §. 64. sq. sunt enumerata. Hic officia primaria adjungi debent, quæ his illisve *vitæ generibus sigillatim* conveniunt.

XXXV. Eminentiora Reipublicæ membra sunt Nobiles, ac qui illustri prosapia eminent, aut ad præcipua ejus munia evehuntur. In duplici illi relatione constituti sunt. Nam & Superiori Potestati subjecti sunt, & qua *Magistratus subordinati* aliis ipsi sunt præpositi. Singulari ergo attentione opus habent, ut utrique vinculo ex æquo satisfaciant. Non nimis submisse a nutu Principum dependebunt, quod periculosum erat Naemani 2. Reg. v. 18. Non nimis se extollent supra alios, reminiscentes *solam virtutem nobilitare*. Fidelitatem utrimque, illinc *consilio*, hinc *ope* & *auxilio*, ex æquo servent, idque eo magis, quoniam præcipuæ Reipublicæ columnæ & vincula unionis inter summos Magistratus atque inferiorem populum sic agenres saluberrima erunt.

XXXVI. *Clerici* in Papatu sub vanis prætextibus se Magistratus obedientiæ, *Monachi* in claustris delitescentes curæ Reipublicæ subduxerunt. Eo magis fas est Ecclesiasticos in vera Ecclesia, quemadmodum aliarum virtutum, ita *humilitatis*, *reverentiæ*, *subjectionis* sub Potestate quacunque a Deo dispensata exemplum dare, Civisque optimi vivam effigiem in Republica exhibere.

XXXVII. Proximum locum illis damus, qui *ingenium* per *studia* excolentes Reipublicæ prodesse possunt. *Publicam* magis operam collocant Ju-

JURISCONSULTI, *Causarum Patroni* & quicunque Justitiæ administrationem promovent: Hos decet esse *juris* & pro muneris ratione *peritos* & *amantes*. Causſæ, quam ipsis *malam* esse constat, patrocinium ne suscipiant. *Bonam* autem nonnisi convenientibus mediis defendant. Sui lucri ergo illam nunquam protrahant. Contentiones & rixas non alant, non multiplicent, sed potius, quantum in ipsis est, componant, pacisque Christianæ studium serio persuadere conentur. Æqua laboris sui mercede contenti atque *incorruptibiles* sint.

XXXVIII. *Privatum* singulis concivibus emolumentum afferunt MEDICI, qualiscunque ordinis, per quos corporis sanitas afflicta, jubente Deo, restituitur. His eo magis *Pietati* litandum, quo magis successus medelæ a benedictione divina dependet, & quo occultius lædendi ansam habent. Sint porro *misericordes*, atque aliorum malis intime tangantur. Pharmacorum, quæ adhibent, vires bene perspectas habeant, nec temere vitam Proximi unquam periculo exponant. Pauperibus eandem diligentiam ac fidelitatem, quam opulentioribus, præstent. Impuritati aliisque concupiscentiis nunquam obstetricentur. Sancta illis, quæ eorum fidei creduntur, silentia servent. Vana vitæ prolongandæ spe in morbis periculosis neminis securitati carnali patrocinentur. Animæ Proximi æque ac corporis bonum piis admonitionibus promoveant, ut hoc quoque pacto summi Israelis Medici exemplum exprimant.

XXXIX. MERCATORES variis tentationi-

bus

bus ad peccandum sunt expositi Sirac. xxvi. 38. xvii. 1--4. Fas ergo est, ut scopum sibi legitimum in *mercatura*, quam exercent, semper præfigant. Honestum lucrum quærant, non ut ipsi *ditescant*, quod quam periculosum sit, Apostolus monet 1. Tim. vi. 9. sed ut ad communia Reipublicæ onera ferenda & pauperibus succurrendum eo aptiores sint. Ad hunc finem mediis permissis contendant. Omnia *fraudum* genera, quæ Lib ii. cap. 8. §. 32. digito tetigimus, sollicite caveant. Nihil etiam, quod *vires* eorum excedit, moliantur, neque *depositæ* aliorum temere impendant. Quod si aliquando contingat, ut per infortunia improvisa absque culpa sua foro cedere cogantur, statum bonorum suorum ingenue aperiant, iisque se potius in totum abdicent, quam creditores suis bonis injuste privent; parati ad restituendum, quod Proximo intulerunt, damnum, si denuo aliquid lucrari queant. Denique opum terrenarum vanitatem vitæque fugacis brevitatem serio meditantes nihil sine Deo suscipiant ac thesauros permanentes quærant Jac. iv. 13--15. 1. Tim. vi. 17--19.

XL. Opifices quem scopum habere debeant in labore suo, Apostolus docet Ephes. iv. 28. Ad illum obtinendum artes humanæ societati utiles studiose excolant. Sirac. xxxviii. 35. 36. Illi autem feliciter facient, quando de auxilio divino solliciti semper erunt. Deus author est illius quoque peritiæ, quam opificia requirunt Exod. xxxi. 3. 4. A Dei solius benedictione successus omnis operis dependet Psalm. cxxvii. 1. Illum ergo precibus piis propitium habere

qua-

quærant. Quando manus laborant, mens sæpe altius evehi occultisque suspiriis cum Deo se unire potest. Ita agentes exemplo Christi, Apostolorum aliorumque Sanctorum, qui *Artes manuarias* sancte exercuerunt, incitari atque recreari possunt.

XLI. AGRICOLÆ ad rationem vitæ primigeneam & paradisiacam sunt vocati Gen. II. 15. Eo magis se submittant patienter maledictioni, quam peccatum invexit Gen. III. 17--19. Benedictionem divinam agnoscant omnis *fertilitatis* terræ caussam esse, quam Deus promisit in favore suo fœderatis suis Deut. XXVIII. 2--5. Non ergo a suo labore, sed a sola gratia divina successum operis sui derivent Marc. IV. 26--29. Ab illa cum exspectent Jac. V. 7. Et quando munificentiam Dei experti sunt, ab omni carnali securitate sibi caveant Luc XII. 16--20. Vestigia Patriarcharum, qui ex agri proventu vixerunt, premant. Attendant denique ad tot miranda Dei in natura opera, ut per ea identidem ad magnitudinem Creatoris agnoscendam & ad analogiam, quæ inter opera naturæ & gratiæ intercedit, meditandam incitentur.

XLII. NAUTAS, quo magis in periculo mortis multiplici versantur, eo magis timori Dei deditos esse oportet. In mari videntes magnalia Dei per ea excitentur identidem ad laudandum Jehovam Ps. CVII. 23. 24. CXLVIII. 7. Omnipræsentiam Dei etiam in remotissimis mundi angulis jugiter meditentur Ps. CXXXIX. Quando tempestates ingruunt, ad Dominum sincere confugiant Matth. VIII. 24. 25. Jon. I. 6. Quoties ex ma-

gnis periculis sospites evaserunt, Deo vota sua fideliter persolvant Ps. cvii. 25—32.

XLIII. Milites *ab omni re mala abstinere* Deus jubet Deut. xxiii. 9. Latissime hoc debet extendi ad quæcunque vitia, quibus vita militaris plus, quam aliæ functiones, exposita est. Ratio fortissima vs. 14. a *præsentia Domini* in castris petitur. Timor sane mortis, cui militia est exposita, non *temeritate* sed timore Domini est tollendus. Fortes decet esse belligerantes. Sed illa demum vera est fortitudo, quæ conscientiam amoris Dei, a quo nec mors nec vita separare potest, pro fundamento habet. In genere *pietatem* discant a Cornelio Act. x. 2. 7. *Disciplinam* observent atque obedientiam strictissimam erga superiores observent Matth. viii. 9. Stipendio suo contenti sint Luc. xiii. 14. In aciem prodeuntes non in armis aut in brachio carnis, sed in solo Domini auxilio confidant 2. Chron. xx. 12. 17. Non inhient prædæ. Non agantur odio personarum. Hostibus etiam fidem ac veritatem illibatam conservent. Neque in devictos quicquam crudeliter aut ab humanitate alienum committant. Ipsis *arboribus* Dominus ut parcatur, jubet Deut. xx. 19. Quanto immanius esset in homines sævire, & afflictis afflictionem addere?

XLIV. Postremum in Republica agmen claudunt Paupere s. Illi onus panpertatis sua propter voluntatem Domini patienter ferant 1. Sam. ii. 7. Quo magis Bonis temporalibus sunt destituti, eo magis *Bona cœlestia* quærant. Abominentur eapropter omnia media vetita rem facien-

faciendi. Neque pudore intempestivo nimium inopiam suam tegant, neque impudentia ignaviave indecora aliis graves sint. Et cum aliter Reipublicæ prodesse nequeant, *precibus* pro communi salute tempus viresque suas impendant. Benefactoribus autem suis gratos se exhibeant, atque eorum salutem æternam, quibus corporis eorum cura est demandata, ardentibus suspiriis a Deo efflagitent.

CAPVT QVARTUM.

De Communione Oeconomica, *& officiis, quæ illa* Conjugibus, Parentibus, Liberis, Propinquis, Heris & Servis, *præscribit.*

ARGUMENTUM.

Post generalem capitis divisionem §. 1. *agitur*
I. *De* vinculo naturali 2---35. *eoque triplici*
A. CONJUGUM 2---19.
1. Fundamenta *obligationis eorum indicantur* 2. 3.
2. Obligationes *ipsæ enumeraneur* 4---19.
a. Personarum *contrahentium requisita* 4---8.

α. *Generalia* 4. 5.
א. Monogamia 4.
ב. Gradus permissi 5.
β. *Specialia* 6---8.
b. Officia *ipsa* 9---19. *observanda*
α. *In* matrimonio contrahendo 9--11.
β. *In ejus* conservatione 12---16.
א. *Communia sub nomine* Amoris conjugalis 12---14.
ב. *Particularia* 15. 16. *quæ competunt*
a. Marito 15.
b. Uxori 16.
γ. *In ejus* dissolutione 17---19.
א. *Inter* vivos 17. 18.
ב. *Per* mortem 19.
B. PARENTUM & LIBERORUM 20--30.
1. Fundamentum *obligationis* 20.
2. Obligationes *ipsæ* 21---30.
a. *A parte* Parentum 21---25.
α. *Officia ipsa recensentur* 21---24. *considerata sub schesi* Dominii
א. Sancti 21---23.
ב. Æqui ac benigni 24.
β. *Momentum eorum urgetur* 25.
b. *A parte* Liberorum 26---30.
α. *Officia recensentur* 26---29.
א. Honor 26---28.
ב. Amor 29.
β. *Vincula obligantia adduntur* 30.
C. PROPINQUORUM 31---35.

1. In

1. *In* linea ascendente 31. 32.
2. *In* linea collaterali 33---35.
a. Fratrum & sororum 33. 34.
b. *Reliquorum* Cognatorum 35.
II. *De* vinculo libero *inter* HEROS & SERVOS 36---42. *Ubi*
A. *De* Dominio Herili 36---39.
1. *Fundamentum ejus indicatur* 36.
2. *Officia recensentur* 37. 38.
3. *Argumenta obstringentia adduntur* 39.
B. *De* obsequio Servili 40---42. *quod*
1. *Describitur* 40---41.
2. *Argumentis adstruitur* 42.

I.

Bono *publico* Reipublicæ subordinatum est Bonum *privatum* FAMILIARUM, ex quibus Civitates coalescunt. Cum autem illæ ex diversis personarum generibus constent, inde variæ novæ *Relationes* nascuntur, hoc ordine recensendæ, ut a *propinquioribus* ad *remotiores* pergamus Ad priores pertinent vincula *naturalia*, quæ tum inter *Maritos* & *Uxores*, tum inter *Parentes* & *Liberos*, tum inter reliquos *Cognatos* nexa sunt. Ad *posteriores* referimus *Obligationes* inter *Heros* & *Servos* observandas.

II. Omnium antiquissimum proximumque Vinculum est, quod Creator statim a rerum initio inter CONJUGES posuit. Supponimus hic MATRIMONIUM non solum esse licitum, sed etiam statum a Deo *institutum* & naturæ hominis ita convenientem, ut in se consideratus *Cœlibatu*

sit perfectior. Sic sane se res habuisset, si homo non fuisset lapsus. Per peccatum autem contigit, ut aliquando *Cœlibatus Matrimonio* sit præferendus, aliquando autem *Conjugium* absolute sit necessarium 1. Cor. VII. 1. 2. 7. 8. 9.

III. Deus, qui Matrimonium instituit, sanctas eidem *Leges* panxit. Illæ ex *Fine* ejus sunt deducendæ. *Primarius* Matrimonii ante lapsum scopus erat *quæsitio Seminis Dei* Mal. II. 15. *Per accidens* post lapsum accessit *mutuum adjutorium & tentationum evitatio.* Convenienter his Finibus, ac præsertim primario, tum de *personis* contrahentibus, tum de *officiis* earum erit despiciendum.

IV. In *Personis contrahentibus* præter *qualitates physicas* ad Conjugium requisitas, *qualitates* quædam *morales* æque tum *generales* tum *speciales* requiruntur. Ad priores *primo* pertinet, ut *unus* vir *uni* fœminæ jungatur, quo pacto omnis tam *Polygamia*, quam *Concubinatus* e Republica Christiana proscribitur. Sic primævam institutionem explicuit Servator Matth. XIX. 4. 5. 9. Ipsum dictamen conscientiæ huic veritati favet, quod non solum *a posteriori* per experientiam ostendit, quam salutaris hæc Dei institutio generi humano sit; sed etiam a *priori* docet, eos, qui *una caro* sunt, reciproco in se invicem possessionis jure gaudere. Sicut ergo corpus uxoris est peculium Viri, ita etiam corpus Viri est peculium uxoris 1. Cor. VII. 4. Exempla Patriarcharum non debemus *imitari* sed *excusare*, tanquam ex imprudenti prolis desiderio prognata. Sed directe quoque vituperanda Regum *Davidis* ac *Salomo-*

monis exempla, tanquam expressæ Legi divinæ contraria Deut. XVII. 17.

V. Porro GRADUS consanguinitatis & affinitatis *Incestui* oppositi observari debent, prout illi Levit. XVIII. & XX. sunt explicati. Magna tamen hic distinctio requiritur inter Gradus in linea *recta* & in linea *collaterali*. Priores ipso *jure naturæ* sunt vetiti, posteriores jure duntaxat *positivo*. In prima enim origine, ut fratres & sorores conjugium inirent, necessarium fuit. Generale fundamentum Graduum est *proximitas sanguinis*, unde infertur, quod Leges a Mose consignatæ ad gradus æquales non expressos etiam extendendæ sint. Quoad lineam tamen *rectam* accedit reverentia *Paternitatis*, quam *descendentes adscendentibus* debent.

VI. *Specialius* autem & earum *qualitatum* habenda est ratio, per quas tam *hujus*, quam *futuræ* vitæ felicitas promoveri potest. Hujus vitæ prosperitas non parum inde dependet:

(1) Ut tibi jungas, quantum circumstantiæ permittunt, *æqualem*, tam *annis*, quam *conditione* vitæ, *divitiis*, *educatione*, *moribus* Luc. I. 7. 1. Sam. XVIII. 23. In quibusdam tamen casibus conditionis inæqualitas, qualis v. gr. obtinet in matrimoniis ad *morganaticam*, non potest simpliciter rejici.

(2) Ut pars, quam tibi eligis, bona fama gaudeat Prov. XV. 30. XXII. 1. Ruth. III. 11.

(3) Ut magis semper internas *animi*, quam externas *corporis* dotes requiras. Quid sit *pulchritudo* absque sapientia & virtute, docetur Prov. XI. 22.

22. xxxi. 30. Neque *divitiæ* & *nobilitas* plus tranquillitatis dare queunt.

(4) Prudentia tamen requirit, ut inopiæ in futurum præcaveatur; unde non facile probanda sunt conjugia eorum, qui sibi invicem de alimonia prospicere nequeunt.

VII. Ne vera animæ beatitudo detrimentum capiat, Conjugium non ineatur nisi inter personas ejusdem *Religionis veræ*, aut saltem in *Fundamento fidei* convenientes, exclusis matrimoniis *idololatricis* & *Antichristianis*.

(1) Deus Conjugia cum *idololatris* exserte prohibuit Deut vii. 3.

(2) Ira Dei per illa provocatur, uti patet ex mundi antediluviani exemplo Gen. vi. 2. 3. Hinc zelus Esræ & Nehemiæ ortus est Esr. ix. 2. 3. x. 2. 3. Nehem. xiii. 25--27.

(3) Non possunt aliter *in Domino* conjugium inire.

(4) Fructus pessimos talia matrimonia ferunt. *Seductioni* enim periculosissimæ janua aperitur 1. Reg xi. 2. 4. Nec tantum anima conjugis sed etiam liberorum periculo maximo exponitur 2. Chron. xxi. 3. Et quamvis utrumque providentia divina impedire velit, animorum tamen harmonia adesse nequit: sed nec adesse debet 2. Cor. vi. 13--16.

VIII. Optima sunt Conjugia inter tales, qui præter animorum & externæ Confessionis unionem simul *Communionis Sanctorum* participes sunt, uti Abrahamus & Sara, Isaacus & Rebecca, Zacharias & Elisabetha, Priscilla & Aquila Rom. xvi. 3. Vix sane potest comprehendi, quomodo tener-

tenerrimus ille affectus, qui conjugatos unit, in anima fideli suboriri queat erga personam, quam ejusdem dilectionis Domini esse participem saltem sperare non licet. Temerariam autem eorum spem esse, qui confidunt, quod instrumenta esse queant conversionis aliorum, tristis experientia docet.

IX. FOEDUS CONJUGALE, quod inter tales personas erigitur, latissime patet. Ad tres classes *officia*, quæ involvit, referimus. Alia enim circa ejus *coalitionem*, alia circa ejus *conservationem*, alia circa ejus *dissolutionem* observanda sunt.

X. Ad *Coalitionem* spectat *præparatio*. Illa est vel *remotior* vel *propinquior*. *Remotior* requirit

(1) Ut auxilium atque ductus Domini seriis precibus imploretur Gen. XXIV. 2. XXVIII. 3. 4. præsertim quia conjux prudens inter dona divina adnumeratur Prov. XIX. 14. Digitus quoque Dei in hoc negotio efficaciter solet apparere Gen. XXIV. 50.

(2) Ut prudentia affectuum impetum cohibeat, ne per illos a debita circumstantiarum exploratione impediamur.

(3) Ut *consilium* amicorum spectatæ prudentiæ & fidelitatis ac sigillatim *Parentum* in medium adhibeatur. His enim id muneris, ut liberis tempestive de matrimonio prospiciant, est demandatum Deut. VII. 3. Jerem. XXIX. 6. Idem confirmant exempla piorum Isaaci Gen. XXIV. Jacobi Gen. XXVIII. 1. Simsonis Jud. XIV. 5. Quare Pontificii impie hunc ordinem divinum per *vota humana* infringunt.

XI. *Præparatio propinquior* comprehendit

(1) *Dispensationem*, quæ in populo Dei quodam tempore honestatis caussa ipsas nuptias præcessit, uti liquet vel ex ipsius Matris Domini nostri exemplo Luc. 1, 27. In illa de *Dote* æqua disponendum est. Abinde Relatio propinquior inter *Sponsum* ac *Sponsam* incipit, ut animi paulatim *casto amore* coalescant. Eo magis autem in illa Relatione puritati ac pudori litabunt piæ animæ, quoniam Statum *Desponsationis* Scriptura sigillatim in symbolum casti Amoris Christi & Ecclesiæ adhibere solet.

(2) *Copulam*, quæ apud Christianos passim *Benedictione Pastorali* solet confirmari. Quamvis enim illa de essentia Matrimonii non sit, negari tamen nequit, quod decorem huic actui conciliet, & quod pulcherrimam ansam Statum hunc ab invocatione nominis divini inchoandi exhibeat. Obicem etiam ponit *Matrimonia clandestina*, quæ parum a concubinatu differunt.

(3) *Nuptias*, quæ ab antiquitate omni lætitia & conviviis celebratæ fuerunt, uti liquet ex Jacobi, Simsonis & aliorum exemplo Gen. XXIX. 22. Jud. IV. 11. 12. Ipse Servator nuptias præsentia sua honoravit Joh. II, 2. In illis tamen modestiæ ac temperantiæ Leges eo magis sunt observandæ, quoniam Conjugium per *Preces* inchoandum, & nihil inauspicatius esset, quam statim sub ejus initiis iram Dei luxu, crapula, ebrietate, lascivis tripudiis, aliisque peccatis provocare velle.

XII. *Officiorum*, per quæ vinculum conjugale conservatur, alia Viro & Uxori *communia* sunt, alia

alia *singulis* competunt. Priora comprehendit AMOR CONJUGALIS Eph. v. 28. 29. 1. Cor. VII. 33. 34. Ille autem per naturam suam est tenerrimus 2. Sam. 1. 26. Omnia quoque alia vincula solvit Gen. 11. 24. Ps. XLV. 11. Hinc *uxor sinus mariti* & *maritus sinus uxoris* alternant Deut. XXVIII. 54. 56. Et in emblema vehementissimi amoris inter Christum & Ecclesiam hic amor ponitur Cant: VIII. 6. 7. Quare etiam talibus actionibus demonstrari debet, quibus Conjuges reciproce tam *temporalem* quam *æternam* alterutrius salutem promovere incumbit Prov. XXXI. 12.

XIII. Ad promotionem *salutis temporalis* spectat;

(1) Ut *pacifice* & blande absque rixa cohabitent 1. Petr. III. 7. Prov. XXXI. 12.

(2) Ut *fidem* sibi invicem datam intaminatam conservent Hebr. XIII. 4.

(3) Ut officium *conjugale* sibi invicem præstent 1. Cor. VII. 5. sq. idque ἐν ἁγιασμῷ καὶ τιμῇ 1. Thess. IV. 4.

(4) Ut patienter imbecillitates suas invicem tolerent exemplo Abigaëlis 1. Sam. XXV. 31. 1. Petr. III. 7.

(5) Ut primis affectuum contrariorum motibus resistant, quos inter eminet *Zelotypia*, multorum malorum scaturigo Prov. VI. 34. 35. Cavendum tamen etiam, ne alterutra pars affectui huic suspicionis justæ ansam suppeditet.

XIV. Multo magis promotio *salutis æternæ* cordi esse debet, absque qua vinculum Matrimonii vero

vero fine destituitur ac brevissimæ durationis est Luc. XVII. 34.

(1) Ubi alterutra pars nondum est regenita, tempestivis admonitionibus, precibus, exemplo alteram lucrari quærat 1. Cor. VII. 12. 13. 1. Petr. III. 1. 2.

(2) Ubi utrique Conjugi gratia jam facta est, tanquam *cohæredes gratiæ vitæ* 1. Petr. III. 7. cohabitantes, quicquid incrementum gratiæ impedire ac tentationibus exponere potest, a se invicem avertant, & media opus Domini promoventia sibi mutuo præstent 1. Cor. VII. 5.

XV. Officia MARITI particularis pertinent ad exercitium *Dominii Maritalis*, quod per lapsum hominis rigorem quendam adeptum est, quo antea carebat Gen. III. 16. Unde in ipso N. T. vigorem conservat 1. Cor. XI. 3. 1. Tim. II. 13. 14. Nihilominus administratio ejus debet esse:

(1) *Sancta*, in *Domino*, nihil, nisi quod Legi divinæ congruit, exigens, ad exemplar Dominii Christi in Ecclesiam composita Eph. V. 22—24.

(2) *Æqua* ac conveniens imbecillitati Uxoris 1. Petr. III. 7. quod involvit

(a) Blandam *familiaritatem* procul omni asperitate ac supercilio Col. III. 19.

(b) *Curam* de necessariis hujus vitæ ei prospiciendis Ephes. v. 28. 29. Illa etiam eousque extendatur, ut uxor vel defuncto marito honeste placideque vitam agere queat.

(c) *Protectionem* ab injuriis secundum exemplum Jacobi Gen. XXXII. 13. sq. Davidis

S

Sam. xxx. 3. sq. & ipsius Christi Ephes. v. 23.

(d) *Correctionem* cum lenitate conjunctam, quæ tum quoque requiritur, quum aspera & rixosa est uxor, ac consilia placida respuit.

XVI. UXOREM vicissim decet huic ordini se subjicere per *obedientiam* 1. Tim. II. 12. 1. Petr. III. 5. 6. Est autem hæc obedientia

(1) Partim *activa* officia subjectionis hujus implens:

(a) Interne in *animo reverentiam* erga Maritum fovendo Ephes. v. 33. quæ signis etiam declaranda.

(b) *Institutioni* ejus se subjiciendo 1. Cor. XIV. 35.

(c) In subordinatione sub Marito *rem familiarem* sedulo ac fideliter administrando Tit. II. 4. 5. Ephes. v. 14.

(2) Partim *passiva*, quæ se submittit propter Deum.

(a) Omnibus illis incommodis atque afflictionibus, quibus sexus fœmineus per naturam conjugii magis est expositus 1. Tim. II. 15.

(b) Duriori Mariti dominio, tacendo ac ferendo, quamdiu ipsa vita aut salus animæ in periculum non adducitur.

XVII. *Dissolutio* matrimonii fit aut per *violationem* vinculi conjugalis, aut per *mortem*. Prior est aut *totalis* aut *partialis*. *Totalis* non est præscripta nisi in solo *casu adulterii* Matth. XIX. 3. 4. 9. Videntur quidem & alii casus esse permissi Deut. XIX. 4. sq. Verum ex verborum tenore patet, illos casus non permitti sed nude supponi.

poni. Et id est, quod Servator Matth. XIX. 8 innuit.

XVIII. *Partialis* obtinet in *malitiosa desertione*, quam quidam Viri graves pro *totali* habent, fal- tem in quibusdam casibus v. gr. ubi pars deser ob disparem Religionem patitur. Verum e Scriprura id definiri nequit, quamvis ad 1. Cor VII. 15. provocetur. Apostolus enim illic non nisi de *separatione* in genere loquitur.

XIX. Vinculo autem per *mortem* rupto red duæ parti in nova vota transire integrum e Rom. VII. 2. 3. 1. Cor. VII. 39. 1. Tim. V. 11 Superstitionis ergo fuit, quæ a *Montanistis* a quosdam Ecclesiæ Patres transiit ex male explic to loco 1. Tim. III. 1. *iteratas* Clericorum damna re nuptias.

XX. Matrimonii vinculum per liberorum procreationem origo est variarum relationum quas inter proxima est, inter PARENTES LIBEROS. Propter eam illis *Dominium* his *obsequium* incumbit. Relationis hujus fundamen tum atque scopus est *pia educatio* prolis *ad gloriam Dei.*

(1) Hoc convenit cum scopo, in quem Deus per conjugium *multiplicari* genus humanum vo luit, & quem homo rectus sibi proponeba *quærens semen Dei* Mal. II.

(2) Hoc requirit non solum *infirma* per na turam, sed etiam *miserrima* per peccatum con ditio, in qua omnes liberi nascuntur.

XXI. Scopo huic a parte PARENTUM con gruum est *exercitium sanctum* & *æquum* Domi ipsis competentis. Ad *sanctitatem* referimus,

non solum a vera pietate non impediant, nihilque Legi divinæ contrarium imponant, sed etiam *Educationem* universam ad timorem Domini suis instillandum dirigant. Talis autem Educatio præter ardentes *preces*, & accuratum virtutis *exemplar* requirit tum directe *Disciplinam* tanto fini congruam, tum indirecte *media* quædam, quæ eo faciunt, ut Disciplina illa salutarem effectum assequatur.

XXII. *Disciplina*, Παιδεία, quæ liberis debetur, comprehendit *institutionem* & *correctionem*.

(1) Ante omnia liberi a teneris *instituantur* in viis ac Lege Dei, adjunctis seriis ad verum Timorem ejus admonitionibus Gen. XVIII. 19. Deut. VI. 6. 7. Prov. IV. 3. 4. XXII. 6. Ps. LXXVIII. 3–6. ‚Parentibus autem ipsis capacitate debita destitutis, eo magis de aptis Magistris erit prospiciendum.

(2) Accedat *correctio tum* ad concupiscentias prævalentes attendendo, iisque mature obicem ponendo: *tum* graviter immorigerorum vitia *reprehendendo*: *tum* occasiones peccandi, mala consortia, luxum in vestitu, otium nimium &c. *præscindendo*, Sirac. XXVI. 13. XLII. 11. tum aliquando etiam severe *castigando* Hebr. XII. Prov. XIII. 24. XXII. 15. XXIII. 13. 14. Omissio hujus officii per nimiam conniventiam atque lenitatem, quam exosa sit Deo, Eli expertus est 1. Sam. II. 24.

XXIII. Ut eo magis liberi ad gloriam Dei adaptentur, externa quoque eorum prosperitas pro virili promoveatur.

(1)

(1) Statim a nativitate *misericordia matris* laudatur Jes. XL. x. 16. quæ in lactando, aliisque molestiis, quas teneræ ætatis imbecillitas affert, exercenda erit.

(2) Mature ad frugalitatem ac laborem corpus infantum est adsuescendum.

(3) Certæ vitæ functioni, quæ *inclinationi* atque *viribus* liberorum convenit, sunt applicandi; qui ingenio pollent, *studiis*, qui destituti sunt, *opificiis*.

(4) De alimentis necessariis iisdem prospiciendum Matth. VII. 9. 1. Tim. v. 8. etiam, quantum per providentiam divinam permissum est, in futurum 2. Cor. XII. 14.

(5) Protectionem ab imminentibus periculis Parentes liberis debent exemplo Jacobi Gen. XLIV. 3.

(6) Curam singularem requirit prospectio liberorum de matrimonio Jerem. XXIX. 6. 1. Cor. VII. 36. Illa licet *matri* in Jure civili adimatur, in sacris tamen tribuitur Gen. XXVII. 46. Jud. XIV. 2.

XXIV. *Æquitas* exigit, ut exercitium Dominii paterni cum *benignitate* & *indulgentia* sit conjunctum. Ea fini.

(1) Evitanda nimia *asperitas* tam in *animo*, quod esset ἀγοργία, quam in *verbis* & *gestibus* Prov. XIX. 18. Ephes. VI. 4. Col. III. 21. Quin potius aliquando ad minores lapsus connivendum, *præmiolis* quibusdam diligentia provocanda, *recreationes* concedendæ; si duntaxat sollicita accedat cura, ne exorbitationes atque abusus inde nascantur.

(2) Re-

(2) Requirit hoc Dominium suos limites. Jugum difficilioribus postulatis præter necessitatem non aggravetur. *Ætatis* ac *dignitatis* liberorum quoque habeatur ratio. *Coactio* præcipue in binis casibus, in *Votis religiosis*, contra praxin Pontificiorum, & in *conjugus ineundis* maximopere est improbanda.

XXV. Maximi momenti officia hæc sunt.

(1) *Parentes* obstricti sunt ad occasionem, quam habent per liberorum suorum institutionem ad Regnum Dei amplificandum, avide apprehendendam.

(2) Liberi sunt *donum Dei*; adeoque illi reddi debent. Hinc primogeniti in Templo offerendi a Parentibus olim erant.

(3) Non possunt aliter liberos suos pro *donis divinis* habere Ps. CXXVII. 3. 4. Prov. XXIII 24. 25.

(4) *Misericordia* est proprius Parentum affectus Ps. CIII. 13. Maximum autem misericordiæ objectum esse debet miseria ac periculum, in quo liberi versantur, quamdiu adhuc semen serpentis ac filii Diaboli sunt.

(5) Egregia sunt exempla Abrahami Gen. XVII. 18. Parentum Servatoris nostri Luc. II. 22. 41. Eunicæ & Loïdis 2. Tim. 1. 5.

XXVI. Officia LIBERORUM Legislator sub verbo כבד, *Honorare*, exprimere voluit. Cum autem latissime illud pateat, hic notandum, quid sit HONOR FILIALIS? Ille quoad *objectum Matri* æque ac *Patri* debetur Levit. XIX. 3. In circumstantiis tamen quibusdam Patri primus locus competit. Quoad *actum* autem *profundam*

reverentiam, sed *cum amore tenerrimo* conjunctam involvit.

XXVII. *Reverentia* in corde debet radicem habere, & eatenus consistit in *agnitione excellentiæ*, quam Deus Parentibus præ liberis concessit. Animi sensus externis *signis* est declarandus:

(1) Per *honoris* eorum, præcipue absentium, ubi ille proscinditur, legitimam *defensionem*. Quo etiam spectat, ut eorum nævos non cum *Cham* revelemus, sed cum *Semo* & *Japheto* verecunde tegamus. Sirac. III. 11--14.

(2) Per verba ac *gestus venerabundos*, exemplo Josephi Gen. XLV. 11. 12. & Salomonis 1 Reg. 21. 16.

(3) Per *obedientiam* actu præstandam Ephes. VI. 1. Prov. XXIII. 22.

XXVII. *Obedientia*, quæ illis debetur, tam *activa*, quam *passiva* est.

(1) *Obedientia activa* se extendit etiam ad *præcepta* difficiliora. Hinc ad *omnia* extenditur Col. III. 22. Laudantur in hanc rem exempla Isaaci Gen. XXII. & Rechabitarum Jerem. XXXV. Ut tamen abusus illorum caveatur, notandum est *Isaacum* non tam Abrahamo, quam divinæ revelationi paruisse; *Rechabitarum* autem obedientiam relationem peculiarem ad Oeconomiam V. T. habuisse. Semper autem hæc obedientia limitata est ad illa, quæ præcepto divino non repugnant. Eph. VI. 1. dicitur *in Domino*. Adde Deut. XXXII. 1. 9. Matth. X. 37.

(2) *Obedientia passiva* exercetur per *subjectionem* sub *castigationibus* atque *reprehensionibus* Parentum; quæ etiam tum præstanda, quando justam mer-

ſuram videntur excedere, quoniam *patienter* eorum imbecillitates ferri debent.

XXIX. AMOR FILIALIS, στοργὴ, tenerrimus præ aliis eſt, propter vinculum naturæ, per quod liberi pars Parentum ſunt. Ille exercendus

(1) Quoad *animam Parentum* precibus ardentibus Deo commendandam. Aliquando quoad Parentes irregenitos aut contra mandatum Dei impingentes accedere debent piæ *admonitiones*, ſed cum humilitate, prudentia, lenitate ſingulari proponendæ.

(2) Quoad *externum* vinculum carnis & ſanguinis, amor hic involvit

(a) Ut Parentibus pro virili ea præſtentur, quibus liberi ipſis gratificari poſſunt. Id Iſaacus deſiderabat ab Eſavo Gen. XXVII. 4.

(b) Ut ipſorum commoda promoveamus & damnum avertamus Prov. XXVIII. 24.

(c) Ut eorum neceſſitatibus, præſertim in ſenectute, morbo, paupertate conſulamus; neque eos fraudemus debita alimentatione, ne quidem ſub religionis prætextu Matth. XV. 4--6.

XXX. Fortiſſima ſunt horum officiorum vincula.

(1) Legislator momentum eorum oſtendit, dum primum inter præcepta ſecundæ tabulæ locum, addita luculenta promiſſione, ei conceſſit Epheſ. VI. 2. 3. Adde Prov. I. 8. 9. Eccleſ. III. 30.

(2) Neglectus eorum inter ſumma ſcelera adnumeratur Ezech XXII. 7. Mich. VII. 6.

(3) Graviſſima ſupplicia dictantur præcepti

hujus transgressoribus tam *temporalia* quam *æterna* Exod. XXI. 15. 17. Levit. XX. 9. Deut. XXVII. 16. Prov. XXX. 17.

(4) Postulant id summa beneficia, quæ Parentum instrumento liberis conceduntur 1. Tim. v. 5. Obligatio hæc ingeminatur quoad Parentes pios, & adhuc magis quoad eos, quibus mediantibus liberi vere ad Deum sunt conversi.

(5) Exempla Sanctorum ac præcipue Servatoris nostri tum in vitæ initio, tum in ejus fine Luc. II. 51. Joh XIX. 27.

XXXI. Sunt quoque aliæ personæ in familiis privatis, quæ de eodem cum Parentibus honore per vinculum naturæ participant, v. gr. *Avus* & *Avia*, *Socer* & *Socrus*, & aliquando *Majores* longius distantes Gen. I. 10. Hi sicut ad paria officia amoris nepotibus liberisve acquisitis obligati sunt Gen. XXX. 13. XLVI. 7. ita & paria ab illis exspectant, Ruth. I. 16. 17. absque præjudicio tamen *Parentum*, quamdiu in vivis supersunt. Irreverentia avi Noachi in *Canaanem* maledictionem gravissimam provocavit Gen. IX. 25.

XXXII. In Parentum defunctorum locum succedunt non solum *Vitrici* & *Novercæ*, sed etiam *Tutores*, quorum relationem ad *pupillos* historia *Mardochæi* & *Esthcræ* eleganter illustrat. Hos curæ singulari, præcipue *Magistratus*, commendat verbum Dei Exod. XXII. 22--24. Deut. XXVII. 19. Psalm. LXXXII. 3. Unde ratio eorum magis *politica* esse videtur. Cum tamen ex cognatis, ubi illi in promtu sunt, potissimum sumendi, & *pupillorum* ad illos filialis sit respectus, hic eos silentio transire noluimus.

XXXIII.

XXXIII. Porro ex matrimonio gignitur relatio inter FRATRES & SORORES. Hos ante omnia *concordiam* sectari fas est. Ad illam conservandam cavenda maxime est *invidia*. Officia autem, quæ *Amor fraternus* involvit, potissima sunt:

(1) Curam *fratrum* habere, secus ac Cainus Gen. IV. 9. Illa extendi debet ad ipsam *animam*, ne *dives epulo* contra nos testetur Luc. XVI. 28. Quoad *corpus* itidem requiritur non solum familiaris suavisque convictus, sed etiam ut egentibus alimenta subministrentur, exemplo Josephi ac Davidis: non exclusis vel *exhæredatis* ac *spuriis*.

(2) Facilem se exhibere circa offensas fratrum spernendas aut remittendas Gen. L. 17--21. Idem supponitur Matth. XVIII. 21. 22.

XXXIV. Argumenta id persuadentia ex ore Cyri eleganter profert Pædag. Lib. VIII. *Qui eodem semine prognati, ab eadem nutriti Matre, in eadem domo creverunt, & ab iisdem Parentibus diliguntur, eundemque Patrem & eandem Matrem appellant, qui fieri possit, ut non omnium sint conjunctissimi?* Sed adhuc plus Christianum persuadebit doctrina Evangelii:

(1) Quod *Deo pacis* id impense charum sit, uti declaratur Ps. CXXXIII. 1.

(2) Quod *Concordia fraterna* sit symbolum communionis sanctissimæ, tum Christi tanquam Primogeniti cum fidelibus, tum fidelium inter se

(3) Quod Scriptura *odia fraterna* tanquam turpissima depingat Prov. XVIII. 19. Jerem. IX. 4. Ps. L. 20. Summum turpitudinis gradum illa

attingunt, quando odium illud propter pietatem exercetur, exemplo Caini Gen. IV. & Ismaelis Gen. XXI. & fratrum Josephi Gen. XXXVII. quorum vestigia persecutores in N. T. premunt Matth. X. 21.

XXXV. Distant quidem ulterius tam *Cognati* quam *Agnati* & *Affines*, quive ex eadem *prosapia* orti. Sed Scriptura illos sub nomine *Fratrum* solet comprehendere Gen. XXXI. 23. 25. 37. Levit. X. 4. Jud. XVI. 31. Ezr. III. 2. Job. XLII. 31. Matth. XII. 46--48. Rom. IX. 3. &c. ut nempe edoceat, paria pro graduum ratione omnibus esse præstanda; quo etiam loca citata collimant. Et quidni, quicquid *Proximo* debetur, illis exhibendum esse ante reliquos, qui inter Proximos propinquiores nobis sunt?

XXXVI. Alter ramus *obligationis Oeconomicæ* comprehendit officia inter Heros & Servos observanda. Circa *Fundamentum* Dominii Herilis notari debet:

(1) Quod relatio hæc ex peccato ortum trahat.

(2) Quod supponat *pactum* inter Dominum ac servum, unde omnia commercia, quibus *inviti* emuntur, venduntur ve homines, illicita sunt.

(3) Quod *finis* ejus sit, ut discrimen, quod Providentia Dei inter *divites* & *egenos* fecit, ad communem Societatis salutem vergat.

(4) Hoc supposito relatio illa nihil iniqui habet, Deoque ipsi est probata, uti docent exempla Abrahami & Sanctorum servos alentium, ac Leges, quibus illa est circumscripta. Accedit quod

quod subordinatio politica absque hac domestica subsistere non posset.

XXXVII. Quod attinet Officia *Heris* præscripta, ante omnia illis incumbit, curam *animarum* & media ad institutionem in via salutis necessaria præstare, bonoque exemplo illis præire. Hinc ad illos extensum mandatum circumcisionis Gen. XVII. 13. Idem clare involvunr præcepta Eph. IV. 9. Col. IV. 1. Mali sane Dominorum mores animæ servorum pernicioſi sunt. Maxime cum servis piis secundum leges communionis sanctorum agendum est Philem. vs. 15 -- 17.

XXXVIII. Proximum est, ut *Dominium* ipsum æquanimiter exerceatur:

(1) In labore servis & ancillis imponendo, *ne illis tanquam jumentis abutantur* juxta *Senecam* Epist. 47. quo respicit *remissio a labore*, quam Legislator in Sabbati institutione iis prospexit.

(2) In compensatione tum *mercedis* tum *pœnæ*.

(a) Ad *mercedem* ante omnia requiritur *procuratio alimentorum* Prov. XXXI. 15. 1. Tim. 5. 8. Porro ea mercede, quam pacti sunt, nulla ratione sunt fraudandi Deut. XXIV. 14. 15. Levit. XIX. 13. Jac. V. 4. Humaniter etiam illos, qui officio suo funguntur, tractandos esse, submonetur Sirac. IV. 35. Curæ circa ægrotos exemplum legitur Matth. VIII. 6.

(b) *Pœna* aliquando in contumaces exerceri potest, verbis tamen non ad exasperandum sed ad corrigendum idoneis. Nihil aptius hic est ad temperandam iram, quam reminiscentia, quod *Dominum in cœlis* habeamus, Eph. VI. 9. qui nisi lon-

longanimitate circa nos uteretur, actum nobiscum esset. Quare & ad remittendum prona esse debemus. Hoc innititur Matth. XVIII. 32--34.

XXXIX. Incentiva ad hæc officia sunt:

(1) Gratiæ Deo habendæ, quod in conditione *herili*, quæ tanto est commodior, collocaverit.

(2) *Æqualitas* sortis omnium hominum est penſitanda, per quam *liberi* æque ac *servi* ab eodem Judice mundi absque ulla propolepsia judicabuntur Apoc. VI. 15. Illa sigillatim sub Nov. Test. obtinet, in quo *servi* pari jure cum *heris* circa bona per Christum acquisita gaudent Gal. III. 28.

(3) *Humilitas*, *patientia*, *æquitas*, virtutes ad essentiam sanctimoniæ veræ pertinentes, circa servos quoque debent exerceri.

(4) Deus tanquam summus Δεσπότης benignus cum *servis* tam *typicis*, Sacerdotibus Vet Testam. quam spiritualibus, quales sunt omnes fideles, agens, exemplum dedit omnibus Heris imitandum.

XL. Qui *servi* sunt, merito libertatem anhelant 1. Cor. VII. 21. Unde non facile putem integrum esse Christiano, ut in perpetuam servitutem se cuiquam addicat. Exemplum typicum *servi Hebræi* huc non pertinet. Quamdiu autem Providentia divina quendam *subjectum* *servumque* esse vult, tamdiu *fideliter* & congrue huic ordini se gerere debet. Quid eo pertineat, late explicant dicta Ephes. VI. 5. 6, 7. 8. Col. III. 22. 23.

1. Tim.

1. Tim. VI. 1. 2. Tit. 1. 9. 10. 1. Petr. 11. 18. 19.

XLI. Ex illis inter se collatis conficimus

(1) Quod tam *duris*, quam *bonis* Dominis officia Lege Dei præscriptá præstari debeant. Duplici autem reverentia præ aliis digni sunt Domini Deum timentes.

(2) Quod non solum *externa*, sed etiam *interna* officia circa illos requirantur.

(a) Ad interna spectat *reverentia*, *humilitas*, quod Apostolus appellat *cum timore & tremore* obedire, *simplicitas cordis*, id est sincerus amor, seu commodum Domini tam spirituale quam corporale promovendi studium, non habito respectu mercedis

(b) *Externe* jussa Dominorum *omnia* verbo Dei non repugnantia sunt expedienda, absque curiosa rationum inquisitione, aut contradictione, idque *fideliter*, exemplo Josephi in domo Potipharis, & *festinanter*, uti servi Centurionis Matth. VIII. 9. Quod si officio suo defuerint, culpam humiliter agnoscere ac deprecari debent Gen. XVI. 9.

(3) Quod interna limites obsequii humani, quos Lex Dei ponit, semper ob oculos versari debeant.

XLII. Ex iisdem locis argumenta talis subjectionis depromi possunt.

(1) Ut *blasphemia nominis* divini & *doctrinæ* præscindatur, quæ facile suboritur, quando veri fideles segnius his officiis defunguntur.

(2) Propter conscientiam, quia Providentia divina est agnoscenda, quæ sub illo ordine posuit.

(3) Quoniam, etiamsi *merces* apud homines decurtetur, apud Deum illam exspectare possunt, qui in futura vita dabit *retributionem hæreditatis*. Sed & in hac vita aliquando remuneratur fidelitatem suorum, quemadmodum afflictionem ac laborem manuum Jacobi respexit Genes. XXX. 42.

CAPVT QVINTVM.

De *Relatione* inter *Præceptores* & *Discipulos*.

SUMMARIUM.

I. Fundamentum *hujus relationis indicatur* §. 1. 2.
II. Relatio ipsa *describitur* 3 — 18.
A. *Quoad* animi cultum 3 — 17.
1. Officia DOCENTIUM 3 — 13.
a. *Enumerantur* 3 — 12.
α. *Requisita* generalia 3.
β. *Requisita* specialiora 4 — 12.
א. *Quoad* domesticam institutionem 4. 5.
ב. *Quoad* Scholas publicas 6 — 12.
a. *Earum* necessitas *urgetur* 6.
b. MAGISTRORUM *officia edisseruntur* 7 — 12.
α. *In* scholis infimis 8.
β. *In* ludis literariis 9.

c. In

c. *In* Academis 10--12.
b. *Argumentis confirmantur* 13.
2. *Officia eorum,* qui auxilium Magistris præstare debent 14.
3. *Officia* DISCENTIUM 15 --- 17.
a. *Enumerantur* 15. 16.
b. *Rationibus fulciuntur* 17.
B. *Quoad* exercitia corporis 18.

I.

Inter omnia media ad salutem tam publicam quam privatam corporis æque ac animæ conservandam promovendamque requisita præcipuum quendam locum requirit *Christiana* EDUCATIO LIBERORUM illum in finem directa, ut & frænatis mature concupiscentiis veræ pietatis semina a teneris instillentur, & ad tale vitæ genus per doctrinam præparentur, in quo Reipublicæ, Ecclesiæ, familiisve suis utiles aliquando evadere queant. Mens enim ad disciplinas per seipsam non sufficit, & plus audiendo proficitur, quam legendo aut meditando.

II. Proxime ad illam Educationem liberis procurandam *Parentes* obstricti sunt. Et in mundi primordiis ii soli eam moderabantur. Fas quoque est, ut pro virili ei vacent. Cum autem illi ab hoc officio sæpissime præpediantur, sive per inscitiam atque ineptitudinem, sive per corporis imbecillitatem, sive per muneris vitæque generis negotia, sive per mortem præmaturam; eapropter in officii hujus præstandi societatem alii *Præceptores* ac *Formatores* Juventutis adscíscendi sunt.

sunt. Quamvis enim pii Parentes nunquam plane ab hoc munere se liberent, sed sic quoque invigilare bono liberorum pergant, defectum tamen suum hoc pacto supplere tentabunt. Inde ergo novum nascitur Relationis genus, quod ad certam quandam illarum, quas pertractavimus, classem referre non potuimus, quoniam cujuscunque Communionis tam Ecclesiasticæ, quam Politicæ & Oeconomicæ interest, ut *Informatores* idonei tam ad *Pietatem* quam alias *artes* liberis dentur. Unde & unaquæque Communio partem hujus curæ in se suscipiet. Nos tum *docentium* tum *discentium* debitum, sive quoad cultum *animi*, sive quoad exercitium *corporis*, breviter percurremus.

III. Docentium attributa generalia, quæ in ipsis desiderantur, & de quibus *constare* debet illis, qui curam Juventutis gerunt, antequam eam ipsorum fidei commendent, hæc potissimum sunt:

(1) Ut *amor Religionis* ac *Pietatis* se imbutos esse vitæ suæ tenore ostendant.

(2) Ut illas *artes*, *disciplinas*, *scientias*, quibus liberos imbuere debent, *ipsi* sufficienter *calleant*.

(3) Ut sint *spectatæ prudentiæ*, quæ requiritur ad *lenitatem* ac *patientiam* cum necessaria *gravitate* identidem tempestive conjungendam; ad discipulorum ingenium atque indolem dignoscendam, atque inde colligendum, quid eorum valeant vires, quid ferre recusent; num fræno, num calcaribus indigeant; in quæ vitia magis proclives

clives sint; quibus incitamentis præ aliis se duci patiantur.

IV. Cum autem Informatorum, secundum diversas liberorum conditiones, ætates & profectus, differentia plane sint genera, quæ singulis incumbant, notandum est. Missas hic facimus *nutrices* atque *mulierculas*, inter quarum manus primi anni ætatis nostræ transiguntur. Malum ferme necessarium est, talibus tenellos infantes demandare, per quas tot falsa præjudicia nunquam a multis iterum exuenda imbibuntur, pravæque concupiscentiæ sub variis prætextibus non supprimuntur, sed potius incitantur. Illas personas hic præcipue respicimus, quibus juventus ad formandum *animum* traditur, veluti in *scholis* proprie dictis tam *privatis* quam *publicis* fit.

V. Quibus facultates suppetunt, illis *privatim*, quamprimum ætas idonea fieri ad discendum incipit, *Pædagogos* quærere convenit. Si res familiaris id patitur, de *domesticis Pædagogis* cumprimis prospiciendum erit. Illi enim pauciſſimorum inspectioni vacantes, plus quam *Ludimagistri* toti adolescentum gregi perfecti, in singulis erudiendis proficient; & magis assidui liberorum comites esse eorumque non solum studia sed etiam mores observare accuratius poterunt. Quin ipsi ejusmodi Pædagogi facilius a Parentibus dirigi, atque si quid negligant, moneri tempestive poterunt.

VI. Neque tamen propterea *publicas Scholas* facile negligendas esse censuerim. Quicquid enim *Hobbesius* & *Fanatici* in eas invehantur, earum *necessitatem* in præsenti rerum statu defendimus:

(1) Quo-

(1) Quoniam subsidiis ad Pædagogos liberis suis dandos plurimi sunt destituti.

(2) Quoniam illis sublatis in maximam barbariem & profanitatem propter Parentum negligentiam incidendi summum periculum immineret.

(3) Quoniam ubi *Scholæ* recte se habent, illic honesta inter adolescentes viget æmulatio; atque animi ad amicitias formandas, ad humanitatem, ad mores liberales, politosque, atque adeo ad decentem prudentemque in mundo conversationem mature adsuefiunt.

(4) Quoniam interest Reip. & Ecclesiæ, non solum ut membris constet, quæ scientia culturaque mentis pollent, sed etiam ut inquirat, quibus artibus aut opinionibus de rebus divinis & civilibus animi imbuantur.

(5) Utilitatem Scholarum experientia ex perpetuo earum inter cultiores gentes usu comparata confirmat.

VII. Agnoscimus interea *nævos* fœdissimos, quibus res Scholastica præ aliis corrupti Christianismi partibus scatet. Utinam ad illos rite attenderent, a quibus *cura Scholarum* dependet! Cum autem tres Scholarum institui queant classes, reliæque sint *vulgares & infimæ*, aliæ *triviales* seu *ludi literarii*, aliæ *altiores* seu *Academicæ*, singularum Magistris specialia officia incumbunt.

VIII. In *Scholis infimis*, ubi ad *lectionem, scriptionem arithmeticam* pueri manuducuntur;

(1) Magistri ante omnia teneris animis prima Religionis rudimenta instillent.

(2) Semper sub oculis parvum gregem ge-

ran-

rant, qui ad levitatem & petulantiam ita est pronus, ut continuam inspectionem requirat.

(3) Indefessa sedulitate in rudimentis hisce omnis scientiæ instillandis versentur, ne pueri annos complures in iis inutiliter terentes, aut fastidio discendi impleantur, aut saltem ætatem jam majoribus studiis aptam misere consumant.

(4) Supercilii magistralis severitatem blanda lenitate temperent, & secundum ingeniorum differentiam faciliores diligentiam proliciendi modos durioribus semper præferant, moratiores laudibus præmiolisque incitando & in cœterorum exemplum proponendo: in immorigeros prius admonitoriis reprehensoriisve *verbis*, quam *verberibus*, & *umbra virgæ*, quam *calcaribus*, animadvertendo: ubi tamen omnia frustra sunt tentata, acriori disciplina non supersedendo.

(5) Absit præcipue omnis *prosopolepsia*. Ditiorum liberos, Parentum favorem aut munera captantes, dignioribus nunquam præferant. Neque etiam per iniquas Parentum, qui nimis indulgentes suæ proli sunt, querelas aut minas absterreantur a disciplinæ rigore, qui circa ignavos & petulantes requiritur.

IX. Eadem quoad generalia praxis in *Ludis literariis*, in quibus pueri & adolescentes ad studia Academica præparantur, requiritur, cum utrobique par discentium ætas esse soleat. Et quo præstantior est eorum scopus, eo magis officia præscripta observari debent. Pensi tamen, quod hæ Scholæ habent, diversitas quædam specialiora præterea postulat.

(1) In docendis linguis ac scientiis id magis ob-

obversetur, quod generaliorem usum habet' Profectus adeoque in cognitione veritatis Evangelicæ pari passu cum profectu in cæteris scientiis semper ambulet. Optandum quoque esset, ut linguarum originalium Sacræ Scripturæ æqualis ratio, ac reliquarum haberetur.

(2) In singulis scientiarum primordiis tradendis *methodus optima* sit commendata, id est, quæ & *facilitate* & *brevitate* & *convenientia* cum *natura* rei præstat. *Facilis* requiritur, ne ingenia delassentur: *Brevis*, ne ad ulteriora pertendentibus mora injiciatur: *Conveniens naturæ rei*, ne fundamento temere jacto tota structura ruinam minetur. Ad *facilitatem* facit, ut memoria non oneretur, ut perspicue singula ad captum puerorum explicentur, ac per picturas & similitudines congruas illustrentur; ad *brevitatem*, ut in pauciss. mos, quantum fieri potest, canones singulæ scientiæ redigantur, neque propter tardiores ingenia excitatiora a pergendo ad majora retrahantur; ad *convenientiam*, ut ordine concinno a notioribus ad ignotiora pergatur, neque ad altiora quisquam facile promoveatur, donec exploratum sit, illum fundamenta bene jecisse.

(3) Cum inter facultates mentis *judicium* & *ingenio* & *memoria* longe præstet, illius cultura præcipue erit promovenda.

(4) Eapropter Magister non *authoritate*, sed *rationibus* discipulos dirigat, neque irascatur, ubi illas non illico capiunt; sed potius ad dubia sua proponenda invitet, & illis dilucide solvendis patientiam debitam adhibeat.

X. In Academiis *scientiæ divinæ* & *humanæ* adul-

tis,

tis, qui ad Ecclesiæ aut Reipublicæ potiora munera administranda præparandi, plenius edisserunt; cui fini & generalis earum *constitutio*, quoad *Privilegia*, *Leges*, *Jurisdictionem*, *Adminicula*, quæ nunc mittimus, & singulorum Professorum tum *attributa*, tum *officia* congruere oportet.

XI. *Requisita* ad Academicum docendi munus, quamvis videantur in *Professoribus Theologiæ* impensius desiderari propter objecti, quod tractant, præcellentiam, ad omnes tamen quarumcunque disciplinarum Doctores æquali jure pertinent. Huc spectat

(1) Scientiæ, quam profitentur, profundior cognitio.

(2) Aptitudo in illa aliis tradenda.

(3) Religionis & quarumcunque virtutum Christianarum ad illam spectantium accuratum exercitium, ut ad ipsorum exemplum juventus ab eorum ore pendens mores quoque suos rite componere adsuescat.

(4) Virtutum quarundam ad docendum pertinentium observatio, quas inter reputamus *industriam* in obeundis omnibus muneris partibus; *promtitudinem*, qua non solum per publicas prælectiones sed etiam per salubria in privatis colloquiis consilia juvenum studia dirigunt: *candorem* in penitioribus scientiarum fontibus procul omni invidia aut lucri cupidine auditoribus recludendis: *modestiam* atque *humilitatem*, quæ impedit, ne alios præ se contemnant, aut cœcam fidem ab auditoribus exigant, aut lites inutiles moveant: *pietatem*, qua paternum amorem atque curam auditoribus suis, illis præcipue, qui longius a

Parentum inspectione remoti sunt, præstantes eorum moribus invigilant & bona promovent.

XII. Interdum non *ore* solum sed etiam *scriptis* Reipublicæ Christianæ ac literariæ commoda provehenda sunt. *Scopus* eorum adornandorum ne sit inanis famæ aucupium, sed facultatis ad scribendum concessæ ad cultum optimarum scientiarum majorem impendium, ex persuasione, quod quo magis illæ florent, eo magis gloria Dei a mortalibus in omnibus ejus viis atque operibus agnosci ac celebrari queat. Convenienter huic scopo requiritur:

(1) Ut *argumenta* deligantur, quæ & majorem lucem requirere videbantur, & utilitatem uberiorem ad scopum, quem indicavimus, promittunt.

(2) Ut *digna* argumenta non illotis manibus nec festinante calamo, quod illis, qui *Polygraphorum* affectant laudem, familiare est, sed *pro dignitate* tractentur.

(3) Ut non dissimuletur, per quos quis profecerit, ne alienis plumis scriptor se exornans inter *plagiarios* literarios nomen promereatur.

(4) *Scripta eristica* in rebus minoris momenti non reciprocentur. Ubi tamen caussæ pondus præsidio nostro dignum videtur, absit styli asperitas, vincendi libido, logomachiarum studium. *Didicisse fideliter artes Emollit mores.* Nihil indignius, quam ipsa sæpe Theologorum scripta his maculis Christianismi verminare. Disputantium pro veritate finis sit, antagonistas non exacerbare aut aliorum contemtui exponere, sed

sed rationibus in medium allatis convincere ac lucrari.

XIII. Ad præstanda hæc *discipulis* officia quoscunque *Magistros* sequentes rationes obligant.

( ) Quia gravem Deo rationem sunt reddituri de pretioso deposito, quod ipsis est creditum.

(2) Quia a muneris eorum fideli administratione bonum Reipublicæ æque ac Ecclesiæ dependet, quæ subsistere nequeunt, nisi ex hisce earum seminariis Viri ad communem salutem promovendam apti promtique prodeant.

(3) Quia memoria talium Præceptorum quam maxime in benedictione manere solet.

XIV. Ut autem eorum institutio sperato fine gaudeat, auxilio aliorum indigent.

(1) *Magistratus* de honestis salariis illis prospiciat, idque tum quia rariores sunt, qui ad molestias vitæ scholasticæ devorandas inclinant, tum quia ad commune commodum id spectat, si sumtus a Parentibus in liberorum informationem impendendi modum non excedant. Sic enim *tenuiores* a liberis suis mature in Ludos mittendis non absterrebuntur, & meliora ingenia inter ipsos latentia facilius emergent.

(2) *Ecclesiasticis* incumbit, quod in illis opis & consilii est, conferre, ut sana Religionis principia juventuti *solide* instillentur, atque ea propter minores *visitare* diligenter, majoribus pro virili *invigilare*. Magistratum de requisitis ac defectibus serio submonere.

(3) *Parentes* nimia in liberos suos indulgentia disciplinam Præceptorum non impediant, querimoniis liberorum contra ipsos propensam

nimis aurem non præbeant, benevolentiæque ac amoris erga sedulos Præceptores signis illos ad curam tædio multiplici refertissimam identidem alacriores reddant.

XV. Nihil autem magis Præceptores bonos incitabit, quam si *Discipuli* suis officiis erga ipsos, idque tam relate ad *personas*, quam ad *institutionem* eorum, vicissim defungantur. Ad prius potissimum spectat

(1) Amor sincerus erga ipsos, exemplo Elisæ 2. Reg. 11. 2.

(2) *Honor* illis exhibendus, unde Magistri ac Domini nomina apud Hebræos æquipollebant, & secundum Judæos omnia opera, quæ *servus præstat Hero suo, discipulus præstabat Ministro suo.* Huc respiciebat mos *calceos solvendi & gestandi* Marc. 1. 7. Joh. 1. 27.

XVI. Quoad *institutionem* sequentia incumbunt:

(1) Adesse debet *desiderium scientiæ*, ad quam quis se applicat. *Ultimas terras lustrasse Pythagoram, Democritum, Platonem accepimus. Ubi enim quid esset, quod disci posset, eo veniendum judicaverunt*, ut ait Cicero Lib III. Tusc. Quæst. cap. 19.

(2) Singularis *diligentia* adhibenda, ut mens Præceptorum plene percipiatur. Huc spectant assiduitas, attentio, meditatio, & consultatio Doctorum de iis, quæ nondum satis clare percepta sunt; denique eorum, quæ percepta sunt, ruminatio.

(3) Ne sit discipulus *monitoribus asper*, non obloquatur inverecunde, non sophistice contra eorum

rum doctrinam insurgat, sed rationibus sufficientibus in medium prolatis se docilem præstet Jac. 1. 19.

(4) Ab altera parte *non juret in verba Magistri*, ubi meliora edocetur, omnes hominum institutiones veritati postponens. In ipso tamen dissensu modestiæ ac gratitudinis Leges non intermittat.

(5) *Non subsistat* in Magistrorum institutione, præcipue ubi majores jam fecit in doctrina progressus, sed privatim tum per conversationem cum sodalibus, per quos proficere potest, tum per bonorum librorum lectionem, aliaque exercitia, quicquid in publica institutione defuit, supplere contendat.

(6) *Gratum* semper erga Magistros profiteatur animum, non dissimulando, per quos profecerit, sed ad eorum honorem id commemorando. Quod si etiam ipsi contingat ea felicitas, ut ipsis Magistris doctior evadat, vel sic nunquam super illos se efferat, sed beneficio eorum factum esse agnoscat, ut in illam viam pertigerit, per quam eousque est emensus.

XVII. Argumenta fortissima ad hæc officia constringunt.

(1) Hæc *gratitudo Deo* debetur, qui inæstimabile hoc beneficium præstitit, ut non inter Barbaros educati, sed ad meliorem mentis cultum applicati simus, a quo & præsentis vitæ commoda maxima, & æternæ vitæ salus dependet. Unde quod ARISTOTELES Ethic. IX. 1. affirmavit, Præceptoribus τιμὴν ἰσόρροπον, *honorem*

æqualem reddi non posse, multo magis quoad Deum certum est.

(2) Quanta autem sit erga ipsos Præceptores obligatio, Simplicius in Epict. c. 37. nervose docet: *Officia erga bonarum artium Doctores eadem sunt, quæ erga Parentes, & fortasse cum aliquo cumulo: quod hi altores & curatores non corporis nostri, sed nostri ipsorum sunt: idque nec naturali necessitate, ut Parentes tum apud brutas animantes, tum apud homines, sed bona voluntate, divinam bonitatem imitante, quæ animas delapsas eo, unde venerunt, reducere conatur.*

(3) In genere optandum esset, ut tota hæc Relatio, quantum secundum varias classes fieri potest, ad exemplum *Relationis* illius, quæ inter Christum, optimum *Magistrum* ac *discipulos* suos in diebus carnis suæ ipsius institutione familiari gaudentes, obtinuit, esset directa.

XVIII. Laxius vinculum cum illis videtur intercedere, qui corporis exercitia tractant, & ad *communionem Politicam* potissimum referendi sunt. Huc referas quoad *nobilium* ac *ditiorum* liberos, *Academias equestres*, seu *Palæstram*: quoad *inferioris* sortis homines *Officinas* opificum, quas tamen antiquitas magis in pretio habuit, quam delicatuli nostri ævi homines. Conf. c. 111. §. 40. Generaliora tamen *officia*, quæ recensuimus, ad has quoque relationes extenduntur. Id præcipue cavendum, ne cultus animi per exercitia corporis impediatur, sed ut pro circumstantiarum indole hæc illi semper subordinentur.

CAPUT

CAPUT SEXTUM.

De Relatione inter *Amicos* & *Inimicos.*

ARGUMENTUM.

I. *Officia inter* AMICOS *observanda* §. 1---18.
A. *Generaliora* 2---12.
1. *Summatim recensentur* 2.
2. *Duobus eorum generibus pressius inhæretur* 3---12.
a. *Quoad* Convivia 3---5.
b. *Quoad* Conversationem 6---12.
α. *Quæ eam in commune spectant* 6---8.
β. *Quæ requiruntur circa* consortiorum *varias classes* 9---12.
ℵ. Cum piis 10.
ב. Cum irregenitis 11.
ג. Consortia mixta 12.
B. *Specialiora* 13---18.
1. *Inter* familiares 13---15.
2. *Inter* socios 16.
3. *Inter* patronos & clientes 17.
4. *Inter* vicinos 18.
II. *Officia circa* INIMICOS *commendanda* 19---29.
A. *Sive sint* Hostes publici 20---25.
1. Ecclesiæ 20. 21.
2. Reipublicæ 22---25. *quo spectant.*

a. Malefici 22---24.
b. Armis *eam* oppugnantes 25.
B. *Sive sint* inimici privati 26---29.
1. *Diversæ eorum classes* 26. 27.
2. *Officia circa eos incumbentia* 28. 29.

I.

Conversatio Christiani in mundo, secundum varia Societatum, quarum membrum est, genera, ansam dat diversis AMICITIÆ atque *consuetudinis* vinculis, quæ singula implere contendit, ad salutem Proximi magis promovendam. Præcipua Amicorum genera sunt *Familiares*, *Socii laborum*, *Patroni & Clientes*, denique *Vicini*.

II. Circa universos sequentia erunt observanda:

(1) Ut semper in singulis classibus prævaleant apud nos, qui cognatione spirituali cap. 1. descripta in Domino nobiscum uniti sunt.

(2) Ut majorem, quæ nobis suppetit, cum illis consuescendi ansam, ad commodum aliquod saluti animarum conferendum, studiose prehendamus.

(3) Ut non solum *verbis*, sed etiam *factis*, talia affectus nostri erga ipsos signa exhibeamus, per quæ sanctum amicitiæ fœdus coalescere potest.

III. Cum inter illa signa singularem locum habeant CONVIVIA inter amicos instituta, eorumque multiplex abusus obtineat, quæ eorum usum

usum spectant, hic prætermitti non debent. Simpliciter ea improbari nequeunt.

(1) Quia in ipso cultu V. T. ea a Domino expresse sunt injuncta Deut. XII. 7.

(2) Propter exempla tum aliorum piorum v. gr. Boazi Ruth. III. 7. Samuelis 1. Sam. IX. 12. XVI. 2. Jobi XLII. 11. Davidis 1. Chron. XIII. 39. tum ipsius Christi, qui illis interfuit, tam solenni nuptiali Joh. II. 2. 9. quam communi Luc. V. 29.

(3) Quia Convivia rite celebrata insignem utilitatem ad amicitias conservandas, seque invicem familiari modo ad celebrationem bonitatis Domini incitandos, habere possunt.

IV. Leges Convivii Christiani præcipuæ spectant tum Convivii *adornationem*, tum ejus *usum*. In eo adornando.

(1) Temporis habenda ratio, ne Domino ad fletum & planctum vocante in calamitatibus publicis hilaritati indulgeamus Ps. XXII. 12. 13.

(2) Quoad personas evitetur nimia familiaritas per Convivia cum profanis & impiis Jerem. XVI. 8. Posse tamen iniri etiam cum irregenitis liquet ex 1. Cor. X. 27.

(3) Circa *invitationem* cavenda est prosopolepsia, ita ut amicorum *pauperum* eadem, quæ *spectatiorum*, habeatur ratio Luc. XIV. 12--14.

(4) Quoad *invitatos* in *accubitu* absit omnis vanæ προεδρίας affectatio Luc. XIV. 10. 11.

(5) In ferculorum *apparatu* luxus ac prodigalitas Christianum dedecet. Temporis etiam dispendium caveri debet.

V. Quomodo Convivia *celebrari* debeant,

exemplo primitivæ Ecclesiæ succincte TERTULLIANUS docet Apolog. cap. XXXIX. *Si honesta caussa est convivii, reliquum ordinem disciplinæ æstimate, quid sit de religionis officio. Nihil vilitatis, nihil immodestiæ admittitur. Non prius discumbitur, quam oratio ad Deum præguſtetur. Editur, quantum esurientes capiunt : bibitur, quantum pudicis est utile : ita saturantur, ut qui meminerint, etiam per noctem adorandum Deum sibi esse : ita fabulantur, ut qui sciant, Dominum audire. Post aquam manualem & lumina, ut quisque de Scripturis sanctis vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere : hinc probatur, quomodo biberit. Æque oratio convivium dirimit, inde discedituri non in catervas cæsionum, neque in classes discursitationum, nec in eruptiones lasciviarum, sed ad eandem curam modestiæ & pudicitiæ, ut qui non tam cœnam cœnaverint, quam disciplinam.*

VI. Latius, quam *Convivia*, patet CONVERSATIO quotidiana cum *amicis*, quam Christianus nequit plane negligere, nisi in suspicionem perversæ *singularitatis*, uti dici solet, aut μισανθρωπίας, incidere velit. Prudentia autem requirit, ut & legitimum *scopum* ei præfigamus, & pro virili eum obtinere contendamus.

VII. Scopus ejus *propinquior* aut *propriam* aut *Proximi* utilitatem spectat. *Propriam* quando aut ædificationem & instructionem nostram, aut permissum aliquod a magis seriis negotiis laxamentum quærimus. *Proximi*, quando aut illius in cognitione veritatis & pietatis incrementum promovere, aut de aliis rebus ad vitam communem spectan-

spectantibus cum eo conferre, aut animum ei faventem declarare volumus.

VIII. Ut fines hi salutares attingantur, *in genere* opportunum & nobis & Proximo tempus observari debet. Cavendum etiam, ne nimia consortii frequentatione ipsa amicitia vilescat, temporisque damnum irreparabile nobis aut Proximo afferamus. Denique evitanda *vitia linguæ*, quibus Proximo damnum infertur, & contrariæ *virtutes* sectandæ. Illa Lib. II. cap. 8. §. 29. hæ §. 67. sunt enumeratæ.

IX. Sed & *specialiora* quædam requiruntur, prout per communem conversationem aut in consortia *cum piis*, aut *cum impiis*, aut ex utrisque *mixta* incidimus.

X. Consortia *cum piis* præprimis in deliciis erunt illis, qui Deum amant. Quidni enim eorum præsentia atque aspectu frequenti gauderent, quibuscum æternitas erit in cœlis transigenda. Conversatio cum illis circa duplex argumentum occupatur. Aut enim inter se reciprocabunt colloquia *directe* ad pietatem spectantia juxta veram indolem *Communionis Sanctorum* Lib. III. cap. 1. delineatam; aut sermones de rebus tam ad *functionem* suam, quam ad communem vitam atque incidentes in ea quotidie *casus* spectantibus miscebunt. Priores aliquando esse *necessarios* nemo negabit. Sed & posteriores male quidam penitus exterminant, cum multiplex eorum utilitas non solum ad delassationem animi, sed etiam ad vitam prudenter agendam queat ostendi. Cura tantum est adhibenda, ut id, quod revera est inutile, resecetur, & ut mella ex quibus-

buscunque floſculis colligantur. Quo præcipue ſpectat, ut non ſolum obſervationes pias ad quæcunque fortuita colloquiorum objecta apud nos formemus, ſed etiam illas apte ſermonibus immiſcendi anſam omnem ſtudioſe prehendamus.

XI. Conſortia *cum irregenitis* pii evitare nequeunt, non ſolum propter hypocritarum frequentiam, ſed etiam quia in functione civili illis aſſociati atque immixti ſunt. Ingens autem hic intercedit diſcrimen inter profanos pietatis contemtores, & inter eos, qui ſaltem ei non obloquuntur, adeoque ipſos lucrifaciendi ſpem aliquam gignunt. Cum prioribus *regeniti* familiariter conſueſcere absque certiſſimo damno nequeunt, adeoque non ulterius frequentandi, quam negotiorum communium ratio efflagitat Pſ. 1. 1. Ubi autem ex improviſo quaſi in illos inciderunt, caute loquantur, fideliter in verba profana prorumpentes ſubmoneant, nec inter illos ultro ſubſiſtere pergant, ubi aliqua ab iis divertendi rima pateſcit. A poſterioribus penitus ſegregari ipſa ſpes, quam ſupponimus, vetat. *Rarius* tamen adeantur, & occaſionibus invigiletur, quæ ſalutares ſermonibus, ſæpe tanquam aliud agendo, immiſcere admonitiones permittunt.

XII. Ubi autem *conſortia* ſunt *mixta*, illic magis in promtu erit, *pius* ſe adjungere, atque eos identidem ad talia colloquia inducere, per quæ futiles aliorum diſcurſus præcidi, illorumque perverſi mores corrigi queunt.

XIII. Inter Amicos primum locum *Familiari-*

bus

bus damus, quibuscum arctiori AMICITIÆ intimæ fœdere coaluimus. In ejus tam officiis describendis, quam præstantia atque utilitate miris modis in cœlum evehenda Philosophi, Oratores, Poëtæ inter gentiles certatim luxuriantur. Omnes tamen a linea aberrant, tum in veræ Amicitiæ *fundamento*, quod Communio Sanctorum solum ponit, quemadmodum cap. 1. ostendimus, tum in *legibus* ejus pangendis. Non inficeta tamen ejus apud Romanos figura fuit, præcipua *Amicitiæ familiaris* officia ita percensens, uti a sacris etiam Scriptoribus indicantur. Pingebatur *puella juvenis forma*, quia Amicitia vera semper est recens, nec diuturnitate temporis remittit. *Detecto capite*, quia amicus nullo tempore amicum publice fateri erubescit. *Tunica rudi erat induta*, tanquam parata ad extremam inopiam pro amico subeundam. *In fimbria scriptum : Mors & vita*, quod, qui vere diligit, ad mortem, imo post mortem amet. *In fronte legebatur : Æstas & hyems*, quia idem in prosperis & adversis requiritur affectus Prov. XVII. 17. *Latus apertum usque ad cor* innuebat, quod amicus nihil celet. *Brachium erat inclinatum digito cor ostendente*; ut opus cordi & cor verbis respondeat, nihilque fictum aut fucatum admisceat. *Adscriptum erat : longe & prope*, quia vera amicitia nulla locorum intercapedine disjungitur.

XIV. Sunt quoque alia specialiora, quæ prudentia Christiana in Amicitiis tam *contrahendis*, quam *colendis* exigit.

(1) In iis *contrahendis* post exploratam *pietatem*, absque qua & dignum tam arcto amore obje-

objectum deest, & nulla amicitia sancta aut firma esse poterit, requiritur : Morum, inclinationis, conditionis quædam *similitudo*. Ad *paucissimos* quoque restringenda ; eosque spectatæ *prudentiæ*, ex quorum consiliis proficere queas.

(2) In illis *colendis*, cum *amicos* Scriptura aliquando *fratres* nominet, quæ fratribus germanis debentur, etiam inter amicos observanda esse monet. Porro quamvis interiora animi secreta amicis pandantur, vel sic tamen & caute mercari convenit, cum omnis homo mendax sit Prov. XIX. 4. Sirac. VI. 6—12. Quæ autem tibi fiduntur, sancte serva. Circa nævos ejus indulgens esto, cum homines simus omnes, similesque in te amicus tolerare debeat Sirac. VI. 5. Familiaritas major, quæ amicis intercedit, nunquam in *levitatem* degeneret. Tum autem maximus ab Amicitia reportabitur fructus, si emendare se invicem suavibusque monelis ac correptionibus sanctificationem mutuo promovere adnitantur. Qui enim ita se post sindonem cognoscendi ansam habent, & secundum Leges amicitiæ audiri in omnibus debent, aptissimam præ aliis ad corrigendum residuos pravos in regenitis motus ansam habent Prov. XXVII. 17. Denique *amici veteres* semper præferantur novis Prov. XXVII. 10.

XV. Ejusmodi *Amicitiæ* præstantiam sacræ literæ laudant & commendant Prov. XVIII. 24. XXVII. 9. Confer Sirac. VI. 14—17. Et certe ejusmodi Amicitia non solum vitam jucundam reddit, sed etiam in rebus dubiis salubria consilia, in

in adversis opem atque lenimentum multiplex afferre poterit.

XVI. Proximum locum occupant, quos sive in juventute *studiorum*, sive in provecta magis ætate *laborum* aut *muneris* Socios nacti sumus. Cum his *concordia* omni modo excolenda. Qui recte Spartam suam exornant, in magno pretio habendi & absque invidia *æmulandi* sunt. Qui eam negligunt, eos modeste admonere oportet. Porro cavendum, ne eorum aut *socordia* ipsi segnitiem contrahamus, aut maligno *livore* a quibusdam officii, quod nobis incumbit, partibus absterreamur.

XVII. Reciprocis etiam quibusdam vinculis PATRONI atque CLIENTES innexi sunt. Priores *patrocinio* suo *dignos* amplectantur, quos autem in istud adsciverunt, eorum res candide absque proprii commodi lucrive respectu promoveant. Posteriores sibi pios potissimum in Patronos seligant, &, si aliquando irregenitorum favore indigeant, videant, ne unquam aut nimium homines suspiciant, aut eousque indignationem eorum extimescant, ut captandæ benevolentiæ eorum caussa vim conscientiæ suæ inferant, aut se concupiscentiis eorum pravis mancipent.

XVIII. In VICINIS hic desinimus. Cum enim ex Salomonis judicio Prov. XXVII. 10. *Melior sit vicinus juxta, quam frater procul*; hinc illud Catonis non negligendum: *Vicinis bonus esto*. Talem autem Christianus se *ore* & *opere* præstabit.

(1) *Verbis* & *præsentia* favorem blandis salutationi-

tionibus atque colloquiis aucupabitur, & *absentis* famam strenue defendet.

(2) *Factis*, sive sit *extra partes positus*, tum officiorum in commodando, adjuvando, consilium dando, liberali exhibitione, tum malorum & periculorum significatione ac propulsatione eum adjuvet. *In negotiis ad se spectantibus*, pacem ita sectari fas est, ut rixæ, convitia, processus non solum non inferantur, sed etiam pro virili evitentur; unde ad perturbationes vitæ præscindendas, quæ a vicino malo sæpe inferuntur, de legitimo jure aliquandò remittendum, exemplo Abrahami Gen. XIII. 18. 19.

XIX. *Amicis* oppositi sunt Inimici. *Passivos*, quos odio habeat, regenitum inter homines non habere, atque ubi eos per imprudentiam sibi conscivit, cum illis mox conciliationem quærere, constat ex Lib. II. cap. 5. §. 46. & cap. 8. §. 6. sq. §. 72. *Inimicorum* autem *activorum*, qui contra ipsum male sunt animati, non exigua caterva esse solet. Hos omnes non solum *diligere* perget Christianus, sed etiam pro re nata diversimode dilectionem suam externis signis demonstrabit, prout nempe eos considerat sive ut *hostes publicos* Ecclesiæ ac Reipublicæ, sive ut *privatis* simultatibus fræna laxantes.

XX. *Publici Ecclesiæ hostes* sunt sive qui externe *in ejus communione* subsistentes profane vivunt; sive qui *ab ejus communione* sunt segregati. Horum pars confessione cultuque divisa Ecclesiam oppugnat, pars per exercitium Disciplinæ ab Ecclesia est ejecta. Omnes illos regenitus tanquam hostes Dei considerat Psal. XXVI. 5. CXXXIX. 21.

Unde

